This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 06829253 5

RESPONSIO

AD

APOLOGIAM

CARDINALIS

BELLARMINI.

RESPONSIO

AD

APOLOGIAM

CARDINALIS

BELLARMINI.

LONDINI:
EXCUDEBAT R. CLAY.

RESPONSIO

785

AD

APOLOGIAM

CARDINALIS

BELLARMINI.

AUCTORE LANCELOTO ANDREWES,

TUNC ELIENSI,
POSTEA WINTONIENSI EPISCOPO.



OXONII:
JOHANNES HENRICUS PARKER.
M DCCC LI.

MONITUM.

MULTA, quæ in TORTURAM TORTI fuimus præfati, de indole et stylo auctoris, et nostro qualicunque labore, in hunc quoque locum haud incommode possunt transferri.

Restat igitur ut illud tantum Lectorem admoneamus, quanquam ex hujus libelli titulo fere per se pateat, quod post Apologiam suam de Juramento Fidelitatis editam, Rex Jacobus rem totam fusius tractavit, et Præfationem Monitoriam Apologiæ suæ præfigendam curavit. In hanc Præfationem calamum sumpsit Bellarminus, larva tandem abjecta, et proprio suo nomine Regem impugnans. Nec Auctor noster quidquam in mora habuit, quin Regis defensionem iterum institueret, omnia plenissimę retractans, et non modo Regiam defendens Auctoritatem, verum etiam omni ex parte Romanensium doctrinam redarguens.

In hoc opere edendo, munere Editoris rite fungi, et summam diligentiam in locis, quæ citaverit Auctor, eruendis adhibere voluimus. Alii, penes quos de hac re judicium, labores nostros æquo animo accipiant.

Illud insuper est monendum, quod numeri in margine libri paginas Editionis prioris indicant, quodque omnia nostra cujuscunque generis additamenta uncinis quadratis, distinctionis gratia, sunt inclusa.

JACOBUS BLISS.

ADDENDA IN NOTIS.

Pag. 243. linn. 19. 20. 'An cum . . . Jesu nostro.' [Vide Opusc. de Visit. Infirm. lib. ii. cap. 2. apud S. Aug. Op., tom. vi. Append. col. 680. A.]

62. linn. 29. 30. τὸ γὰρ . . . θεόν. [Menandr. Adelph. ut citat. apud Stob. Floril. lvi. 3. Pseudo-Justinus de Monarch. p. 103. E. citat e Menandro ἐν Ἀλιεῦσι.]

ERRATA.

Pag. 13. lin. 28. pro *Fides* leg. *Fidei*.

60. not. [l]. *pro* Bib. Pat. Max. *leg.* Bib. Pat. Gall.

77. not. [c]. *pro* 25. *leg.* 125.

187. not. [g]. ita legendum 'Nullus laicorum,' Hadriano II. ascriptum est, (Corp. Jur. Can. tom. i. col. 313.)

257. in marg. *pro* per *leg.* semper.

363. not. [x]. *pro* Martini *leg.* Merlini.

383. not. [s]. *pro* 1569. *leg.* 1596.

INDEX AUCTORUM

QUIBUS IN HAC EDITIONE USI SUMUS.

Abbatus, Rob., Antichristi Demonstratio, Lond. 1603.
Abulensis, Alph. *Tostatus*, q. v.
Adrianus VI. in lib. iv. Sent., Paris. 1516.
Alensis, Alex., Summa Theol., Venet. 1575.
Alliaco, Petrus de, Card. Cameracens. apud *Gersonii* Op., q. v.
——— in lib. iv. Sent., Paris. s. a.
Ambrosius, S., Op., Paris. 1686—1690.
Amphilochius, S., apud *Bevereg.* Pand. Can. q. v.
Anastasius Bibliothecarius, apud *Concil.*, Paris. 1675. q. v.
Ansbertus Ambros. in Apoc., apud *Bibl.* Patr. Max.
Anselmus, S., Cant., Op., Col. Agripp. 1612.
Anselmus Lucensis pro defensione Greg. VII., apud *Bibl.* Max. Patr. q. v.
Anselmus Laud., Enarr. in Apoc., apud S. Anselmi Cant. Op.
Antisixtus, Lond. 1590.
Aquinas, S. Thom., Op., Venet. 1775, seq.
——— in Apoc., Florent. 1549.
Arethas, Comment. in Apoc. apud *Œcumen.* q. v.
Arnoldus Carnotensis, ad calc. Op. *S. Cypriani.* q. v.
Arrest de la Cour de Parlement, &c., contre le livre de Jean Mariana. 1610.
Athanasius, S., Op., Paris. 1698.
Auctores Hist. Eccl., Basil. 1528.
Augustinus, S., Op., Paris. 1835, seq.
Azpilcueta, Mart., Navarrus, Op., Lugd. 1597.

Bancroft's, Rich., Survay of the pretended holy Discipline, Lond. 1593.
Bardi, Hieron., Vitt. Nav., Venet. 1584.
Baronius, Cæs., Annales Eccl. Mogunt. 1601.
——— Paræn. ad Remp. Venet., Aug. Vindel. 1606.
Bartoli Vita del C. Bellarm. citat. apud *Mendham's* Literary Policy, q. v.
Basilius, S., Op., Paris. 1721—1730.
Becanus, Martinus, Serenissimi Jacobi Angliæ Regis Apologiæ et Monitoriæ Præfationis refutatio. Mogunt. 1610.
Becketi, S. Thom., Vit. et Process., Paris 1495.
Beda, Ven., Op., Col. Agr. 1688.
——— Hist. Eccles. Cantab. 1643.
Bellarminus, Rob., Card., Op., t. i.—iv., Col. Agripp. 1628.
——— t. vii., Col. Agripp. 1617.
——— Recognitio Librorum. Ingolds. 1608.
Bellonius, Observationes, Rapheling. 1605.
Berengaudus, Exposit. in Apoc. apud *S. Ambrosii* Op., q. v.
Bergomensis, Jac. Phil. Forest., Chronicon., Paris. 1535.
Bernardus, S., Op., Paris. 1690.
Bernried, Paulus, Vita Greg. VII. Ingolds. 1610.
Beveregius, Gul., Συνοδικόν, sive Pandectæ Canon., Oxon. 1672.
Biblia Sacra, Antv. 1583.
——— Salmant. 1584.
——— Lugd. 1589.
——— Romæ 1590.
——— Romæ 1592.
——— Anglice, Duaci 1609.
Bibliander, Theod., Chronol. Autopt. Cassellis 1601.
Bibliotheca Sacra, Paris. 1575.
——— Patrum Magna, Col. 1618.
——— Max., Lugd. 1677.
——— Gallandii, Venet. 1765.

Biel, Gabr., Lect. in Can. Missæ, Lugd. 1542.
Bingham, Jos., Christ. Ant., Lond.
Blasius de *Viegas*, q. v.
Blesensis, Petrus, apud *Baronii* Annales Eccl. q. v.
Blondus, Flav., Hist. Basil. 1559.
Bochellus, Decret. Eccl. Gall., Paris. 1609.
Bonaventura, Card., Op., Romæ 1596.
Bosius, Th., de Ruinis Gentium, Romæ 1596.
Brentius, Jo., Op., Tubing. 1590.
Brightmannus, Th., Apocalypsis Apocalypseos, Francof. 1609.
Bromiard, Joan., Summa Prædicantium, Venet. 1586.
Bulengerus, Petr., in Apoc. Paris. 1589.
Bullarium Romanum, Luxemb. 1727.
Burgensis, Paulus, apud Bibl. Sacra, Lugd. 1589.
Butler, Charles, Memoirs of English Catholics, Lond. 1832.

Cæsarius Cister., Dialog. Mirac., Col. Agr. 1591.
Cajetanus, Th. de Vio Card., Comm. in SS., Lugd. 1639.
——— in Summ. Theol. D. Thom. Aquin., Bonon. 1528.
Calvinus, Joan., Op., Amst. 1667. seq.
Camdenus, Gul., Anglica, Normannica, &c., Francof. 1603.
——— Angl. Rer. et Hibern. Annales Regnante Elizabetha, Lugd. Bat. 1639.
Cameracensis Petrus de *Alliaco*, q. v.
Campion, E., A particular declaration of the undutiful and traiterous affection borne against her Majesty by, Lond. 1582.
——— A true report of the Disputation had with, in the Tower of London, Lond. 1583.
——— Rationes decem, quibus fretus certamen obtulit adversariis in causa fidei, apud *Concertat.* Eccl. Cathol. in Angl. q. v.
Canus, Melch., Op., Col. Agripp. 1605.
Cantipratensis, Thom., Miracula, Duaci 1605.
Capellus, M. Anton., Adversus prætensum primatum Ecclesiasticum Regis Angliæ liber, Bononiæ 1610.
Capgravius, Joan., Nov. Legenda, Lond. 1516.
Caponsacchius, Petrus, In Apoc. Observatio, Florent. 1586.
Cassander, Georg., Op., Paris. 1616.,
Cassiodorus, Hist. Tripart., apud *Auctores* Hist. Eccl. q. v.
Catalogus Græc. Cod. in Bibl., Aug. Vindel. Aug. Vind. 1595.
Catharinus, Ambros., Enarrat. in v. priora capp. Gen., Romæ 1552.
Cave, Guil., Hist. Literaria, Oxon. 1740—1743.
Cedrenus, Hist. Comp., Basil. 1566.
Censura Generalis contra errores, quibus recentes hæretici Sacram Scripturam asperserunt, &c. Venet. 1562.
Chemnitius, Mart., Examen Conc. Trident., Francof. 1596.
Chisholm, Gul., Episc. Vasionensis, Examen Confessionis fidei Calvinianæ, Aven. 1601. et Gallice, Paris. 1603.
Chrysostomus, S., Op., Etonæ 1613, seq.
——— Paris. 1621.
——— Latine, Basil. 1530.
——— Basil. 1570.
Chytræus, Dav., Explicatio Apocalypseos, Viteb. 1575.
Ciacconius, Alph., Vit. et Gest. Pont., Romæ 1601.
Clarius, apud *Criticos* Sacros. q. v.
Clavasio, Angelus de, Summa Angelica, Argent. 1513.
Cocalius, Merlinus, Macaronica, Venet. 1554.
Coeffeteau, Nic. Response à l'Advertissement adressé par le Roy de la Grande Bretagne, &c., apud Coeffetæi Op., Paris. 1622.
Comestor, Petrus, Histor. Scholast., Argentinæ 1503.
Concertatio Eccl. Cathol. in Angl., Aug. Trev. 1583.
Concilia, Venet. 1585.
——— Labb. et Coss., Lut. Paris. 1671., quam edit., nisi aliter notatum, semper sumus secuti.
——— Magnæ Britanniæ, a D. Wilkins, Lond. 1727.
Confession of the true and Christian Faythe according to God's word and Actes of Parliament holden at Edinburghe, &c., Lond. 1581.
Conformitas Franciscana, (a Barth. Albicio Pisano,) Mediol. 1510.
Conradus Urspergensis, Basil. 1569.
Coquæus, Leonardus, Examen Præfationis Monitoriæ, Friburgi Brisgoiæ 1610.
Corpus Juris Canonici, Lut. Par. 1561,
——— Lut. Paris. 1612; Lugd. 1671, quam edit., nisi aliter notatum, semper sumus secuti.
Coster, Franc., Enchirid. Controv., Col. Agr. 1599.
Cotelerius, Patres Apostolici, Antv. 1698.
Cristanovic, Stanislaus, Examen Catholicum, Paris. 1607.
Critici Sacri, Antv. 1698.
Cusanus, Nicolaus, Op., Basil. 1563.

Cuspinianus de Cæsaribus, Francof. 1601.
Cyprianus, S., Op., Oxon. 1682.
Cyrillus, S., Alex., Op., Lutet. 1638.
——— Hieros., Op., Venet. 1763.

Damascenus, S. Joan., Op., Paris. 1712.
Damianus, S. Petrus, Op. Paris. 1642.
Discoverie, A sparing, of our English Jesuits, (citat. sub titulo 'Discursus Modestus') s. l. 1601.
Donatus, Leon., Dux Venet., Edictum contra Paul. v. apud *Goldasti* Monarch., q. v.
Dugdale, Gul., Hist. Eccl. Cath. S. Pauli, Lond. 1818.
Durandus a S. Porciano in lib. iv. Sent. Paris. 1550.
Durante, Steph., de Ritibus Ecclesiæ, Romæ 1591.

Eadmerus, Hist. Novorum, apud S. Anselmi Op., Paris. 1675.
Eckius, Jo., Encheirid., Col. Agr. 1600.
Egnatius, Jo. Bapt., de Exemplis illustr. Virorum, Venet. 1554.
——— Rom. Princ. apud Sylburgii Hist. Aug. Script. q. v.
Epiphanius, S., Op., Colon. 1682.
Ephraimus, S., Syr., Op., Romæ 1746.
Erasmus, Desid., Op., Lugd. Bat. 1703.
——— Adagia, Hanov. 1617.
Eudæmon. Joan. Cydonius, Apol. pro Garneto, Col. Agripp. 1610.
——— adv. Abbatum de Antichristo, Ingolst. 1609.
Eugubinus, Aug. *Steuch.*, q. v.
Eusebius Cæsar., Hist. Eccl., Cant. 1720.
——— de Vita Constant., Cant. 1720.
——— Præpar. Evang., Colon. 1688.
Eutropius Longobardus de Juribus et Privil. Imp. Rom. apud *Goldasti* Monarch. q. v.

Fabri, Sixtus, Collat. Censur. in Glossas Jur. Can. ad calc. Ind. Expurg., Argent. 1599.
Fasciculus Rerum expetend. et fugiend., Lond. 1690.
Ferus, Joan., in S. Matth., Lugd. 1609.
Firmilianus Cæsariensis, apud S. *Cypriani* Op., q. v.
Fischerus, Joannes, (Episc. Roffens.) Op., Wirceburg. 1597.
Fox, J., Acts and Monuments, Lond. 1583.
Flaccius, Mart., Illyricus, Catalogus testium veritatis, Argent. 1562.
Florilegus, i. e. Matth. *Westmonast.* q. v.

Galæus, Thom., Rer. Angl. Script. Oxon., 1691.
Gallandius, *Bibl.* Patr. q. v.
Gaudentius, S. apud *Bibl.* Max. Patr.
Gardinerus, Steph., de vera Obedientia, apud *Fascic.* rer. expet q. v.
Garnetum, Actio in, Latine reddita a Gul. Camdeno, Lond. 1607.
Garetius de Invoc. Sanct., Gandavi, 1570.
Gelasius adv. Eutych. et Nestor., apud *Bibl.* Max. Patr. q. v.
Gemblacensis, Sigebertus, apud *Pistor.* Rer. Germ. Script.
Genebrardus, Gilb., Chronogr., Paris. 1585.
Gilles, Nic., Les Croniques et Annales de France, Paris. 1549.
Gerbertus, apud S. *Ambrosii* Op., q. v.
Germanus, S. Archiepisc. C. P., apud *Bibl.* Max. Patr. q. v.
Gersonius, Joan., Op., Paris. 1606.
Giraldus Cambrensis, apud *Camdeni* Anglica, Normannica, &c.
Glossa interlinearis, apud *Biblia* Sacra, Lugd. 1589. q. v.
——— ordinaria, ibid.
Goldastus, Melch., Constitut. Imper., Hanov. 1609.
——— Monarchia, Hanov. 1612, seq.
Goodwin, Thom. Moses et Aaron, apud *Ugolini* Thes. q. v.
Gotfridus *Viterbiensis*, q. v.
Gregorius, S., Magn., Op., Paris. 1705.
——— S., Naz., Op., Paris. 1630.
——— S., Nyss., Op., Paris. 1638.
——— S., Turon., Op., Lut. Paris. 1699.
Gretserus, Jacobus, Βασιλικὸν Δῶρον. Ingolst. 1610.
Guicciardinus, Franc., Hist. Ital. (Latine) Basil. 1566.
Guntherus Ligur. de Gestis Frid. I., Basil. 1569.

Harding, J., A Reioindre to M. Jewell's Reply, &c., Lovan. 1567.
Harmonia Confessionum, Genevæ, 1581.
Hart, John, The sum of the conference between John Rainoldes and, Lond. 1598.
Haymo Halberstat. in Apoc., Paris. 1535.
Hermannus Contractus, Chronicon, apud *Pistor.* Rer. Germ. Script., q. v.
Herolt, J., Promptuarium de Miraculis B. M. V., Mogunt. 1612.
Hesselius, J., in Decal., Lovan. 1567.
Hesychius Hieros. apud *Bibl.* Max. Patr. q. v.
Hieronymus, S., Op., Veronæ 1735.
Hilarius, S. Pictav., Op., Veronæ 1730.

Hippolytus, S., Op., Hamb. 1716.
Historia aliquot nostri sæculi martyrum, Mogunt. 1550.
Hosius, Stanisl., Op., Col. Agr. 1584.
Hotomannus, Franc., Brutum Fulmen, apud *Goldasti* Monarch, q. v.
Hugo, Card. de S. Caro, Postilla, Paris. 1530—1545.

Innocentius I., Epist. apud *Concil.*, Paris. 1675, q. v.
Innocentius III., Op., Col. 1575.
Irenæus, S., Op., Venet. 1734.
Isidorus Hispal., Op., Col. Agr. 1617.

Jacobatius de Conciliis, apud *Conc.* Paris. 1675, q. v.
Jacobus I. (Rex Angl.) Op. Anglice, Lond. 1616.
——————— Latine, Francof. ad Mœn. 1689.
——————— Præfatio Monitoria, Lond. 1610.
——————— Apol. pro Juramento fidelitatis, ad calc. Præf. Monit.
Jansenius, Cornel., Comm. in Concord. Evang., Lugd. 1597.
Jardine's Criminal Trials, Lond. 1832.
Joachim, Abbas, Concord. V. et N. Test., Venet. 1519.
——————— in Apoc., Venet. 1527.
Joannes *Damascenus*, q. v.
——— *Parisiensis*, q. v.
Josephus, Flav., Op., Amst. 1726.
Jovius, Paulus, Op., Basil. 1578.
Juris Canonici *Corpus*, q. v.
Justinus, S., Martyr, Op., Paris. 1742.
Justinianus, Petrus, de Reb. Venet., Venet. 1560.
Justitia Britannica, Lond. 1584.

Krantzius, Alb., Op., Francof. ad Mœn. 1575.

Lactantius, Op., apud Gall. *Bibl.* Patr. q. v.
Lanfrancus, Op., Lut. Par. 1648.
Langius, Paulus, Chron. Citizens. apud *Pistorii* Rer. Germ. Script. q. v.
Lapide, Cornelius a, in Gen., Antv. 1616.
——————— Apoc. Antv. 1627.
Laziardus, Epit. Hist. Univ., Basil. s. a.
Leo, S. Mag., Op., Venet. 1753, seq.
Lipsius, J.
———, Diva Virgo Hallensis, Antv. 1604.
——————— Sichemiensis, Antv. 1605.
Literæ Soc. Jesu Ann. in Annis 1602, 1603, Mogunt. 1607.
Lombardus, Petrus, Liber Sent., Col. Agr. 1676.
Lucifer Calaritanus, apud *Bibl.* Max. Patr., q. v.
Lutherus, Mart., Op., Jenæ, 1564, seq.
Lyranus, Nic., apud *Biblia* Sacra, Lugd. 1589, q. v.

Maldonatus, Joan., in Evang. Mogunt. 1611.
Manriq., Th., Cens. in Glossas Jur. Can., Colon. 1572.
Mantuanus, Jo. Bapt., Op., Antv. 1519.
Mariana, Jo., de Rege et Regis Institut., Mogunt. 1605.
Marianus Scotus, apud *Pistorii* Rer. Germ. Script. q. v.
Marta, de Jurisd., Aven. 1616.
Massonius, Papyr., de Episc. Urbis, Paris. 1586.
Matthæus *Parisiensis*, q. v.
Maximus Taurinensis, apud *Bibl.* Max. Patr. q. v.
Medina, Michael, Apolog. Joan. Feri. Mogunt. 1582.
Mendham's, J., Literary Policy of the Church of Rome, Lond. 1830.
Minutius Felix, Cantab. 1712.
Montanus, Arias, Elucid. in omnia Apost. Script., Ant. 1588.
——————— Psalm. David in latinum carmen conversi, Antv. 1573.
——————— in Duod. Prophetas, Antv. 1571.
Moses Bar. Ceph. De Paradiso, Antv. 1569.

Naclantus, Jac., Op., Venet. 1567.
Napeir, on the Revelation, Edinburgh, 1593.
Navarrus, Mart. *Azpilcueta*, q. v.
Nauclerus, Joan., Chronogr., Col. 1579.
Neander, Synopsis Chronolog. sine l. et a.
Nebrissensis, Æl. Ant., de Bello Navarens., Granat. 1545.
Neubrigensis, Gul., Hist. Oxon. 1719.
Nicephorus Callistus, Op., Lut. Paris. 1630.
Niem, Theodor. a, apud *Schardium* de Jurisdict. q. v.
Nilus de Primatu Papæ, apud *Goldasti* Monarch., q. v.

Occham, Guil., apud *Goldasti* Monarch. q. v.
Œcumenius, Op., Lut. Paris. 1631.
Oleastro, Hieron. ab, Comm. in Pentateuch., Lugd. 1588.
Optatus, S., de Schism. Donat., Lut. Paris. 1702.
Origenes, Op., Paris. 1733, seq.
——————— Latine, Basil. 1571.

Otto Frisingensis, Chron., Basil. 1569.
——— de Gestis Friderici I., Basil. 1569.

Palmerius, Chron. cum continuat., Paris. 1512.
Panvinius, Onuphr., Hist. Rom. Pont. ad calc. *Platinæ*, q. v.
——— Epitome Rom. Pont., Venet. 1557.
——— de Episc. Tit. et Diacon. Cardin, ad calc. Epit. Rom. Pontif.
Parisiensis, Joannes, de Potest. reg. et papali apud *Goldasti* Monarch. et *Schardium* de Jurisd., q. v.
——— Matthæus, Hist. Maj., Tigur. 1589.
Parsons, (seu Persons) Rob. The judgment of a Catholick Englishman ... concerning a book lately set forth and entituled 'Triplici Nodo,' &c., 1608.
——— The three Conversions of England, s. l. 1604.
Paulus Venetus, Consid. Censur. Pauli v., apud *Goldasti* Monarch., q. v.
Paulinus, S., apud *Bibl.* Max. Patrum. q. v.
Paulus Diaconus, apud *Bibl.* Max., Patr., q. v.
Pelletier, La Religion Catholique soustenue . . contre le livre addressé aux Rois . . par Jaques I. Paris 1610.
Pererius, Bened., Comm. in Gen., Col. Agr. 1601.
——— Daniel. Lugd. 1591.
Petrarchus, Franc., Op., Basil. 1581.
Petrus de *Vineis*, q. v.
Philopater, And., (i. e. Rob. Parsons) Resp. ad edicta Eliz. Reg., Romæ 1593.
Picus, Joan., Mirandula, Op., Basil. 1601.
Pighius, Alb., Hierarch. Assert., Colon. 1574.
Pistorius, Joan., Rer. Germ. Script., a Struvio, Ratisb. 1726.
Pithœus, P., Op., Sacra, Juridica, &c. Paris. 1609.
Pius II., Abbrev. Blondi, ad calc. Flav. Blondi Hist., Venet. 1484.
Platina, Bart., de Vitis Pontif., Col. Agr. 1610.
Plato, Op., Lond. 1826.
Plutarchus, Op., Francof. 1620.
Politianus, Ang., Conjurationis Pactianæ Comment., Neap. 1769.
Polonus, Mart., Chron. Rom. Imp., Col. Agr. 1616.
Pontificale Pii IV., Venet. 1561.
——— Clement. VIII. Romæ, 1595.
Primasius, Comment. in Apoc. apud *Bibl.* Max. Pat.
Procopius Gazæus, Comm. in Octateuch., Tigur. s. a.
Prosper, S., Op., Lugd. 1539.
Prudentius, Op., apud *Bibl.* Max. Patr. q. v.

Rabanus Maurus, Op., Col. Agr. 1627.
Radvicus de Gestis Friderici I., Basil. 1569, ad calc. Otton. Frising.
Raynaldus, Ordericus, Contin. Annal. Baron., Romæ 1646, seq.
Remonstrance . . des Gents du Roy, et Arrest de la Cour de Parlement . . sur le libure intitulé, 'Tractatus de Potestate Summi Pontificis, . . . Auct. Card. Bellarmino,' s. l. 1610.
Ribadeneira, Catal. Script. Societ. Jesu., Antv. 1613.
Ribera, Franc., in Apoc., Lugd. 1592.
Ruffinus, Hist. Eccl., apud *Auctores* Hist. Eccl. q. v.
——— Exposit. in Symb. ad calc. *S. Cypriani* Op., q. v.
Rupertus Tuitensis, Op., Paris. 1638.
Rymer, Joan., Fœdera, Hagæ Comitis, 1745.

Sabellicus, Marc. Ant. Cocc., Rhapsod. Hist., Basil. 1538.
Sacrarum Cæremon. Lib., Venet. 1582.
Salmeron, Alph., Op., Col. Agr. 1604.
Sanderus, Nic., de Schism. Angl., Col. Agr. 1585, Ingolds. 1586, et Col. Agr. 1628.
——— Visib. Monarchia, Wirceb. 1592.
Schafnaburgensis, Lambertus, apud *Pistorii* Rer. Germ. Script., q. v.
Schardius de Jurisdict., Basil. 1566.
——— Hypomnema ad calc. Epist. Petri de *Vineis*, Basil. 1740. q. v.
Scioppius, Casp., Ecclesiasticus Auctoritati Serenissimi D. Jacobi M. Brit. Regis oppositus, Hartbergæ 1611.
——— Collyrium Regium Jacobo Regi Britanniæ missum, s. l. 1611.
——— Scorpiacum, Mogunt. 1612.
Scotus, Joan. Duns, Op., Lugd. 1639.
Scribanius, Carol., Orthod. Fid. Controv., Antv. 1612.
Sedulius apud *Bibl. Patr. Gall.* q. v.
Serarius, Nic., Litaneutica, Col. Agripp. 1609.
Sigebertus *Gemblacensis*, q. v.
Sigonius, Carolus, de Regn. Ital., Francof. 1591.
Sixtus v., Index Libb. Prohib., Romæ 1590, citat. apud *Mendham's* Literary Policy, q. v.
Sleidan, Jo., Comment., Argent. 1621.
Socrates, Hist. Eccl., Cant. 1720.

Sozomenus, Hist. Eccl., Cant. 1720.
Spondanus, Hen., Cont. Ann. Baron., Lut. Paris. 1659.
Spotswood, J., History of Scotland, Lond. 1677.
State Trials, Lond. 1730.
Steuchus, Aug., Eugubin., Op., Venet. 1591.
Suarez, Franc., in Tert. Partem S. Thomæ, Complut. 1592.
Sulpicius Severus, Op., Lips. 1709.
Summa Constit. Societ. Jesu, Lugd. 1606.
Sylburgius, Fr., Hist. August. Script. Francof. 1588.

Taxa Cancellariæ apud *Tractatus* Juris Universi, q. v.
Tertullianus, Op., Lut. Paris. 1675.
Theodoretus, Op., Halæ 1769, seq.
——— Hist. Eccl., Cant. 1720.
Theophylactus, Op., Venet. 1754.
Thomas Waldens., Doctrinale, Venet. 1571.
Thomas Argentin. in lib. iv. Sent., Genevæ, 1585.
Thuanus, Jac. Aug., Hist., Lend. 1733.
Tillet, Jean du, Mémoire et Advis sur les Libertez de l'Eglise Gallicane, ad calc. Recueil des Roys de France, par Jean du Tillet, Paris. 1602.
Toletus, Fr., Annotationes in S. Lucam, Paris. 1600.
Tortus, Matth., [i. e. Rob. Bellarminus] Responsio ad librum inscriptum 'Triplici Nodo Triplex Cuneus.,' Col. Agripp. 1608.
——— cum Præfat. Typogr. Polit. s. l. 1608.
Tostatus, Alph., Abulensis, Op., Col. 1612.
Tractatus Juris Universi, Venet. 1584.

Ubaldus, Angelus, Perus., super Codice, Venet. 1579.
——— Baldus, Perus., super Decretal., Venet. 1595.
Ugolini Thesaurus, Venet. 1744–69.
Urspergensis, Conrad., Chronicon, Basil. 1569.
Urstisius, Germ. Hist., Francof. 1585.

Valentia, Greg. de, Op., Ingolds. 1603.
Vasquez de Cultu Adorat., Complut. 1594.
——— in Tert. Part. S. Thom. Aquin., Ingoldst. 1610.
Vatablus, Fr., apud Bibl. Sacra, Salmant. 1584.
Vegetius de Re Militari, Lugd. Bat. 1633.
Venetorum Theol. Tractat. contra Paulum v. apud *Goldasti* Monarch., q. v.
Vergilius, Polyd., Angl. Hist., Basil. 1534.
Victor., Sext. Aurel., Append. ad, apud Dionys. Gothofred. Hist. Antiq., Lugd. 1590.
Victore, Rich. a Sancto, Op., Venet. 1592.
Victoria, Franc. a, Relect., Lugd. 1586.
Victorinus, S. apud Gall. *Bibl.* Patrum, q. v.
Viegas, Blas. de, in Apoc., Lugd. 1602.
Vincentius Bellovac., Speculum Histor., Venet. 1591.
——— Lirinens., Commonit., Oxon. 1837.
Vineis, Petrus de, Epist., Ambergæ, 1609.
——— Basil. 1740.
Viterbiensis, Gotf., apud *Pistorii* Rer. Germ. Script., q. v.

Walsingham, Thom., apud *Camdeni* Anglica Normannica, &c., q. v.
Walthramus Naumbergensis de Invest. Episc., apud *Schardium* de Jurisd. q. v.
Wernerus Rolewinck, apud *Pistorii* Rer. Germ. Script., q. v.
Westmonasteriensis, Matth., Flores Historiarum, Lond. 1570.
Whitakerus, Gul., Op., Genevæ, 1610.
Wimphelingius, Jacob., Epit. Rer. Germ. Ant., Basil. 1574.

Zegerus, Tac. Nic., Schol. in omnes Nov. Test. Lib., Col. Agr. 1553.
Zonaras, Annales, Basil. 1557.

ELENCHUS CAPITUM.

CAPUT I.

PAG.

Quod Rex Jacobus sit vere Catholicus 6

CAPUT II.

Quod communis sit causa Regis Anglorum, cum Regibus, et Principibus, Orthodoxis, et Catholicis 75

CAPUT III.

De Comparatione Regis, et Pontificis 94

CAPUT IV.

De Comparatione Regis, et Cardinalis 113

CAPUT V.

Quod Pontifex injuria Regem affecit, cum Brevia, Bellarminus, cum Epistolam scripsit primo; iterum, cum Brevium et Epistolæ defensionem suscepit 148

CAPUT VI.

Quod Cardinalis Bellarminus directe non responderit ad Apologiam pro Juramento Fidelitatis: Adversarius vero statum causæ non mutet, nec ad alia digrediatur extra rem 170

CAPUT VII.

Jacobum Regem nulla ratione hæreseos accusari posse. . . . 204

CAPUT VIII.

PAG.

Non esse dogmata antiquissima, Intercessionem Sanctorum, Missam privatam, Transubstantiationem, et alia, quæ Rex novitia et nupera vocat . 234

CAPUT IX.

Ex secundo Capite secundæ ad Thessal. probabiliter colligi, Romanum Pontificem esse Antichristum 304

CAPUT X.

De Sede, et Duratione Antichristi 321

CAPUT XI.

De Enoch et Elia 329

CAPUT XII.

De quatuor visionibus S. Joannis in Apocalypsi, in quibus Antichristus designatur 379

CAPUT XIII.

Jure merito objecta fuisse Cardinali, quæ Ipse Calumnias dicit, nec ab eo dilui 412

CAPUT XIV.

Defenditur peroratio Regis 443

CAPUT XV.

Non respondisse Cardinalem ad Torti Mendacia, Ementitas Historias, Nova dogmata: ac ne posse quidem 464

CAPUT XVI.

Historiæ Ementitæ 487

CAPUT XVII.

Nova dogmata 493

RESPONSIO
AD APOLOGIAM
CARDINALIS
BELLARMINI, *Quam nuper*
edidit contra PRÆFATIONEM
MONITORIAM.
SERENISSIMI AC
POTENTISSIMI PRINCIPIS
IACOBI, DEI GRATIA
Magnæ BRITANNIÆ, Franciæ,
& Hiberniæ REGIS,
FIDEI DEFENSORIS,
OMNIBVS CHRISTIANIS
MONARCHIS, PRINCIPIBVS,
atque Ordinibus
inscriptam.

LONDINI
Excudebat ROBERTVS BARKERVS,
SERENISSIMÆ REGIÆ MAIESTATIS
TYPOGRAPHVS.
ANNO 1610.

SERENISSIMO,

POTENTISSIMOQUE PRINCIPI AC DOMINO NOSTRO,

JACOBO,

DEI GRATIA, MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ & HIBERNIÆ REGI, FIDEI DEFENSORI, &c.

Et Rege digna Patrono, quæ *Majestati tuæ* nuper cum Pontifice, non tam de *Juramento Fidelitatis*, quam de *Jure Regio* contestata Lis; (Serenissime Potentissimeque Princeps;) et, in ea, quicquid æquus rerum æstimator vel exspectet, vel expetat, prolixe jam a Te cumulateque præstitum est. Nam et *Triplicem* illum (dignum Te vindice) *Nodum* adactis *Cuneis* tuis plane perrupisti[a]; et, qui in pari Tecum discrimine sunt Principes, idem hoc præstare, quanti eorum intersit, fraterne monuisti. Non enim uni Tibi: Regibus, Principibus, Ordinibus, qui per orbem Christianum sunt, in causa hac Anglicana, quæstionem movet Pontifex. Atque id jam plane quæritur, Utrum *Majestati Civili*, in *Civili administratione* sua, jus liberum sit, an precarium: Utrum fundamentis suis stet, an potius ita incertum sit, atque obnoxium Pontifici, ut illius auctoritate refigi, subnervari, atque alio demum transferri possit.

1. Exui possunt potestate omni sua a *Pontifice* Reges, (si *Ipsi* de *Seipso* credimus) *cum id judicat expedire*[b]: Judicat, Ubi

[a] [Vide Præfationem nostram in Torturam Torti.]

[b] [Vide Bell. Recogn. lib. v. de Summ. Pontif. cap. 8. § 'Probatur,' p. 5. B. ad init. Op., tom. i.; et conf. Resp. Torti, p. 24. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 648. A.]

viribus jam valet. Nam, causam illi facile nimis reperire; repertam nemini fas in dubium vocare. Esset enim hoc (assuevimus huic voci jam) *Catholicæ fidei abnegatio.* Ad Reges Hæreticos statu suo movendos alicubi videri vult Cardinalis potestatem hanc restringere: (quanquam parum adjuvaret hæc restrictio, ubi idem ipse Papa solus judicat, quod dogma hæreticum, quis hæreticus [c].)

2. De hæresi non constet, suspectus modo sit, Hæreticisve faveat, abunde habet Pontifex ad depositionem. 3. De Hæresi prætextus nullus sit, nulla vel suspicio; Regem excommunicet tantum, (quod *protervus Aries* sit [d]) vel in eo sat est ut abdicetur. Quis autem ignorat, quam innumeræ hominibus his Excommunicationis causæ, omnes idoneæ: Et quam multi Censuram hanc passi, sine causa? De qua tamen nemo scrupulum moveat. *Spiritualem hominem quis judicet* [e]*?* Ferre sententiam, Pontificis est; Aliorum, parere: Non paret, qui Excommunicatum agnoscit pro Rege; Ni pareat, Catholicam fidem abnegat. 4. Etiam et quem non ligavit, etiam citra Censuram, si *inutilis* [f] modo, tondet, et detrudit de Regno. 5. Subducat se rei Papa, nec quicquam moveat: at penes *Populum* etiam, ut Reges abdicet; nec *Papali* modo jam, sed et *Populi* judicio potestatem hanc deferunt [g]. 6. Et (quod caput est sceleris) in hac *Perduellionum Schola*, in dolore publico, permittunt non exspectari Judicis sententiam [h]. En quam tenui filo pendeant Regum Jura! En, ut alieno arbitrio stent vel cadant! Quis privatus de fundo suo tam undequaque obnoxio vel unam noctem securus dormiat? Ac, privatorum quidem res, quantumvis amplæ, sine vitæ periculo, sine et honoris, in jacturam veniunt: Dignitatis Regiæ, cum vita Regis, arctissima (nec quæ separari possit) conjunctio est.

Non credo hæc non sentire Reges reliquos Christianos, qui adhuc a Pontifice stant. Nam et aliunde moniti sunt. Voluit, jussit Venetum leges refigere, maleficos dimittere:

[c] [Bell. de Rom. Pont. lib. v. cap. 7. § 'Tertia.' Op., tom. i. p. 235. F.]

[d] [Bell. de Rom. Pont. lib. v. cap. 7. § 'Alterum.' Op., tom. i. p. 236. B.]

[e] [Cf. 1 Cor. ii. 15.]

[f] [Bell. de Rom. Pont. cap. 8. § 'Sextum.' Op., tom. i. p. 236. E.; et conf. Decret. par. ii. Caus. xv. Quæst. vii. cap. ii. 'Alius.' Corp. Jur. Can. tom. i. col. 1083.]

[g] [Vide Bell. Recogn. lib. iii. de Laicis, cap. 6. §. 'Quinto nota.' P. 6. C. Op., tom. i. ad init.]

[h] [Vide And. Philopat. (i. e. R. Parsons) Respons. ad Edict. Eliz. Reg. sect. ii. Num. 157. pp. 195, 196. Romæ, 1593, ut citat. apud Tortur. Torti, p. 38. not. [a]. edit. nostr.]

Voluit, jussit *Tuos* hic injuratos esse, ut liberius per nefas ruerent; nec vel explorari Juramento sivit, vel a Scelere retardari[i]. Exin, per *Emissarios* libri passim editi, qui Pontificis directum in Reges dominium astruant: Marta[j] scripsit: sed quem merito rideas. Scripsit et Bozius[k]: sed tam crassa adulatione, tam deformi, ut eum sui pro derelicto habeant. Alii quoque scripserunt: ut quisque Pontifici maxime placere studet, ita in causa hac projectissimus. Accedit tandem, atque implet numerum Cardinalis, cujus et eidem rei, etsi non eadem ratione, desudat industria. Nam et ipse *Idolum suum* (Pontificis potestatem ad Reges deponendos) quasi *Palladium* invehere studet in rem *Christianam*. Plane *Romæ* jam, in *Officina* ibi *dogmatum*, id agitur, ut implexam reddant, atque involutam, ac quasi unam in telam texant cum potestate Spirituali Summa, Summam quoque Temporalem, ac tantum non inserant in *Symbolum* fidei, pro *Articulo* XIII°.: Nempe a Pontifice, qui ipse *Apostoli decimi tertii*[l] titulum ab Impostore famelico delatum, propitiis auribus non invitus admisit. Quis jam, hæc quo tendant, non videt? Quis non flabellis hisce redaccendi ignem denuo; ignem illum quem exire vidit Hildebrandus ex ore suo, (per *famosum illud insomnium suum*[m]:) unde statim in Orbe toto incendium exstitit.

Narro autem Cardinali, si olim segnius ista curabant Principes, non ita semper fore. Propius enim jam introspiciunt, et diligentius excutiunt, quæ scripta aliis; sed præcipue, quæ scripti Illi nuper in hanc rem, in quibus nimis evulgat Arcana Pontificis. Certum autem *Illis* diutius jam non ferre, sic deprimi Regiam potestatem, sic in immensum evehi atque exaggerari *Omnipotentiam Pontificiam, mulctandi Reges vectigalibus, mutandi Regna, de Temporalibus sine Censura statuendi, faciendi, ut qui Reges jam sunt, deinceps Reges ne sient*[n]. Et id Cardinali (credo) jam satis constat, postquam novissimus ei liber (qui et ipse *Tractatus Monitorius*, bono autem

[i] [Vide duo Brevia Pauli V. apud Resp. Torti.]

[j] [De Jurisdict. Par. 1. capp. 18. sqq.]

[k] [De temporali Ecclesiæ Monarchia et Jurisdictione, Auct. Franc. Bozzio Eugubino, Congr. Orat. Presb. Romæ, 1601.]

[l] Baron. [Ann. Eccl.] tom. vi. [in Append.] p. 692. [Edit. Rom.; et col. 906. E. Mogunt. 1601.]

[m] Paul. Bernried. [Comment. de Vit. Greg. VII.] p. 21. [Ingolst. 1610.]

[n] [Vide Bellarm. Tractat. de Potest. Summi Pontif. advers. Barclaium (al. de Excusat. Barclaii,) cap. xxvii. Op., tom. vii. col. 955. A.; cap. iv. col. 864. D.; et cap. xxxi. col. 959. B.]

jure, inscribi poterat: vere enim *Monitorius* est) parum succedit ex sententia: postquam Principum animi inde non leviter læsi: postquam rescivit ubique fere Gentium damnari jam Scriptum hoc suum, eique notam inustam *falsi et detestandi dogmatis*[o], quod Regum saluti, subditorum fidei, paci publicæ perniciosum sit. Et est certe perniciosum, quodque si obtineat, (et nisi Vulcano litent libris his) eorum nemo Principis personam diu tueri poterit.

Mirum autem: decumbit Pontifici saucia ex alto et jam sæpe repetito vulnere Potestas spiritualis, de eaque quotidie hominum magis magisque languescit opinio; Et ille tamen (quo minime tempore opus erat) ingentes tollit animos, ac induit se in Politica Principum, et Arcem ipsam invadit potestatis Regiæ. Videat vero, ne in nervum erumpat illi fortitudo hæc; neve eveniat id ei, quod Camelo in fabula, dum cornua vult a Jove non concessa, ne quas habet auriculas, et eas amittat: cui rei rectam jam viam scripta hæc et planam muniunt. Nec enim alia ratione magis compendiaria maturari videtur Papatus Romani fatalis Periodus, quam, si hoc Dogma fidei suæ, seu potius hoc ulcus perfidiæ, uti cœptum jam est (quantumvis in gratiam Papæ) ad vivum diligenter resecent, in eoque, si pergant porro, suffossum brevi Papismum visuri sumus.

Nec hæc scilicet prius nesciebant Principes. Verum videas *malum hoc sub sole*[p], ubi, singulos unquam adortus Pontifex (nec nisi singulos adoriri solet) pariter animatos esse ubi causa sua sit; at non itidem, ubi *vicinus ardeat*[q]. Dum aliorum potius, quam nostrum negotium agi videtur, lenta plerumque et sera est humana providentia. Communis ea culpa, quod ubi causa communis, ad singulorum ex communi causa contractum periculum non concurritur. Sed postquam jam sentiunt malum hoc serpere indies: vident, vel maturius, alieno periculo sapiendum, vel serius, suo. Nec aliud monuit *Majestas Tua,* quam quid singulis exspectandum sit, nisi universi se asserant: nec aliud cupit, quam, quod singuli

[o] [Vide lib. cui tit. 'Remonstrance et Conclusions des Gents du Roy, et Arrest de la Cour de Parlement du 26 Novembre, MDCX. sur le libure intitulé *Tractatus de Potestate Summi Pontificis in rebus temporalibus adversus Guilielmum Barclaium, Auctore S. R. E. Cardinale Bellarmino. Imprimé a Rome en l'an* 1610.' L'an de Nostre Seigneur MDCX.]

[p] [Eccles. v. 13.]

[q] [Conf. Hor. Epist. I. 18. 84.]

faciunt, ubi res incidit, velint id universi semel effectum dare. Agnoscunt vero tandem jam, qui passim per Christianum Orbem sunt Principes, etiam Pontificii, vera et manifesta monentem *Majestatem Tuam*, et *Te* de hoc facto amant, Monitaque Tua *memori mente recondunt*.

At ægre id Pontificis animo fuit, qui *Monitoribus* his *asper*[r], revocari hæc Regibus in mentem a Rege, non libenter sustinet. Quem ergo prius subornarat, ut, vel sub larva, *Cuneos* tentaret: proritat de novo jam, atque omissa larva immittit in *Monitoriam*. Et huic rei prodiit nobis a Cardinale liber, cui *Apologiæ* nomen fecit, *pro Responsione sua ad Triplicem Cuneum:* sed quæ nihil minus sit, quam *Apologia; Antilogia* potius. Nam, si pro opera sua in revellendis *Cuneis* male posita, respondere voluit, alio illi aspiciendum fuerat: Sed, si bene novi spiritus Cardinalis, refellit aliena libentius, quam respondet pro suis: Et *Regem* lacessere, magis illi ad animum, quam *Tortum* defendere.

Jam (quo forte fastu est,) exspectat denuo ad palæstram *Majestatem Tuam*. Verum primodum justa illi, de integro, ad *Apologiam* tuam *responsio* procudenda: absque qua, prædictum illi, frustra fore, ut *Præfationem* lacessat. Tum, reponenda illi in basin *Quæstio primaria*, quam ille, tota hac *Apologia* sua, tanquam certi naufragii scopulum, declinavit: Et, vel ad protrita sua se recipit, ubi per eandem illi lineam, serra ducitur: vel ad aliena et subnascentia, omnem disputationem convertit. Quid hic ergo dignum, cui Rex ad certamen rediens respondeat? Quem, neque actum agere convenit, neque devium, et a causa præcipua fugacem Adversarium, quocunque se receperit, sequi. Potestasne Papæ sit Reges deponendi, *cum judicat expedire*, hic *Nodus* (cui adhibiti jam pridem *Cunei* tui) dignus fuerat Rege vindice[s]. Evanuit pene hæc jam quæstio apud Cardinalem. Nusquam in *Apologia* tota in hunc finem, quicquam agit serio: *Titulum* vellicat, *Regem cum Pontifice* comparat, *Cardinalem cum Rege*. Tum, An *Cardinalis Regem injuria affecerit*, An *Rex legem suam intelligat*. Quid hæc, ad *privativam* Pontificis *potestatem?* De his, sibi negotium facit; ad hæc, ad hujus generis alia, aut levia, aut a prima causa longe dissita, nos avocat. Quod ergo, Causæ nobilissimæ, (dum quidem eam penitus non

[r] [Hor. Epist. ad Pison. 163.] [s] [Ibid. 191.]

desererent) semel *stylus Regius Majestatis Tuæ*, atque iterum vacarit, satis hoc et Tuorum desiderio et Rerum dignitati. Utriusque Te gloriæ participem videt *Christianus* Orbis, (nec præter *Te* Regem alium) defensæ, non opere solum, sed stylo etiam *Majestatis Regiæ*: Et hæc nostra, in *Te* Rege, felicitas est, quem (quæ olim summa Regis gloria) μυθῶν τε ῥητῆρα, admiramur, πρηκτῆρα τε ἔργων[t].

Quando autem, ad *Scholastica* res jam rediit et velitationes nostras; cur negotium sibi porro det *Majestas Tua?* relinquat hæc Scholis agitanda. Sed neque tuis hic lacertis *Cuneisve* opus; molliore brachio res agi poterit. Vel enim in ista non incubuit Cardinalis serio; vel veteres ei vires non respondent. Locum certe vix relinquit, in quo nervos quis exserat, ita cutim in plerisque vix perstringit. Telam igitur tanta *Majestate* indignam pertexant alii, et quæ utrumque jam Scriptum Tuum circumvolat, *Muscarum* nubem *alii* abigant, voce, stylo, argumentis.—

> Tu regere imperio terras (Rex magne) memento.
> Parcere subjectis, et debellare superbos.
> Hæ Tibi erunt artes[u],

Hanc curam, quam amplecteris bono publico, oramus, strepitu *Scholæ Æquivocæ* ne sinas ulterius interpellari. Dum nobis, ex lite lis, ex Responsione Responsio incumbit, dum per *Adversarii* declinationes a causa maxima, ad leviora subinde alia atque alia, divertere cogimur; nequid hic tanti Tibi sit, ut stylum Regium iterum ad ista distringas; nequid, ut pretiosa tua tempora moretur, obsecramus. Sat erit, si legendis velitationibus nostris, et quasi de littore, prospiciendis reciprocis contradicentium assultibus, horæ Tibi surreptitiæ curis majoribus, supererunt.

Ad *Tuam* vero *Sacram Majestatem*, cujus victoriæ insistimus, cujus reliquias prosequimur, quicquid hoc est, quod secundo jam ad *Bellarminum Ex-Tortum* reponimus, gestit se recipere. Tibi debetur hoc totum, Tuis *Auspiciis* susceptum, Tuis *vestigiis* ad finem perductum, Tuum sibi *Tutelare Nomen* libenter prætendit. Expertus in *Torto Retorto* Patronum tam benignum, tam æquum Judicem: audentior eandem *Serenissimæ tuæ Majestatis* clementiam accedo. Quam facilem veniæ, *Illa*, *Te* invenit, tam facilem et hæc *Responsio*

[t] [Hom. Il. ix. 443.]

[u] [Virg. Æn. vi. 851—3.]

inveniat. Utraque, ab eodem profecta, et subditi, et grati animi officiis devinctissimo; ad eundem finem directa utraque (ut rei simul *Christianæ*, simul *Regiæ* inserviret:) contra eundem utraque Adversarium, utraque pro eodem Rege optimo, eodem affectu, et favoris spe, judicio (quod plurimi facio, id est) Tuo subjicitur. Cui si se probarint: non morabor, etsi, et hæc quoque, ut jamdudum superior Responsio, parum candide habeatur apud genus hominum, inimicum pacis publicæ, inimicum potestatis Regiæ. Tanto autem minus, quod non nos modo, sed imprimis *Ducem* hujus *militiæ Majestatem Tuam*, (quam ad vestigia sequimur) ignavi eminus allatrent. Unum quod possunt faciunt. Atque ut ultra, nihil unquam possint, Deum Opt. Max. supplices veneramur; qui Majestatem Tuam ad tempus ævi mortalis, quam longissime incolumem, in Columen Christianæ rei conservet; cum spe prospera, *Domus Tuæ Regiæ*, in perpetuam Regnorum et Virtutum successionem, æternum duraturæ.

Serenissimæ Majestati tuæ

a Sacris, ab Eleemosynis,

Subditus Servusque Devotissimus,

L. ELIENSIS.

AD LECTOREM.

IMITATOR scriptionis et Consilii Regii, non quidem in iis, quæ maximi momenti sunt (quod vellem) sed imitator tamen Cardinalis. Ne non Regem sequatur æquis passibus; post *Apologiam suam* a *Serenissimo Rege* agnitam et defensam contra Tortum: habes jam (Lector) a Cardinale nuper oppositam Torti hujus (qui nunc ipse Cardinalis est) *Apologiam*. Illa autem quod inscripta *Sacratissimo Cæsari, Potentissimis Regibus, Excellentissimis Principibus*; habes et hujus hanc, similiter inscriptam. Defuit tantum, ut exemplo Regio, *Fratres, Consanguineos, Affines* in operis inscriptione compellaret. Sed, neque nomen suum priori Responsioni apposuit, nisi Editione tandem altera, postquam Rex Nomen suum professus fuerat. Nec causam aliam dignatur præ se ferre, nisi ab exemplo Regio, cur, cum posteriorem Responsionem daret, et priorem una recudi voluerit. Tum, quia *Regiam Majestatem* decuit, postquam ad objecta contra *Apologiam suam*, (quæ voluit et visum erat) responderat, cætera Theologis prosequenda relinquere; ideo et ipse multa, quæ contra Tortum suum a nostris excipi cognoverat, Theologis suis relinquere voluit, Gretsero, Capello[a], Coquæo. Etiam, cum plures contra Tortum suum scripsisse intellexerat; non respondet ipse nisi soli *Regi*: Sic enim *Regem* viderat, non nisi soli sibi.

Ac *imitari* quidem non placet; (Quorsum enim, vanitatem tam perversam?) Id unum modo placet, transumere, quod alicubi habet, de Præfatione[b] ipsius in nostram: ubi, locum

[a] [Vide lib. cui tit. 'F. M. Antonii Capelli Franciscani Conventualis adversus prætensum Primatum Ecclesiasticum Regis Angliæ Liber, &c. Bononiæ. 1610.']

[b] [Bell.] Præfat. in Gymn. Rom. 1576. [(pp. 3. 4.) ad init. Op., tom. i.]

prolixum de Satana Ordinis perturbatore, Methodico tamen derepente facto, et non sine ordine, Capita Christianæ fidei oppugnante; quasi commodato nobis offert. In quo, narrationem eo deducit tandem, ut antiquas hæreses, a Symboli Apostolici Articulo primo exorsas, post progressus et repulsas varias, ad Articulum de Sancta Ecclesia Catholica (*ubi de Capite et membris Ecclesiæ*) de Communione Sanctorum (*ubi de Sacramentis et cultu divino*) tum ad alterum, de Remissione peccatorum, tandem prolapsas existimet: In his autem, ad extremum Satanam constitisse.

Mitto autem hoc loco quærere; qua in turbandis Articulis arte utitur Satanus, *μεθοδεία* ea sit, an *κυβεία*[c]? Tum et illud; an a vero fonte arcessat sæculi hujus Controversias: jam inde potius enatas, (ut nonnullis videri solet) cum Pontifex, prætextu retinendarum Imaginum, exclusit Italia *Constantinopolitanos Imperatores*[d]; primusque auctoritate Papali (seu palam id, seu tecte) defectionum a legitimo Principe, e religionis causa arrepta occasione, auctor fuit: atque ita, una *Proditiones*, una *Idololatriam* invexit in rem Christianam. Mitto (inquam) hæc quærere.

Ut demus ei, quod valde vult, ad Articulos quos dicit rediisse rem; nec pugnemus de digestis temporum: Ac, reliqua, non illa quidem exigui momenti, quæ vero *de Ecclesia* disputantur, ea ponderis esse omnium vel maximi, ad quæ jamdiu cætera fere omnia referuntur, et quasi respiciunt.

Sed, in istis etiam, quæ ad *Articulum de Ecclesia* revocantur; ut Caput eminet præ corpore, ita et hic eminent præ reliquis Quæstiones, de *visibili Capite Ecclesiæ*, (ex sententia Cardinalis) ad easque jam pene omnis de Ecclesia contentio recidit. Nec in istis tamen æque omnibus, accurate versatur: sed in iis (ut par est) maxime, (quæ Ipsi maximi sunt,) quibus *potestas Pontificis* asseritur, quam, immane jam quantum evehant in immensum. In *potestate* denique hac ipsa, maximum quod quæritur, illud est; quod et Præla jam ubique et Scholæ resonant, de *potestatis* hujus *limitibus;* quousque se extendat, ubi sistat: an etiam, in

[c] [Eph. iv. 14.]

[d] [Gregorius II. Leon. Isauricum ab Italia expulit. Vide Zonaræ Annal. tom. iii. p. 85.; et Cedren. Hist. Compend. p. 373.]

disponendis rebus Regum, et Regnorum, jus arbitriumque Pontifici, *supra Reges*, deferendum: sive, ut *Papæ*, per Censuram: sive etiam citra censuram, ut *Principi Spirituali?* Sic ergo, gradatim, iterumque quasi methodice provectæ, circa rem Religionis, Controversiæ. In omnibus nostri temporis, primas tenent illæ de *Ecclesia:* In his de Ecclesia nihil magis quæritur, quam de *summo Pontifice:* In hoc de *Pontifice*, nihil magis, quam de *potestate* quam vindicat. In hac ipsa denique *potestate*, maxime jam incumbit rei Christianæ, quæ est de *rebus Regum temporalibus*. Hic jam apex Controversiarum est, quarum ex omni antiquitate collectus impetus in nostram ætatem redundavit.

Hanc *in Temporalibus potestatem*, quam sibi sumit Pontifex, ope Jesuitica radices nostra hac ætate in opinionibus hominum altius agentem, latius propagatam, jamque non obscure fundamenta *Juris Regii* pacisque publicæ labefactantem, nondum animadverterant, aut certe neglexerant aliquandiu, Principes Christiani. Jamque *de fide* esse, et inter præcipua fidei Capita censeri cœperat: Unde, siqui judicio valerent, hoc nomine territi, conticescerent: Et dum Hæretici audire metuerent, veritatem interim hæresis calumnia prægravari sinerent.

Sed hæc prius fuere. Jam detectæ fraudes, detriti fuci, excussa larva, aperta rerum facies. Nuda in propatulum producta omnia, causa cum causa componitur. Nunquam animis aut conatibus magis utrinque certatum. Nec deest successus exspectatus: Quin, explosa jam plerisque hæc Pontificis ambitio, et injusta Juris non sui usurpatio. Quibus hæret adhuc alioqui nonnihil de fermento Pontificio; etiam *Principibus* ipsis, et *Monarchis*, lux nova exoriri: unde facile Jura Sceptri et jura Clavium internoscant.

Nefas hic silentio præteriri *Auctorem* hujus tanti beneficii, Auroræ nostræ *Phosphorum*, *Ducem* atque *Auspicem* hujus Controversiæ, *Serenissimum*, *Potentissimumque Principem Jacobum Magnæ Britanniæ Regem:* qui, primus facto scriptoque Jus suum Sibi, Secumque una, et reliquis vindicavit. Debetur Illi hoc nomine a Principibus gratia: debetur et a nobis, quibus *Adversarium* communem, ita tandem debellandum tradidit, ut eundem Ipse prius lethaliter saucium, et semianimem reliquerit: quemque fudit Ipse, fugavitque

prælio semel atque iterum: aliis jam relinquit castris exuendum. Diffidit nodos, sinus evolvit, involucra explicuit; Quod sentibus obsitum fuerat, et pene invium iter, quasi *valida bipenni armatus* expediit, et jam

——— Lato nos limite ducit *.

Cujus, qui expolitum varia scientia ingenium, et ad abstrusissima quæque scrutanda, judicium acerrimum, (nec, hoc solum, ex libris editis, in quibus vivam præstantiæ imaginem indefessi intuemur, sed ex accessu etiam propiore, et observantia pene quotidiana) intelligimus; si in tanta rerum memorabilium copia tacendum nobis putaremus, non tam assentationis notam metuere, quam invidentiæ mereri videremur. Testes mihi, quos dimittit quotidie doctiores.

Nec pœniteat ergo, ex adversariis ipsis, qui judicio valent, tanto *Monitore* resipiscere: at Nostri non alia sequenda sibi proponant, nisi Hujus tanti *Ducis* pressa vestigia. Etiam *Principibus* ipsis, non minus salutare sit, quam honorificum, ad Pharum hanc, quam (in Occidentis Insula,) in argumento omnium maximo mobilissimoque, in nostri temporis Controversiarum Apice Summo, erexit longe conspicuam *Rex Maximus, Regiæ* in commune *potestatis* vindex acerrimus, consiliorum suorum cursum, quasi navigationem, dirigere.

Nec memorandus nobis frigide, aut non omnibus gratæ memoriæ officiis semper prosequendus, hic animus *Regius* tam sollicitus, tam vigil de Summa Religionis: et, in ea, de iis præsertim Capitibus, quibus pacis publicæ innixa fundamenta; nec Nostræ modo Insulæ, sed totius *Orbis Christiani* salus; et ante omnes, *Principum*. Hoc in genere curarum, quo magis dignum, quo minus usitatum *Regibus*, aut excellere, aut anxie versari: quo minus digna Adversariorum tergiversatio, cui *Majestas Tanta* refutandæ, vel vacet ipsa, vel vacari ab aliis jubeat: quo minus denique cedunt aut succumbunt, (utcunque malæ causæ conscii) quin omnes in hanc contentionem ingenii atque artis vires effundant: eo magis Lector, *Serenissimo Potentissimoque Regi* immortalem gratiam voto publico profitebere.

Cujus unius, et propria opera tantum jam præstitum, et vero exemplo atque auspiciis tam multa, jam ad veritatem tantis de rebus excutiendam, ventilata. Nostram operam

* [Virg. Æn. ix. 323.]

sileo (cujus tenuitatem non nescio) at non aliorum excitata ingenia, inflammata studia undique; non aliter, quam cum in præliis milites—

Accensos monitis, et clara tuentes
Facta Ducis, mistus dolor et pudor armat in hostem[f].

Etiam *Principes* exteri, lenti hactenus, ad clangorem *Monitionis Regiæ*, excitari tandem, et *Rege* Tanto facem præferente, penitius in causam totam introspicere, et sentire jus suum.

Pontificii autem asseclæ tanto magis obstrepere undique, et cum dentes imprimere nequeant, saltem circumlatrare. Prosiluit autem primus Cristanovic[g]; quem sequutus statim nequissimus Sycophanta Pacenius[h]; et, qui stultitia et audacia parem facile non fert, Becanus[i]; et dum viveret[k], Davus in Comœdia Personius[l]; jam, qui mole rem agit, magna mole, nullo pondere Coquæus[m]; et Portentum nominis, Portentum hominis, Andræas Eudæmon Joannes Cydonius[n]. (Schoppius[o] enim hæret adhuc scopulis.) Nec deest etiam ex Gente optima *Scurra pessimus*, impuri oris, tetri spiritus, *Gallus*, sed *dedecus atque infamia* Patriæ unde Transfuga, Religionis ad

[f] [Vide Virg. Æn. x. 397. 398.]

[g] [Examen Catholicum edicti Anglicani, quod contra Catholicos est latum, Auctoritate Parlamenti Angliæ, Anno Domini MDCVI. Auctore Stanislao Cristanovic IC^to. Parisiis. MDCVII.]

[h] [De hoc auctore ita legimus; "Amongst all books that have been written, in this kind, two are most scurrile, detestable, erroneous, lying, sacrilegious; of which one is masked with the name of Bartolus Pacenius, a pretended Polonian."—Rich. Sheldon's 'Certain general Reasons proving the Lawfulnesse of the Oath of Allegiance,' p. 39. Lond. 1611.]

[i] [Serenissimi Jacobi Angliæ Regis Apologiæ et Monitoriæ Præfationis . . . Refutatio, Authore Martino Becano Societatis Jesu Theologo. Moguntiæ. Typis Johannis Albini. Anno MDCX.]

[k] [Obierat Rob. Personius April. v. (al. xv.) A.D. 1610. Vide Ant. Wood Athen. Oxon. tom. ii. col. 79. Lond. 1815.]

[l] [Vide lib. cui tit., 'The Judgement of a Catholicke Englishman . . concerninge a late Booke set forth and entituled "Triplici nodo," &c. Permissu superiorum. Anno 1608.']

[m] [Examen Præfationis Monitoriæ Jacobi I. Magnæ Britanniæ, et Hiberniæ Regis . . . Christianis omnibus Monarchis . . . dicat et vovet F. Leonardus Coquæus Aurelius, Eremita Augustinianus. Friburgi Brisgoiæ, 1610.]

[n] [R. P. Eudæmon-Joannis Cydonii e Societate Jesu ad Actionem Proditoriam Edouardi Coqui Apologia pro R. P. Henrico Garneto Anglo, ejusdem Societatis Sacerdote. Col. Agr. 1610.]

[o] [Sciopius vero postea edidit. (1.) 'Ecclesiasticus Auctoritati Serenissimi D. Jacobi Magnæ Britanniæ Regis, oppositus, &c. Hartbergæ, 1611.' (2.) 'Collyrium Regium Jacobo Regi Britanniæ missum, (s. l.) apud Holofernem Kreigsederum. 1611.' (3.) 'Scorpiacum . . . quo adversus Serenissimum D. Jacobum Magnæ Britanniæ Regem, recitatis Magdeburgensium Centuriatorum testimoniis luculentissime demonstratur, Ecclesiæ Romanæ fidem omnibus sæculis jam inde ab Apostolorum ætate in universo mundo annunciatam fuisse, &c.' Mogunt. 1612.]

quam Apostata[p]: Is cum in ipsa Roma, rabulas omnes et scurras vel *Romanos*, longo post se intervallo relinquat; nec tam scribere dicendus sit, quam furere, et bacchari: ignobilis mihi abeat, ne chartam male ominato nomine incestet. Sepono libenter ab his, atque aliam in classem repono, ad maledicta non tam projectos, etsi Regio, vel Juri vel Dignationi nihilo æquiores, Coffetæum[q], Peleterium[r], et (qui præter morem suum, paululum hic se cohibuit) Gretserum[s]. Non possum dicere, nemo ex hoc (nedum ex illo) numero mihi abiit intactus. Atque hi ad unum omnes, Regiis argumentis impares, postquam de Summa rei, sensere omnem sibi lapidem moveri frustra: nec jam possunt per infixos illis, atque hærentes rationum aculeos quiescere, aut non efferari: de se, de causa sua improvidi, non ut sanentur ipsi, sed ut Auctorem vulnerum suorum, qua pote, vulnerent, id jam agunt. Nec hoc contentione justa, aut argumentorum vi: Inutile telum *Dialecticum*, quod, toties jam in sua viscera retortum, dudum abjecere. Superest Canina eloquentia, ac mendaciis et calumniis amentatæ hastæ. Has arripiunt, his armis quasi pro palma Convitiatorum decertant. Nec ulla unquam ætas vidit, aut ea de palma certari acrius: aut candori vel modestiæ et

[p] [Respicit forsan Reboullum quendam, de quo ita legimus apud Is. Casaubonum, in Ephemerid. suis, "Forte . . habebat (Rex) in manibus librum Satanicum a Reboullo editum, qui furore tanto in Regem maximum est grassatus, ut ipsæ furiarum pestes in illo conscribendo videantur operam dedisse. Suspicabatur Rex, Perronii esse illum male natum fœtum. Sed nos multis probavimus, esse opus Reboulli, hominis impii et fanatici;" (Is. Casaub. Ephemer. pp. 784. 5. Oxon. 1850); et in Epistol. ML. ad Thomam Mortonum, Jan. ii. A.D. 1612, "Audi et novum ab urbe Roma nuncium. Meministin' ejus libelli, quem legebat Regis Majestas, cum vos me ad ipsum adduxistis? Liber erat furiosus furiosi hominis (vel potius dæmonis), quo Genevæ sum familiariter usus. Ille Alastor se venturum in Angliam minabatur, populos in Regem concitaturum, ipsum serenissimum Regem (horresco referens) suffocaturum. Credo metuere te ab isto novo Goliatho et Pyrgopolinice. Desine timere. Suspensus est ante aliquot septimanas. Ubinam, inquies? Romæ. Cujus jussu, et qua de causa? Papæ jussu, propter violatam Regum majestatem. Neque potest dubitari appellatione Regum, intellectum esse Regem serenissimum Jacobum. Nam quem alium Regem læserat? Profecto nullum." (Is. Casaub. Epist. p. 611. Roterod. 1709.)]

[q] [Response à l'Advertissement adressé par le Serenissime Roy de la Grande Bretagne, Jacques I. à tous les Princes et Potentats de la Christienté, apud Œuvres de Nic. Coeffeteau, pp. 313—400. A Paris 1622.]

[r] [La Religion Catholique soustenue en tous les poincts de sa doctrine, contre le livre addressé aux Rois . . . par . . . Jacques I. &c. A Paris MDCX.]

[s] [Βασιλικὸν Δῶρον, sive Commentarius Exegeticus in Serenissimi Magnæ Britanniæ Regis Jacobi Præfationem Monitoriam; et in Apologiam pro Juramento Fidelitatis. Auctore Jacobo Gretsero, Societatis Jesu Sacræ Theologiæ in Academia Ingolstadiensi Professore. Anno MDCX. Ingolstadii, Ex Typographeio Adami Sartorii.]

ingenuæ concertationis legibus minus tribui. Etiam, obliti Juris Gentium, Ipsi (quam vel Barbari venerantur) Majestati non parcere, parum Ei, vel nihil, deferre, et ita quisque minimum, ut ipse minimi est et nihili. Huc jam deducta res ab Adversariis.

Nam quod Cardinalem Bellarminum (qui post Pontificem primus immiscuit se liti huic, et quasi Aries Gregis secuturi, in certamen prodiit) exsortem et postremum nominem, non mirabere. Is Doctrinam hanc evertendis Imperiis natam nuper revocavit: Is ei promovendæ (laxa jam catena) totus incumbit. Quam tamen (credo) tractabit dehinc cautius, postquam tanti sibi videt stetisse, quod nuper adeo infeliciter tentavit in Barclaium. Quod enim Causa Anglicana (cui non alium in finem ab initio ingessit se) frustra ab eo flagitarat, ut in quæstionem de Papali in Regnis transferendis, Regibus abdicandis potestate, altius se demitteret; suscepta refutatione Hominis jam defuncti, qui respondere non posset, tandem ultro præstitit. Sed respondebit vel defunctus: etsi nihil opus, pro quo totius pene Orbis Christiani in Cardinalem Censura abunde jam satis responderit. *Tractatum* eum, multo quam *Apologiam* ejus, justius dixeris, *Responsionem ad Regis Cuneos*. Quam autem parum benigne acceptus labor in eo Cardinalis, quis nescit? Ut qui, tam multa ibi indignissime et derogarit Regiæ, et arrogarit Pontificiæ potestati: nec metuerit pro Catholicis Dogmatibus Semina defectionum et proditionum tam palam divulgare, etiam unde Cives perditi patrocinium sibi a Religionis specie arripiant: ut merito tandem intolerabilis, Orbi Christiano, fidei Catholicæ Magister judicetur. Nec jam unius Regni Gallicani, sed et plurium judiciis notatus sit, et apud suos *Romano-Catholicos* inimicus civilis obedientiæ audiat, et non auctoritatis modo, sed et securitatis ac salutis Regiæ.

Mihi vero, in Responsione hac levior futurus erat labor (itidem et tibi Lector) quæ sparsim hic recurrunt apud Cardinalem eadem de re toties, ad certa Capita revocandi. Id, quo minus in priore fuerit, quo minus et in hac præstitum sit, faciunt importuni quidam, qui desultorie singula legentes, ubi in aliquid Adversarii forte incidunt, cui eodem statim loco (quo exspectant ipsi) responsio non subjicitur, (etsi alibi abunde satisfiat) actum clamant de causa: illud *Herculeum* fuisse, et

per fraudem prætermissum, quod (quo ipsi volebant loco) responsum non reperiant. Quare vestigia premere visum: Caput Capiti regestum est, et Sectio pene Sectioni.

Deducto autem ad umbilicum jam libro, cum in seriem ejus inseri commode non possent verba Cardinalis, Margini ea, e regione visum est ascribere, quibus in Contextu respondetur: interdum quidem paulo magis contracta (ubi locus scilicet angustior, et charta excluderemur) recisis, quæ abesse poterant, voculis quibusdam, sed relictis, in quibus vis integra sententiæ; ut nihil ei pereat de argumenti pondere. Hoc te paucis (Lector) admonitum volui.

AD CARDINALIS BELLARMINI 1

APOLOGIAM RESPONSIO.

ÆQUIVOCUM animal TORTUS, eat jam sane, quo dignus est: Cardinalis ipse nobis comparuit. Ac se Tortum fuisse [a]: vel sub Torti *speciebus delituisse* [b], fatetur ultro. Latent ergo Romæ, non uno modo, sub larva S. R. E. Cardinales. [SeTortum fuisse Bellarminus fatetur,]

Nec *bene* tamen *noster* hic *latuit* [c]: nec, cur ita *latuit*, rationem reddit satis idoneam; nempe, *quia Regi visum nomen suum celare*, idcirco visum Cardinali, nomen *falsum præscribere*. Atqui, *celare verum*, interdum licet; *præscribere falsum*, nullo modo licet. Certe, non licuit olim, ante nuper natos e Schola nova æquivocos Christianos.

At, illa satis idonea, cur jam tandem *compareat*: vel Ipsum audite, apud Cæsarem et Principes queribundum, et quid doleat, cur prodeat enarrantem. *Cum ego pungar* [d], inquit. Fatetur, quod res est, *pungi* se; Aculei, quos habet Liber Regius, *pupugerunt* hominem, vel ipso confitente: ut, qui ante se MATTHÆUM TORTUM, idem jam se MARCUM PUNCTUM scribere potuisset: nisi quod MARCI nomen minus forte arrideat, propterea quod MARCO nuper nonnulla cum [Sua persona tandem comparet,]

[a] ["Ad eum librum (Regis Jacobi) . . . breviter et modeste respondere studui. . . . Quia vero regius liber nomen auctoris non præferebat; visum etiam mihi est justis de causis nomen meum ita tegere, ut tamen juxta regulas Ecclesiasticas nomen alicujus docti viri liber gereret, qui, si opus esset, de libro edito rationem redderet."— Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. coll. 705. D, 706. A.]

[b] [Verba Bellarmini de præsentia Christi in Eucharistia.] — Recog. p. 77. [p. 8. A. Op., tom. i. ad init.]

[c] [Vide Ovid. Trist. iii. 4. 25]

[d] ["Sed quia cum in tota Præfatione, atque adeo in toto libro ego pungar, ego carpar, etc."— Bell. Apol. pro Resp.] p. 4. line 1. [Op., tom. vii. col. 706. D.]

PETRO simultas extitit. *Punctionis* hujus dolor, quem sensit vel *personatus*, fecit, ut personam exueret. Bacchanalia enim jam non esse, (in quibus S. R. E. Cardinales nonnunquam :) serio rem agi, nec jam expedire, ut *larvatus* incedat amplius.

Prodiit ergo tandem, sed sic, ut amici ejus futurum fuisse putent magis consultum, si resumpta *larva* etiam nunc quoque latuisset. Poterant Tortum decere multa, obscurum
2 hominem, quæ Bellarminum non decent. Plus multo a Presbytero Cardinale, quam a Presbytero Sacellano quæritur. Nomen ipsum Bellarmini præscriptum, nescio quomodo, magnam aliquam de scripto expectationem concitat : Bellarmini (inquam), quem diu jam ruinam minitans causa Romana Atlantem habuit.

[languidus tamen et effœtus.] At hic nobis ab illo liber multum omnibus infra spem subsistit. Quod, nisi Titulum suum in fronte notasset, et esse hæc a *Roberto Cardinale Bellarmino ;* vix (credo) quisquam tam de eo sensisset abjecte, ut hæc ab illo putaret, tam effœta, tam languida proficisci unquam potuisse. Vere enim ubique jacet toto libro, et se vix usquam attollit; quin, ut *peccare ad extremum, et ilia jam ducere*[e] eum, Lector cordatus facile sentiat.

Languoris hujus quæ causa, varias ea quidem de re video hominum sententias. 1. Ac mihi quidem, contigisse hoc visum, non tam ipsius forte vitio, quam temporis intemperie : scripsisse enim hæc sua sub Cane, cujus sub æstu Romæ omnia solent esse languidiora. 2. Nec desunt tamen, qui hæc illi tam indiligenter scripta sentiant, quasi intelligentiam jam ponat Cardinalis in scribendi fastidio ; quasi, quaslibet cerebri sui cruditates, quasi, quicquid ei illinere in chartas libitum est, sat esse putet; ut, qui auctoritate jam, non sedulitate rem gerat. 3. Plerosque tamen in ea sententia constitutos video, ut ætati hoc dandum censeant, fatiscenti jam, ut ne si vellet quidem posset melius. Jamdudum enim esse, a causa usque Veneta, cum Bellarminum quærunt Lectores in Bellarmino ; ita, sine nervis, lacertis, lumbis, ita soluta compagibus ejus jam omnia. Quare miseret eos jam Cardinalis, et magnopere auctores sunt Pontifici, cum *Bellarminus Bello* et *armis minus* jam sit idoneus, ne protrudat eum in prælia deinceps, ubi

[e] [Hor. Ep. i. 1. 9.]

pungi opus sit senem. Sinat ergo dehinc jam interquiescere; lampadem ejus alii alicui tradat, (si modo est alius aliquis) in Cardinalium cœtu, qui æstum ferre possit, et pondus diei[f]. Nam, quid tandem libro hoc nupero reponit nobis, præter *cophinos* aliquot *fragmentorum* de *Controversiis* suis? quæ, olim novitate sua venales, jam satis inspectæ, fastidio finitimæ sunt.

3 [Caput ipsum Contentionis omittit.]

Merito interim quærat Lector, quo nobis abierit Caput ipsum contentionis, *Quæstio primaria, de Regibus, post Bullæ ebullitionem, solio excutiendis: de subditis fide laxandis.* Nam, de quæstione hac tota, in tota hac Apologia sua, altum Cardinali silentium; quasi de acie profugere jam, et vacuum nobis campum relinquere, in animo ei esset. Deserta enim Causa principali, quasi *pungeretur* ipse *quæstione* sua, ita recipit se jam, ad locos suos communes, De Missa, Reliquiis, Purgatorio, tanquam ad Molem suam Hadriani: ibi latum campum reperit excurrendi. De Regibus a Pontifice deponendis, *οὐδὲ γρῦ*: de potestate ad hoc Pontificis, *οὐδὲ μῦ*.

Atqui, Regis illa Fidei confessio, (quam necesse habuit adjungere, toties a Cardinale traductus pro non Christiano:) tum, quæ de Antichristo ibi inseruntur, (quo Pontificem Antichristo longe magis affinem esse constet, quam Regem Juliano[g]:) Illa (inquam) duo, *παραφυάδες* modo sunt, et consectanea, ex occasione nata, quam dixi. Caput autem rei, *Potestas Papæ, qua grassatur in perniciem Principum: manumissio Cleri totius, ne omnino subditi sint: populi etiam manumissio, ne diutius sint, quam id ita Papæ videatur:* peteret hæc Cardinalis, quæ plane præterit: premeret ista, quæ vix perstringit. Illudit ergo Cæsari: Cardo hic causæ erat, deseruit Cardinem hunc causæ Cardinalis.

Astu autem hoc ab illo factum. Vidit enim, apud Cæsarem et Reges ingratam fore, *de Pontificia,* ad hanc quidem rem (olim ab eis usurpata, at jam ubique explosa) *potestate,* disceptationem: Declinavit ergo cautus homo: non enim *pungeret,* cruentaret eum hæc quæstio. Expergefacere noluit

[f] [Matt. xx. 12.]

[g] [De Comparatione Regis Jacobi et Juliani vide Epist. Cardin. Bellarm. apud Respons. Torti, p. 53, et Bell. Op., tom. vii. col. 662. C.; et conf. Defensionem Epist. in Resp. Torti, pp. 96—101.; et Bell. Op., tom. vii. coll. 683—685.]

Cæsarem et Principes; expergefaceret autem, si hanc incudem tunderet: noluit conflare invidiam apud eos, Sibi, Pontifici suo; quam certe conflaret, si Pontifici eos sic ad placitum *supponendos et deponendos* propinaret. Nihil ergo prius habuit, quam ut abduceret eos ad Missam, circumduceret per Reliquias Sanctorum, subduceret autem eis Quæstionis Cardinem, vel (si ita loqui liceat) quæstionem Cardinalem, de qua, lis primum mota, et in qua, *communis eorum causa* vertitur. Quare, quasi nihil etiam ea de re dictum usquam, nihil porro dicendum, ita rem totam silentio
4 premit. Ac in eo quidem artem hominis laudo, candorem requiro. Hoc enim illi ante omnia agendum erat, ut Cæsar, ut Reges, stare se vel cadere scirent ad Pontificis arbitrium. Cum non egerit, etiam in illis quæ videri vult egisse, nihil egerit: cur sibi Rex molestus porro sit? Cur illius nugamenta hæc respiciat? Cur bonas horas male perdat? Aliud igitur agat: excussa *cardini* jam Causa per ipsum *Cardinalem.*

[Ei respondere Rege indignum.] Nec abs re igitur fecisse videar, (quia nimirum hic *homo homini vix præstat*[h], Sacellano Dominus parum interest, nec in hoc quam illo plus momenti, aut virium) si precatus a Rege veniam, ut, qui non ita pridem latentem sub larva nescius aggressus sum, eundem, mihi fas sit excipere denuo, exuta larva jam, et γυμνῇ κεφαλῇ prodeuntem. Quæ enim vel tum scripta illi, vel jam, nescio quam illo digna; certe non digna, in quibus Regi brachium vel leviter concalescat. Præcipue, cum necdum Cardinali excidere possit id, de quo protestatus Rex in Præfatione sua Monitoria, *Ut ne cui fas foret Præfationi suæ, nisi eadem opera et Apologiæ etiam responsionem justam et appositam adornaret*[i]. Nam, quam a Torto habemus, ne umbram quidem *responsionis* habet, utpote in qua, alia multa, aliena prorsus consectatus; quæ, *Summa* erat et *primaria* quæstio, vix usquam attigit, nusquam serio excussit, nempe, *Quæ Papæ potestas sit, ad subditos officio suo solvendos, ac fide, quæ Cæsari summisque Principibus tenentur:* Sin secus: non id sibi negotii daturum unquam, ut Responsione ulla sua dignetur. Absit enim, ut Ei, Regni res tractanti, ac momenta Reipub. otium sit, ut demittat se, ad tela hæc tam

[h] [Vide Terent. Eunuch ii. 2. 1.]
[i] [Vide Præfat. Monit. pp. 145. 149. Lond. 1610.]

vana, et sine viribus, repellenda. Pontifex ipse, si (ut Cardinalis spem facit) Majestate sua Pontificia non indignum censeat, ut Prædecessores illos suos imitetur, *qui magna cum laude libros doctissimos ediderunt*[k], et librum edat nobis, ac pro potestate sua dimicet; Regi forte ad respondendum animus non deerit. Ni edat, indignum putabit Majestate sua Regia, cum illo experiri amplius, cui lacerti mortui sunt, et cujus sequitur, jam

——— Nullus de vulnere sanguis.[l]

---

[k] [Bell. Apol. pro Resp. cap. iii.] p. 25. [Op, tom. vii. col. 719. A.]

[l] [Vide Virg. Æn. xii. 51.]

Jacobus Dei gratia, etc. Fidei veræ, Christianæ, [leg. vere Christianæ] Catholicæ, Apostolicæ, veterisque ac primitivæ Ecclesiæ, etc. propagator, ac defensor.—[Verba Regis in Præf. Monit. citat. a Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 707. B. C.]

[Rex vere fidei Defensor,]

Quo tantum diversus[a] hic abit Cardinalis, *ad fidem Christianam, Catholicam, Apostolicam?* Ad aliam, Illi, ad *fidem subditorum civilem*, gressus dirigendus erat. Cur illam data opera, occasione non data sed quæsita, initio statim subterfugit? Cur de quavis alia *fide* dicere mavult, quam ea, de qua nobis lis est? Cur hic *rem* omittit, *Titulos* consectatur?

Styli Regii pars est, *Fidei Defensor:* in eam, Cardinalis, ut potest, stylum suum acuit. Par illi facerem; si ex eo, quod, se *Sanctissimæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem* inscribit, et ego in *Sanctitatem* Romanæ Ecclesiæ, vicissim excurrerem: qua de re, credo equidem, paginas nihilo pauciores implere possem. Tum, de *Cardinalis titulo* molestiam illi facesserem, an ad mentem *Patris Loïolæ*, ut *Jesuitæ* fierent *Papabiles*[b]. At hæc, quam non apposite? non minus tamen apposite, quam, quod facit ille *Inscriptiones* vellicando. Sed S. R. E. Cardinalibus quidlibet audere fas: et *appositum* est illis, quicquid *oppositum* est *Regibus*.

Ac, *Stylus* quidem ille, Unde sibi, vel a quo, non valde Rex respicit; respicit eo tantum nomine, quod muneris Regii partem partem primam putet, *Fidem defendere;* quod Ille, propitio satis Mercurio, jamdiu fecit: Marte quoque non minus propitio facturus, ubi se res dabit. Hunc ubi *titulum* conspexit Cardinalis, continere se non potest, ne tam diu quidem, dum Cæsari et Principibus, pro officii sui ratione, commode valedicat: ex abrupto claudit Epistolam. Ita, illi libido in *titulum* hunc primo quoque tempore involandi.

[a] [Virg. Æn. v. 166.]
[b] [Vide Summam Constit. Soc. Jesu. Num. 24. De Paupertate, p. 9. Lugd. 1606.]

Hæc inscriptio, quod attinet ad fidem, ab omni parte falsa esse convincitur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 5. [Op., tom. vii. col. 707. C.]

Quam suaviter autem sua disponit? quam initio statim captat sibi, et insinuat se in Lectoris animum, blanda hac voce, *Hæc inscriptio ab omni parte falsa?* Quam vero modestiæ et officii memor in Regem, si præterea nullo, at, vel Regiæ ipsius Majestatis nomine? *Ab omni parte falsa.* Quam etiam verbis bene ominatis librum suum auspicatur, cujus prima hæc verba sunt, *Ab omni parte falsa?*

Sed, alii hæc, quam non morate videant, nos quam non vere. Una (ut vides) litura titulum inducit totum; *Ab omni parte falsa.* Nec quicquam in eo reliquum facit, ut 6
non sit jam *Christianæ, non Catholicæ, non Apostolicæ, non primitivæ,* denique non vel *Propagator vel defensor.* Atat, quam initio statim truculentus? Excutiamus tamen singula, ut regeramus ei salutationem suam. *Hæc reprehensio ab omni parte falsa esse convincitur.*

Primum enim fides, quam Rex defendit, non potest esse vere Christiana, nisi Christi verba sint falsa. Damnat Rex in hac ipsa Præfatione, p. 42. Transubstantiationem.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 5. [Op., tom. vii. col. 707. C.]

Christianæ fidei Rex *Defensor non est.* Quare autem non? [Quanquam Transubstantiationem damnet.]
Primo, quia non *Transubstantiationis. Transubstantiationis* autem? Mirari omnes, nec (credo) risum tenere, stare hic in prima acie *Transubstantiationem;* quasi actum de *Fide Christiana,* nisi substet illa. Eam tanti esse apud Cardinalem, ut, ubi nomen *Christianæ fidei* semel nominatum, statim prima illi ante omnes *Transubstantiatio* in mentem veniat, quasi, in ea positæ sint fortunæ *fidei* totius et *Religionis Christianæ.* De reliquis porro, non valde auspicato sibi Lector ominetur: postquam, exesam hanc et vietam de *Transubstantiatione* litem, ita pertusam jam toties, ita undique perfossam, videt Cardinali agmen ducere.

De Transubstantiatione quid habet Rex? 1. *Novitiam et* [Transubstantiatio nuperum dogma.]
nuperam esse, inter Fidei articulos, ante annum Christi quingentesimum, nec visos, nec auditos[c]. Parum dixit. Poterat numerum geminare, et, nec ante *alterum quingentesimum,* (id est) *millesimum,* dixisse. Citra ergo, hic substitit Rex: ultra

[c] ["Quod si Romanæ Ecclesiæ officina fidei articulos ante quingentesimum Christi annum inauditos ac invisos recenter excudit, non sum, credo, damnandus pro hæretico si ad hæc nupera et novitia non accedam."—Præf. Monit.] p. 42. [pp. 52, 53. edit. 1610.]

[ut referunt Scotus,] enim poterat. Vestri homines præierunt illi viam. Scotus [d] ipse, ante annos trecentos. *Dicendum, quod Ecclesiæ declaravit istum intellectum esse de veritate fidei, in illo Symbolo, edito sub Innocentio III. in Concilio Lateranensi.* Nec secus reliqui. Audin' *Symbolum Innocentii III.?*, quod inter tria (credo) *Symbola* non est. Caput, *Firmiter credimus?*, quod est *Extra*, scilicet, in Decretalibus Pontificum. *In Concilio Lateranensi* [e]*?* quod annos *plus septingentos* fuit, post annum Christi *quingentesimum*. Qua de re, ne nescias Lector, habemus Cardinalem ipsum confitentem: Scotum nempe asserere, *Ante Lateranense Concilium, non fuisse dogma fidei Transubstantiationem*[f]. *Quomodo ergo* novitia non est, *si ante annum millesimum ducentesimum decimum quintum edita vel audita non est* [g]*?*

[et quidam Jesuitæ Angli.] *Nomen* (scio) *Transubstantiationis* dabit inauditum: at *rem* ipsam sine nomine creditam, vel a Patribus. Imo neque rem, Hodiernæ quidem vestræ. Nescit enim fortasse Cardi-
7 nalis, quid hic nuper apud nos conclusum fuerit: conclusum autem inter *Patres Societatis*, (Compatres ejus nuper) quibus quis non credat? præsertim, cum in ipso tum carcere essent (ad minimum) Confessores. Nimirum (verba ipsa refero) *Rem Transubstantiationis Patres ne attigisse quidem* [*ne attigerunt* [h].] Et, qualem ergo Cardinalis hic nobis pingit fidem Christianam, cujus Patres neque *rem attigerunt*, neque *nomen audierunt?*

Quin, audi rem veram, quamque non negabunt (scio) de

[d] In [lib.] iv. [Sent.] D. xi. Q. iii. § 15. [Op., tom. viii. p. 618.]

[e] ["Cujus corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transubstantiatis, pane in corpus, et vino in sanguinem, potestate Divina."—Conc. Lat. Gen. iv. cap. 1. 'Firmiter credimus.'—Conc. tom. xi. col. 143. B.; et Decretal. Greg. IX. lib. i. Tit. i. 'De Summa Trinit.' cap. i. 'Firmiter credimus.'—Corp. Jur. Can. tom. ii. col. 10.]

[f] ["Unum tamen addit Scotus, quod minime probandum est; Ante Lateranense Concilium non fuisse dogma fidei Transubstantiationem. Id enim ille dixit, quia non legerat Concilium Rom. sub Greg. VII., neque consensum illum Patrum quem nos supra adduximus."—Bell.] de Euchar. [lib.] iii. [cap.] 23. § 'Unum tamen,' [Op., tom. iii. p. 160. C.]

[g] [Verba Bellarmini de Regio primatu, Apol. pro Resp.] p. 8. [Op., tom. vii. col. 709. A.; nisi quod ibi legatur, "quingentesimum trigesimum quintum."]

[h] Discurs. modest. p. 13. [i. e. A sparing Discoverie of ovr English Iesuits, and of Fa. Parsons proceedings vnder pretence of promoting the Catholik Faith in England. For a caucat to all true Catholiks, our very louing brethren and friends how they embrace such very uncatholike, though Iesuiticall descignments. — Eccles. 4. Vidi calumnias quæ sub sole geruntur, et lachrymas innocentium, et neminem consolatorem. Newly Imprinted. 1601.]

Sacrificis vestris quidam, qui in vivis adhuc sunt. Quæsitum ab illis, Si post latam jam in eos mortis sententiam, illo ipso mane, quo ad supplicium ducendi essent, facultas eis impetrari posset missificandi (id autem, quo ita eis certis esse detur de intentione sua consecrandi, nec ab aliena dubii pendeant) quæsitum (inquam,) An, peracta jam consecratione, quo, vacillantem nostrorum hominum fidem de hoc, (in Symbolo Cardinalis) articulo primo, *Transubstantiationis*, confirmatam magis redderent; possent in animum suum inducere, ut circumfusum populum sic affari vellent, *Nisi hic, qui in Calice hoc jam est, cujus species cernitis, idem ipse sanguis sit, qui de Christi in Cruce pendentis latere profluxit; mihi pars nulla sit vel in Christi sanguine, vel in Christo ipso in æternum;* atque ita, his tanquam verbis novissimis, mundo valedicere? Quid hic illi? Negare omnes. Credo autem, si hoc ipsum quærat quis a Cardinale ipso, ea hora, qua jam tergiversandi locus nullus, hæsurum et Ipsum, neque pretium Redemptionis suæ ita temere inter Calicis labra positurum.

[Garnettus de Transubstantiatione dubius.]

Garnettus[i] quidem, cum tale quid ab eo quæreretur, *modicæ fidei* fuisse, ac perplexe satis respondisse dicitur. Merito dubitari de eo posse. Nec vel se, vel alium quenquam teneri, ut temere credat, aut salutem suam credendo in discrimen adducat, quod vel Ipse scilicet, vel alius quis in individuo Sacerdos, vel hoc, vel certo alio Consecrationis suæ tempore, panem transubstantiando Christi corpus conficiat. Statui forsitan posse in genere, atque indefinite, quod *Transubstantiatio* sit, et quod *ab aliquo, alicubi,* Sacerdote, tale quid, *aliquando* fieri possit. *Ab aliquo, alicubi, aliquando?* Quam nihil certi? Illi ergo, ut videtur, non modo particula, '*Hoc,*' sed *Transubstantiatio* tota, *individuum* modo *vagum*[j]: deque ea, vagam modo fidem habebat. Populo 8
interim quid fiet? quid *fide* ejus? cui *certitudo* esse non potest de actu Sacerdotis, qui ipse non *certus* de suo? At quem Sacerdos (sic ut vidimus, *non certus*) invitat tamen ad Hostiam suam (de qua ita *incertus*) adorandam. An quæ in *Transubstantiatione incerta* est Hostia, *certa* jam erit in *adoratione?* Et annon, recte quis plebem sic compellet? *Quid*

[i] In colloq. cum Decan. Sacell. Reg., Paulin., et Westmonast. [Jac. Montagu, Jo. Overall, et Ric. Neile.]

[j] [Conf. S. Thom. Aquin. Summ. Theol. Par. iii. Quæst. lxxviii. Art. v. Conc. § 'Ad secundum.']

facitis adorantes Hostiam (*incertum an*) *transubstantiatam?* et si, an transubstantiatam *incertum, incertum* an adorandam: vel *certum* potius plane, quod non adoranda. Nova ergo hic hæsitatio.

An vero, Sacerdoti si satis, ut *credat in genere,* etiamne et populo satis, ut *adoret in genere? Transubstantiationi* quidem adoratio *actus commensuratus. Transubstantiationem* Sacerdos non credit, nisi *in genere,* in individuo non *credit; in individuo* tamen elevat, et jubet adorare. Quid populus? Et ille etiam, nisi *in genere* non credit? (nec enim æquum, ut *majore* fide sit, quam Sacerdos.) Credit ergo *in genere,* non individuo, adorat in *individuo,* non *genere.* Tum, Sacerdotis *actus incertus,* (*transubstantiatio* scilicet) populi *certus,* (nempe adoratio,) Populi autem *certus,* ex Sacerdotis *incerto.*

Non tenetur quis (ait Garnettus) *ut temere credat, Hostiam hanc certo Transubstantiatam.* Quid ergo? An *tenetur quis, ut temere adoret, quasi certo transubstantiatam,* de qua tamen, an certo transubstantiata, incertus non ipse modo, sed Sacerdos? Qui *supplet locum Idiotæ*[k], an et ille etiam, non, vel hanc, vel *certam* aliam, a *certo* Sacerdote consecratam, verum aliquam *in genere,* seu *indefinite,* adorare tenetur; sed quam (*a quo, quando, ubi* transubstantiata) plane nesciat?

Nihil horum. *Certum* enim est, *certam* Hostiam adorat populus, non *vagam;* nec *in genere Latriam* exhibet, sed *in individuo;* individuo autem *determinato,* non *vago.* Hostiæ huic, hic, jam, adhibetur *Latria. Latria* autem *fidei protestatio* (quoties hoc Thomas inculcat?[l]) *fidei,* (puto) non de alia, quam cui *Latriam* defert. *Fides* vero hic nulla quam protestetur: nulla quidem de *Hostia* hac, cui hic, nunc, *Latriam* exhibet. Aliqua forte de *Idea* (nescio qua vel ubi) *in genere,* de hac quam adorat, plane nulla. Annon hoc est *in aëra adorare?* Annon *incertam hic vocem tuba dat*[m]*?* (ut in
9 simili re Apostolus?) Quodsi *Hostiam* Sacerdos *incertam* elevet, quis *parabit se ad adorationem?* ac, nisi *certam* et *definitam; quomodo scietur quid adoratur?*

Ne opus quidem est (dices) ut *sciatur.* A neutrone? non, ut sciat *Sacerdos* an transubstantiet? non ut sciat *Populus*

[k] [1 Cor. xiv. 16.]

[l] [S. Thom. Aquin. Summa Theolog. Prim. Secundæ. Quæst. c. Art. iv. Concl. § 'Ad primum.' — Et; "Religio consistit in quadam fidei protestatione."—Sec. Secundæ Quæst. c. Art. i. Conc. § 'Ad primum.']

[m] [1 Cor. xiv. 8.]

quid adoret? Tota ergo res nobis abibit in *Chimæram:* populi adoratio, Sacerdotis transubstantiatio, *ignota* utrăque. (Optimus quidem cultus, qui *linguæ ignotæ* respondeat.) Nec ergo obstat hic quicquam, quin recte quis dixerit Sacerdotibus vestris; Vos an transubstantietis, *nescitis:* populo autem, *Vos quod adoratis, nescitis;* sicut *quod oratis nescitis. Oratis spiritu, sed sine mente,* quod damnat Apostolus[n]: *adoratis spiritu, sed sine veritate;* quod, Christus ipse[o].

[Si transubstantiatio incerta cultus hostiæ incertus.]

Ac de *certâ fide* quicquid sit, vix *bonâ fide* hic agitur. Sacerdos enim, *si certus* ipse non est: cur ergo, quasi *certus* sit, Hostiam sic a se (nescit an) *transubstantiatam* populo proponat adorandam? Populus autem, *incertior* multo de Sacerdotis actu alieno, quam Sacerdos de suo, cur adoret propositam? An rite *transubstantiavit* nescitur, (et est hic *sicut populus, sic Sacerdos*[p]) si rite non transubstantiavit, Christus ibi non est, *crustulum* modo. Si *crustulum* modo est, *crustulo Latria* exhibetur: Parum autem id aberit ab *Idololatria.*

Existet alter, qui dicet: Imo si pro Rachele Leam amplectatur quis per errorem, error *materialis,* nec *gravis:* Gravis vero an levis, *materialis* an *formalis, fides* in errore non est, addo nec *certitudo.* Et *gravis* tamen error; si per noctes singulas sic *errare* delectet: nec minus gravis, si per missas quotidie singulas, *crustulum* pro *Christo* adorare.

Ac, olim quidem igitur cautius rem gerebant. Quo enim rite et legitime adoratio fieret, consultum videbatur, ut tacita semper interveniret conditio hæc (*Si es Christus, te adoro,*) si *Crustulum* modo, reduco adorationem meam. *Tuto* id quidem, sed *fide* tamen parum *certa.* Fides enim *hypothesis* non est, *hypostasis*[q] est: vacillat autem, quod sic, in *hypothesi.* Opportune ergo hic succurrit Vasquez[r]. Nec enim Christum modo, *in pane, vel panis specie, verum et panem ipsum adorari posse, non invitus dabit, tantum, ut apprehensio feratur in Deum.* Quæ ab illo ratio de novo nuper excogitata videri potest, ne necesse sit scrupulis istis vexari homines, aut in materia *transubstantiationis* ita misere fluctuare. Possunt Christum, possunt non minus et panem, si opus sit, (*qui minus autem*

[n] [1 Cor. xiv. 15.]
[o] [Joan. iv. 24.]
[p] [Esa. xxiv. 2.]
[q] [Heb. xi. 1.]
[r] [Cf. Vasquez, de Cultu Adorationis, lib. iii. Disp. i. c. 5. p. 192. Complut. 1594. et Comment. in iii. part. Summæ S. Thom. Aq. tom. i. Disp. 108. c. 12. et Disp. 110. c. 2. n. 10. et alibi sæpius. ed. Ingoldst. 1610.]

panem, quam modulum straminis?), latria prosequi. Transubstantiatum, annon, ne se crucient, perinde est: perinde procedet adoratio, credant, ne credant *transubstantiationem*. En, quo fides nobis jam recidit! Et quale tandem hoc fidei vestræ dogma, quod nos credere vultis, ipsi tamen non creditis? de quo, certam nos fidem habere jubetis, ipsi vagam habetis, et errantem: cujus Regem *Defensorem* vultis, ipsi *Confessores* esse non vultis? Apage vero fidem hanc, quam Cardinalis defendit, nec vere, nec fere *Christianam*.

Et tamen Christus ipse accepto pane dixit, Hoc est corpus meum, testibus Matthæo, c. xxvi. Marco, c. xiv. Luca, c. xxii. Paulo, 1 Cor. xi. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 5. [Op., tom. vii. col. 707. C.]

[Verba Christi Transubstantiationem non cogunt fateri,]

2. Sed quid affert tamen Cardinalis? Quasi mirabundus *Damnat* (inquit) *Transubstantiationem*. *Et tamen Christus accepto pane dixit, Hoc est corpus meum*. Atque hic, quasi verba hæc, *Hoc est corpus meum*, de novo jam illi reperta essent alicubi; ita sollicite Testes quatuor citat; Matthæum, Marcum, Lucam, Paulum; etiam Capita ascribit, ne Lector (scilicet) ignoret, ubi reperire jam possit verba illa, *Hoc est corpus meum*.

[ut habent Scotus,]

Quorsum hæc? An, ut de Scripturæ locis cogat Regem admittere *Transubstantiationem* suam? frustra erit. Convincam autem ex Cardinale ipso. Nam eundem Scotum[s] dixisse narrat nobis Cardinalis[t], *Non extare locum ullum Scripturæ, tam expressum, ut sine Ecclesiæ declaratione* (puta apud Lateranum congregatæ cum Papa Innocentio III.) *evidenter cogat Transubstantiationem admittere*. Audi vero et Censuram Cardinalis ipsius, de Scoti hoc dicto. *Atque id* (inquit) *non est omnino improbabile*. Et rationem addit, *Nam etiamsi Scriptura quam supra adduximus*, (nempe *Hoc est corpus meum*) *videatur nobis tam clara, ut possit cogere hominem non protervum: tamen, an ita sit, merito dubitari potest, cum homines doctissimi et acutissimi (qualis inprimis Scotus fuit) contrarium sentiant*. Atqui, nos nihil etiam a Cardinale petimus, quam ut liceat nobis, cum Scoto, et *doctissimis illis, et acutissimis hominibus qui contrarium sentiunt*, de loci hujus verbis, *an*

[s] ["Nunc autem non videri expresse haberi non esse ibi substantiam panis . . . nec invenitur in Ecclesia ubi istam veritatem determinet solemniter."—Scot. in Lib. iv. Sent. Dist. xi. Quæst. iii. Op., tom. viii. p. 606.]

[t] [Bell.] De Eucha. [lib.] iii. [cap.] 23. § 'Secundo dicit.' [Op., tom. iii. p. 160. B.]

ita clara sint, merito dubitare. Postulatum (credo) non iniquum.

Præsertim, si accedat et Cardinalis alterius auctoritas. Cajetanus is. *Dico autem, ab Ecclesia : quoniam, non apparet ex Evangelio coactivum aliquod, ad intelligendum hæc verba proprie, nempe, Hoc est corpus meum*[u]. Possumus ergo, ut in aliis Sacramentis, ita et in hoc, *Figurate:* et, *nihil coactivum apparet,* ut aliter intelligamus. [Cajetanus,] 11

Præsertim autem si et tertii, (qui et ipse Cardinalis, etsi Galero forte nunquam usus) Roffensis nostri, qui de loco Matthæi dicit; *Neque ullum hic verbum positum est, quo probetur in nostra Missa veram fieri carnis et sanguinis Christi præsentiam*[v]. Regerimus ergo Cardinali verba sua: *Christus accepto pane dixit, Hoc est corpus meum. Et tamen nihil dixit de Transubstantiatione,* quin *merito de ea dubitari possit,* ut Scotus: *cum nihil ibi coactivum,* ut Cajetanus: *nec verbum ullum unde probetur vestra Christi præsentia,* ut Roffensis. Quare, et nullum ibi Christi verbum falsum erit, et tamen, nulla erit de *Transubstantiatione fides Christiana.* [Roffensis,]

Nam, quod Cardinalem non latet, *nisi volentem et ultro*[x], dixit Christus, *Hoc est corpus meum :* Non, *Hoc modo, hoc est corpus meum.* Nobis autem vobiscum de objecto convenit; de modo, lis omnis est: De, *Hoc est,* Fide firma tenemus, quod sit: De, *Hoc modo est,* (nempe Transubstantiato in corpus pane) de modo, quo fiat ut sit, per, sive *In,* sive *Con,* sive *Sub,* sive *Trans*) nullum inibi verbum est. Et quia verbum nullum, merito *a fide* ablegamus procul: inter *Scita Scholæ* fortasse, inter *Fides Articulos* non ponimus.

Quod dixisse olim fertur Durandus[y], neutiquam nobis displicet: *Verbum audimus, motum sentimus, modum nescimus, præsentiam credimus.* Præsentiam (inquam) credimus, nec minus quam vos, veram. De modo præsentiæ nil temere definimus, addo, nec anxie inquirimus; non magis quam, in baptismo nostro, quomodo abluat nos sanguis Christi: non magis quam, in Christi incarnatione, quomodo naturæ Divinæ humana in eandem hypostasin uniatur. Inter mysteria ducimus, (et quidem Mysterium est *Eucharistia* ipsa) cujus, [Durandus.]

[u] [Comment.] in [Summ. Theol. S. Thom. Aq. par.] iii. Q[uæst.] lxxv. A[rt.] i. [ed. Bonon. 1528.]

[v] [Fischerus, Episc. Roffens.] Contra Captiv. Babyl. cap. i. [leg. x. Op., col. 227. ed. Wirceburg. 1597.]

[x] 2 Pet. iii. 5.

[y] [Apud] Neand. Synop. Chron. p. 203. [fol. 90.]

quod reliquum est, debet *igne absumi*[z]; (id est) ut eleganter inprimis Patres, *fide adorari*, non *ratione discuti*[a].

[Nodosæ quædam de Transubstantiatione quæstiones.]

Vobis quoque (ut multi sentiunt) præstitisset, haud aliam de Sacramento fidem habuisse: nec vertiginosam hanc *de Transubstantiatione* opinionem attigisse. Nam, ex quo *Helenam*[b] hanc vestram in Christianismum advexistis, tot vos,

12 tot scholam vestram quotidie exercent, tam spinosæ, tam nodosæ quæstiones, (tam id autem tristi successu:) *De quantitate* Christi *sub pane*, *An sit ibi* Christus *sub sua*, an *sub panis quantitate*[c]? Et, si *sub sua*, an *sub quantitate sine modo quantitativo*[d]? An sit ibi Christi substantia sub accidentibus, *remota tamen inhærentia*[e]: contra Logicam? In iis verbis, *Quod pro vobis frangitur*, cum *frangi* jam corpus non possit, quippe nec *pati*, an *frangi*, non sit ibi verbum passivum, contra Grammaticam[f]? An *ex accidentibus mures nutriantur*[g], an ex iis *vermes generentur*[h], contra Physicam? An, simul et eodem momento, Christus *quiescat* in Pyxide *hic*, *moveatur alibi* in Elevatione[i]? Simul itidem et momento eodem, *sursum moveatur*, elevante Hostiam Sacerdote uno: et *deorsum*, demittente altero? Nec scio quot aliæ, circa quas languet Magister vester, et Schola tota. Ut præclare actum cum re Christiana putarent omnes: si, ut Patres *rem ejus nec attigerunt*, (Jesuitis hic nostris, censoribus) ita, et Posteri *nomen* ejus nunquam *audiissent*. Vere enim, de re totâ dici potest, quod olim *de Homine*, Salomon: *Deus fecit Sacramen-*

[z] ["Sed hoc quod reliquum est de carnibus, et panibus, in igne incendi præcepit. Quod nunc videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi quæcunque remanere contigerit inconsumpta."—Hesych. Hier. in Levit. viii.—Bibl. Max. Patr. tom. xii. p. 86. C.]

[a] ["Hæc igni cremanda sunt, id est, divino tradenda Spiritui; ut ea, quorum rationem modo non capimus, ardentis fidei Spiritu consumantur."—S. Gaudent. Tract. ii.—Bib. Max. Patr. tom. v. p. 947. B.]

[b] [Erasm. Adag. pp. 624. 766.]

[c] [S. Thom. Aquin. in lib. iv. Sent. Distinct. x. Quæst. i. Art ii. Quæst. iv. et Solut. iv.—Op., tom. xiii. pp. 194. b. 195. a. 196. a. b.]

[d] [S. Thom. Aquin. Summ. Theol. Par. iii. Quæst lxxvi. Art. v.]

[e] [Pet. Lomb. lib. iv. Sent. Distinct. xii. A. fol. 355. b.; et S. Thom. Aquin. in eandem Distinct. Quæst. i. Art. i. Op., tom. xiii. p. 237; Summ. Theol. Par. iii. Quæst. lxxvii. Art. i.]

[f] [Pet. Lomb. lib. iv. Sent. Distinct. xii. § 'De fractione,' foll. 355. b. 356. a. b.; et S. Thom. Aquin. in lib. iv. Sent. Distinct. xii. Quæst. i. Art. iii. —Op., tom. xii. p. 247; et Summ. Theol. Par. iii. Quæst. lxxvii. Art. vii.]

[g] [Pet. Lomb. lib. iv. Sent. Distinct. xiii. A. fol. 359. b.; et S. Thom. Aquin. Summ. Theol. Quæst. lxxx. Art. iii. Concl. §. 'Ad tertium.'—Conf. quoque Innoc. iii. De Myst. Missæ, lib. iv. cap. xi. Op., tom. i. p. 380. Colon. 1575.]

[h] [S. Thom. Aquin. in lib. iv. Sent. Distinct xii. Quæst. i. Art. ii. Quæst. iv. et Solut. iv.—Op., tom. xiii. pp. 241. b. 244. a.; et Summ. Theol. Par. iii. Quæst. lxxvii. Art. v.]

[i] [S. Thom. Aquin. in lib. iv. Sent. Dist. x. Quæst. i. Art. iii. Quæst. iv. et Solut. iv. Op., tom. xiii p. 197. b.; p. 199. b.; et Summ. Theol. Par. iii. Quæst. lxxvi. Art. vi.]

tum suum, rectum et simplex, Ipsi autem (Scholastici scilicet) *infinitis se miscuerunt Quæstionibus*[k].

Nec, aliter hic sapimus, quam Biel vester, in Canonem ipsum Missæ, *Quomodo ibi sit corpus Christi, an per conversionem alicujus in ipsum, an sine conversione incipiat esse corpus Christi cum pane, manentibus substantia et accidentibus panis, non invenitur expressum in Canone Bibliæ*[l]. Non ergo invenitur in Christi verbis, *Hoc est corpus meum,* quæ in Canone Bibliæ sunt. Possunt proin verba Christi vera esse, ut mendax tamen sit Glossa Cardinalis.

Neque fieri potest, ut verba illa Christi sint vera, nisi per conversionem et transmutationem, quam Ecclesia Catholica proprio vocabulo Transubstantiationem vocat.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 5. [Op., tom. vii. col. 707. C. D.]

Nam, quod tertio loco subjungit, *Fieri non potest, ut verba illa Christi sint vera, nisi per conversionem, quam Ecclesia Transubstantiationem vocat :* Christianus (credo) possit esse quis, etsi hoc non credat esse de Christiana fide. Nam id Scotum non credidisse fatetur Cardinalis ipse, (qui, ut videtur, Thomista est.) Nam Scoti[m] ea sententia (referente Cardinale[n]) *potuisse Deum efficere, ut in Sacramento, vere adesset corpus Christi cum pane,* (fieri ergo posse ut verba Christi vera sint) *et si hoc fecisset, mysterium futurum fuisse facilius, et minus miraculorum in se continens*[o]. *Miracula* 13 autem (ut novit Cardinalis) *frustra multiplicari non debent*[p].

[Etiam sine Transubstantiatione vera sunt Christi verba,]

[ita tenent Scotus,]

Eadem et Durandi, *Quamvis iste modus sit de facto* [*tenendus, scilicet quod corpus Christi est in hoc Sacramento altaris conversa substantia panis in ipsum,*] *non est tamen negandum, quin alius modus sit Deo possibilis, ita videlicet, quod Deus posset facere, quod remanente substantia panis, corpus Christi esset in hoc Sacramento*[q]. *Satis enim durum est, et derogare*

[Durandus a S. Porciano,]

[k] Eccles. vii. ult.

[l] Lect. 40. [in Can. Missæ, fol. 85. a. Lugd. 1542.]

[m] ["Dico quod bene fuisset Deo possibile instituisse, quod Corpus Christi vere esset præsens, substantia panis manente, vel cum accidentibus pane annihilato."—Scotus in lib. iv. Sent. Dist. xi. Quæst. iii.—Op., tom. viii. p. 618.]

[n] [Bell. de Sacr. Eucharist.] lib. iii. [cap.] 23. § 'Non dissimili.' [Op., tom. iii. p. 160. B.]

[o] ["Ponenda sunt pauciora miracula, quantum possibile est; sed ponendo panem manere cum suis accidentibus, et Corpus Christi ibi esse vere, pauciora ponuntur miracula, quam ponendo panem ibi non esse."—Scotus in lib. iv. Sent. Dist. xi. Quæst. iii. Op., tom. viii. p. 605.]

[p] ["Novit (Deus) quomodo ipsa miracula sua debeat commendare. Novit agere ut magnificentur, novit agere ne vilescant."—S. Aug. Serm. cclxxxvi. sect. v. Op., tom v. col. 1690. D.]

[q] [Durandus a S. Porciano in] Lib. iv. [Sent.] Dist. xi. Quæst. i. Num. i. [leg. xi. fol. 275. col. 1.]

videtur immensitati Divinæ potentiæ dicere[r]. (Et paulo post.) *Patet ergo, quod est temerarium dicere, quod corpus Christi, Divina virtute, non possit esse in Sacramento, nisi per conversionem panis in ipsum*[s]. Eadem et Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis[t]; quod nec Cardinalis Bellarminus diffitetur[u].

[Cameracensis,]

[Joan. Picus Mirandula.]

Denique, Romæ etiam, ante annos plus centum, Comes Mirandulæ Johannes Picus tutatus est, *Paneitatem supposita-ri posse a corpore Christi in Eucharistia*[v]; nihilo tamen minus Christianus est habitus. Explicuit enim seipsum, quod dixisset *de possibili, non, de sic esse. Quod Deus possit assumere panem; sicut possit convertere. Multa enim sunt, quæ de sic esse, erronea sunt in fide, quorum oppositum, de possibili, esset erroneum: sicut dicere, Patrem incarnatum, de sic esse, est hæreticum: Patrem autem posse incarnari, non solum non est hæreticum, sed hæreticum est ejus oppositum.* Atque, cum se ita explicaret: Pontifex Maximus Alexander sextus[x] diplomate suo, eum ab omni hæreseos labe immunem pronunciavit, *nec ullam hæresis speciem, vel suspicionem, vel notam sinistram incurrisse:* Nimis ergo durus, et (si Durandi verba fert) temerarius, qui Divinæ potentiæ derogat, et *fieri non posse* dicit *ut vera sint Christi verba, nisi per conversionem.* Ubi tamen non narrat nobis, per *conversionem, productivamne* an *adductivam*[y], de qua, nuper non nemo *pupugit Cardinalem*[z], quasi et ille, in materia Transubstantiationis parum sanus, vertiginem passus sit, et Transubstantiationis loco, *Translocationem* quandam substituere meditetur.

Ut recte docet Concilium Tridentinum, sess. 13. c. 4[a]. [Bell. Apol. pro Resp.] p. 6. [Op., tom. vii. col. 707. D.]

Laudo ergo consilium, quod init ibi Cardinalis ultimum. Tridentum enim se recipit cum fide sua, nec fidit Laterano

[r] Num. xiv. [fol. 275. col. 1.]

[s] [Ibid. fol. 275. coll. 1. 2.]

[t] [In Lib. iv. Sent. Quæst. vi. Art. ii. fol. 266. a. Par. imp. Joh. Petit, s. a.]

[u] [Bell. de Euch.] lib. iii. [cap.] 23. § 'Non dissimili.' [Op., tom. iii. p. 160. B.]

[v] Apologia, Disp. [de Eucharist. Op., tom. i. p. 121. Basil. 1501.]

[x] Apud eundem. [In Censura Alex. VI. tom. i. præfix. De diplomate Alex. VI. vide quoque Raynald. Cont. Ann. Baron. ad an. 1493. Num. 37. tom. xix.]

[y] [Vide Scotum in lib. iv. Sent. Dist. xi. Quæst. iii. Op., tom. viii. pp. 625. 626.]

[z] ["Eodem libro iii. (de Eucharistia) cap. 18. § 'Ex his colligimus,' Dixi, *Conversionem panis in corpus Christi non esse productivam sed adductivam.* Quod dictum video a nonnullis perperam esse acceptum, qui inde colligunt, hanc non esse vere conversionem, sive transubstantiationem, sed translocationem." — Bell.] Recog. p. 81. [p. 8. D. Op., tom. i. ad init.]

[a] ["Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum id quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ec-

satis. Prudenter autem illud: Nec enim opportunum magis diversorium usquam inveniet, in quo suaviter ambo conquiescant. Fides enim hæc, (si verum serio volumus) vere Tridentina est, *vere Christiana non est*, sine qua vel edita vel credita, tam diu stetit res Christiana.

Negat Rex, p. 48. Primatum Apostoli Petri. [Bell. Apol. pro Resp.] p. 6. [Op., tom. vii. col. 707. D.]

2. Secundum crimen. *Negat* Rex *Petri primatum;* quem nisi defendat, *Fidei Christianæ Defensor non est.* Cum summa autem hoc Regis injuria. Ille enim non negat, nisi ad *Hominem:* nisi sensu vestro (scilicet,) qui nec Christi, nec Petri, nec Patrum est. Neque de eo inter nos quæritur, An quis Petro primatus fuerit, sed, Quis ille: et, An qualem Pontifex jam sibi, Vos Pontifici vindicatis. Rex vero, Petrum non negat primum, *Principem* non negat *Apostolorum;* imo asserit[b]. Sed, virtute primatus sui, terrestrem Monarcham negat, cui jus sit ac potestas Reges imperio in subditos exuendi, subditos a fide in Reges exsolvendi. 14 [Qualis fuerit Petri primatus,]

Et tamen Dominus, Jo. xxi. non semel sed tertio dixit, Simon Joannis, diligis me plus his, et respondente Petro, Domine tu scis quia amo te: subjunxit, Pasce oves meas.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 6. [Op., tom. vii. col. 707. D.]

Neque Cardinalis unquam, ex præcepto *pascendi* primatum illum suum, (id est) potestatem exauctorandi Reges, extundet; potestatem scilicet *temporalem,* (ut est maxime) ex munere *spirituali.* Munus enim ibi *spirituale* Petro creditur: vos ipsi dicitis, cum præstari ibi contenditis, quod a Christo promissum Matt. xvi., *De clavibus Regni cœlorum Petro tradendis.* Vobis igitur, *Pasce,* est, *Claves Regni cœlorum accipe.* Quid autem cœlestis Regni clavibus, cum Regni terreni foribus? Audiat Cardinalis Cardinalem. *Potestatem* spiritualem *dedit* [Spiritualis tantum, non temporalis,]

clesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, et totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus, quæ conversio convenienter et proprie a sancta Catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata."—Conc. Trid. Sess. xiii. Decr. de Eucharist., cap. iv.—Conc. tom. xiv. col. 806. B. C.]

[b] ["Sit, per me licet, primus Episcopus inter omnes Episcopos; sed eo sensu Episcoporum Princeps quo Petrus Apostolorum Princeps fuit. At vero, ut Hierarchicam Ecclesiasticam probo ad ordinum dignitatumque discrimen, (sic enim intelligi volo) sic prorsus pernego terrestrem esse aliquem Ecclesiæ Monarcham, cujus verba pro legibus esse debeant, quique infallibilitate spiritus nunquam in suis sententiis errare possit. Nec si regna terrestria a Monarchis terrestribus regi debent, ideo Ecclesiam sequitur a terrestri quoque Monarcha debere gubernari."—Præf. Admonit.] p. 50. [pp. 63 64. Edit. 1610.]

Christus Petro, Matt. xvi. Tibi dabo claves Regni cælorum, et non Regni mundi hujus: *Et spiritualem cibum mandavit dandum, Jo. ultimo, Pasce oves.* Ubi, tantum abest Cajetanus[c], ut in aliorum temporalia plenitudinem potestatis tribuat, ut *nec de suis* quidem, *aut Ecclesiæ Romanæ rebus temporalibus disponendis,* potestatem Pontifici permittere videatur.

[a l pascendum, non ad mactandum,] Recte igitur Rex, Christum, cum Petro claves daret Regni cœlorum, id voluisse, ut iis clavibus contentus esset, claves Regni terrarum ne attrectaret: Cum eas ædificandæ Ecclesiæ daret, eam Christo mentem non fuisse, ut ad destruendam Rempubl. Petrus eis uteretur: nec ædificaret Ecclesiam in ruinis Reipublicæ. Nec enim, cum *pascere* juberet *Oves suas,* animum habuisse, ut sub *Pastoris* titulo *furem* ageret, vel *lupum: Furem, qui non venit, nisi ut mactet;* (puta Principes:) *Lupum, qui non venit, nisi ut dispergat*[d]; (puta subditos.) Vix sanus certe sit, qui in *pascendi* voce *mactandi* potestatem quærat, quæ *Lanii* est, non *Pastoris:* vix sobrius, qui cum *subditos dispergat,* et, quæ *Lupi* sunt agat, *Pastorem* tamen se prædicet, et *Pastorum* primum. Laudo Baronium, qui, cum in Venetos classicum caneret Pontifex, nimis violentum vidit esse, pertrahere eo *pascendi* præceptum. Parum enim *pascendi* vocem vidit Pontificis tum instituto quadrare; maluit alterum illud, *Surge Petre, macta*[e]. Atque ita, quod simplex in Christo fuerat *pascendi* munus, et Christo satis, Petro parum putavit, *abundantius habere* voluit, duplex nempe officium, *pascendi,* et *occidendi;* ut Pastorem Pontifex, quamdiu volet, cum volet autem, Ovicidam agat. Inepte id quidem, sed quid ageret? Vidit improprium nimis, *excisionem* in voce *ædificandi, occisionem* in voce *pascendi* quærere. Atqui huc recta tendit Vester Petri primatus, quem Rex *Romanæ* fidei articulum non negaret forte; *Christianæ* negat. *Christianam* enim fidem *Christiano* Orbi inimicam non esse, *Romanam* hanc esse.

Qualem enim Petro primatum non negant, et prisci, et

[c] Cajeta. [Comment in Summ. Theol. S. Thom. Aquin.] Sec. Secæ. [Quæst.] xlv. [leg. xliii. Art.] 8.

[d] Joh. x. 10, 12.

[e] ["Duplex est, Beate Pater, ministerium Petri, *Pascere et occidere;* dixit enim ad eum Dominus, *Pasce oves meas;* audivitque e cœlo vocem, *Occide et manduca.* Cum vero non *cum ovibus et agnis* negotium sit, sed cum leonibus et aliis feris animalibus, refractariis et adversantibus, jubetur Petrus eos occidere; obsistere scilicet, pugnare et expugnare, ne tales sint penitus. . . . Perge igitur, Sancte Pater, quod cœpisti."—Sent. Baron. Cardin. super excomm. Venet.; ad calc. Paræn. ad rempub. Venet. p. 82. August. Vindel. 1606.]

nostri homines, Ordinis, Loci, Præstantiæ, is ad Pontificis stomachum non est; gracilis nimis, et macilentus primatus ille. Alium, nempe Monarchicum, spirat; aliam, nempe visibilem in terris Monarchiam, moliuntur illi Sanderus, et Cardinalis; cujus absque spe foret, frigeret illis Primatus Petri. Non dissimulavit hoc Cardinalis, *Pasce*, inquit, id est, *Regio more impera*[f].

Quod si ad Pontificem ita præ aliis pertineret de Ovibus; si singulare ei quid in Pastorali hoc Petri præcepto; cederet de primatu hoc, qui tot turbas dedit, et tragœdias excitavit, per Christianum Orbem, (jam inde ab Hildebrando Papa,) qui toties collisit inter se Regna, toties Reges mulctavit; etiamnum Cæsari imminet, et Principibus: per quem fit, ut quæ pia mater esse debuit Ecclesia, ea Cæsari et Regibus facta sit in novercam. [nec ad reges solio deturbandos.]

Est in historia Abgarus Rex[g]: Is, vivente adhuc Petro, Christi fidem cum suis suscepisse perhibetur. Dicat ingenue Cardinalis; Abgarus Rex, si in hæresim tum forte aliquam incidisset, re ad Petrum delata, ecquid eum Petrus Regno abdicasset, Edessenos Sacramento solvisset? Ecquid tentare hoc sibi fas putasset, vi verborum, *Pasce oves?* Poterat et Petrus *aliquid in Principes Ethnicos*[h] (Pontifex enim potest) nec magis illi *vires deerant*[i] in Neronem quam in Simonem; (Neronem Tyrannum, quam Simonem Hæreticum.) Petro 16
ipso etiamnum superstite, prima fuit sub Nerone persecutio, qua Princeps ille Ethnicus conversos ab Apostolo ad fidem Romanos *a fide avertere sategit;* an vel eo casu, *Principem illum infidelem, sententia sua privavit dominio quod habebat super fideles*[k]*?* Non opinor. Factum male. Non est enim secutus doctrinam Thomæ[l], quam Cardinales sequuntur, Pontifices, ubi possunt, exequuntur. Romanus Pontifex (sic enim illis scilicet Petrus) in urbe Roma, *Romanos* suos *a fide avertere satagentem* sustinuit, nec tamen Primas hic, in *primo* hoc tam atroci crimine, exseruit *primatum* suum. Hic certamen cernitur. Hic Cardinali figenda erant vestigia, nec in *primatus* voce generali tam dolose ludendum. Tum, et illud

[f] [Bell.] Recog. p. 21. [p. 2. H. ad init. Op., tom. i.]
[g] Euseb. lib. i. c. ult. [p. 36. seq.]
[h] [Bell. Apol. pro Resp.] p. 17. [leg. 27. Op., tom. vii. col 719. C.]
[i] [Conf. Bell. de Rom. Pont. lib. v. cap. 7. §. 'Quod si.' Op., tom. i. p. 235. G.]
[k] [Vide Bell. de Rom. Pont. lib. v. cap. 7. §§. 'Probatur,' 'Ergo tria,' Op., tom. i. pp. 235. G.—236. A. B.]
[l] [S. Thom. Aquin. Summ. Theol. Sec. Secæ. Quæst. x. Art. x. Concl.]

[Cæteri Episcopi, æque ac Papa, Ecclesiæ pastores.]

dicendum erat; An, et ad alios, qui per orbem sunt, Episcopos jus hoc et potestatem Cæsarem mactandi et Principes commcare velit? an ad Mediolanensem, an ad Hipponensem? Voce enim illa, *pascendi*, Petro peculiare nihil accrescere dixit Augustinus, *Cum Petro dicitur, ad omnes dicitur, Pasce oves meas*[m]; Voce illa, *Oves meas*, nihil peculiare Petro accrescere dixit Ambrosius, *Eas oves non solum Beatus suscepit Petrus, sed et nobiscum eas accepit, et nos cum illo accepimus omnes*[n]; nempe dictum illi *Pasce*, tam in persona aliorum, quam sua. Atque vel sic, jacebit Cardinali ratio sua.

Ubi nemo negare potest S. Petrum factum esse pastorem omnium fidelium, et ipsorum etiam Apostolorum, nisi neget fideles omnes, et ipsos etiam Apostolos, fuisse Oves Christi.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 6. [Op., tom. vii. col. 707. D.]

[Reges populum suum pascunt.]

Verum, vim videamus argumenti. Perinde enim facile nobis, ex voce *pascendi*, Primatum Regis astruere, atque illi Pontificis, quod (scio) *punget* Cardinalem. Atque ut mensura sua remetiamur ei, stylo ipsius loquamur cum ipso: *Negat Cardinalis primatum Regis, et tamen Regi dixit Deus ipse, Tu pasces populum meum Israel*[o], *Ubi nemo negare potest* Regem factum esse Pastorem totius Israelis, et ipsorum etiam sacerdotum, *nisi neget* ipsos etiam Sacerdotes fuisse partem Israelis. Narro autem Cardinali: Quodsi, in *Pastoris* titulo, ad primatum momenti quid sit, vel si ea voce transigenda res nobis: in Sacris literis titulum istum et prius multo Principi delatum, et vero sæpius multo, quam Pontifici. Prius; Josuæ enim[p]: sæpius; passim enim in Historia sacra, passim in Prophetis.

Quem locum fuse tractavi, et expendi lib. i. de Pontif. c. 14, 15, 16[q].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 6. [Op., tom. vii. col. 707. D.]

[De ovibus Petro commissis quid senserint SS. Aug. et Cyril. Alex.]

Nam, quod *fuse a se tractatum locum illum* dicit, damus hoc illi: etiam si volet, effuse. Parum vero interest quam *fuse*; quam solide, illud interest. *Fuse* tamen etiam ab Augustino[r], diu jam ante, qui pleno Tractatu: *fuse* etiam a

[m] ["Non enim sine causa inter omnes Apostolos hujus ecclesiæ Catholicæ personam sustinet Petrus: huic enim Ecclesiæ claves regni cœlorum datæ sunt, cum Petro datæ sunt. Et cum ei dicitur, ad omnes dicitur *Amas me? Pasce oves meas.*" S.] Aug. de Ago. Chr. cap. 30. [Op., tom. vi. col. 439. C.]

[n] ["Quas oves et quem gregem non solum tum Beatus suscepit Apostolus Petrus," etc. Gerbertus, (Vide Cavei Hist. Lit. tom. i. p. 264.)] De Sacerd. dignit. cap. 20. [leg. 2. apud S. Ambr. Op., tom. ii. Append. col. 359. C.]

[o] 2 Sam. v. 2; 1 Chron. xi. 2.

[p] Num. xxvii. 17.

[q] [Op., tom. i. pp. 145. D,—148. B.]

[r] ["Redditur negationi trinæ trina confessio, ne minus amori lingua serviat quam timori, et plus vocis elicuisse videatur mors imminens quam vita præsens. Sit amoris indicium

Cyrillo[a], qui justo Commentario locum illustrarunt; neuter tamen ibi vidit, quod jam Cardinalis (nisi natent ei oculi) videtur sibi videre, illustrem (scilicet) hunc fidei articulum, de Primatu Petri temporali, ne per transennam quidem. Id tantum vident, nec præterea quid, Quia non semel, sed tertio, Dominum negarat, non semel, sed tertio interrogatum fuisse de amore: atque ita cum negationem trinam trina confessione delesset, Apostolatus loco, quo exciderat, restitutum esse. Nam de Primatu plane silent; Primatus tum Christianæ forte disciplinæ pars aliqua, *Ordini* (ut eleganter Rex imprimis) et *discrimini*[t]; Christianæ fidei pars nulla. *Ordini* etiam, et *discrimini*, etiamnum ei locus. Sed ille vobis non satis: quibus, aliud primum in Primatu quæritur, quibus Primatus *Ordinis* non placet; nec ullus, nisi qui extra, (addo etiam, contra quoque) ordinem sit.

Affirmat Rex, p. 56. Rom. Pontificem esse Antichristum At Christus Jo. v. dixit ad Judæos, "Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me, si alius venerit in nomine suo illum accipietis." Ex quo loco colligunt S. Patres . . . Antichristum recipiendum esse a Judæis ut Messiam; satis autem constat Pontificem a Judæis nunquam habitum esse pro Messia. Proinde ex sententia Christi Antichristum non esse.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 6. [Op., tom. vii. col. 708. A.]

3. Excipit tertio, *Fidei defensor* esse non potest, Committit enim in fidem, qui Pontificem, in loco, affirmat *Antichristum*. Is autem Antichristus esse non potest. *Non enim a Judæis pro Messia suo habitus.* Habendum autem pro Messia *Antichristum* a Judæis. Et huic rei, notat nescio quid de Patribus. E quibus postquam conjectanea quædam [De Antichristo Regis sententia.]

pascere dominicum gregem; si fuit timoris indicium negare pastorem."—S. Aug. in Evan. Joan. Tract. cxxiii. sect. 5. Op., tom. iii. col. 2462. B. C.]

[a] [Χρῆναι γὰρ ὄντως φημὶ καὶ τὴν κεκρυμμένην ἐν τούτοις διερευνῆσαι διάνοιαν· οὐκ εἰκῇ γεγράφθαι καὶ ταῦτα, ὠδίνει δέ τι πάλιν ὁ λόγος, καὶ τῶν προκειμένων ὁ νοῦς ἔχει τι πάντως τὸ ἐνδομυχοῦν· ἢ γὰρ οὐκ ἐρεῖ τις εὐλόγως, μόνον ἐρωτᾷ τὸν Σίμωνα, καίτοι τῶν ἄλλων παρεστώτων μαθητῶν, διὰ ποίαν αἰτίαν; τί δ' ἂν βούλοιτο δηλοῦν τὸ, Βόσκε τὰ ἀρνία μου, καὶ τὰ τούτοις ἀδελφά. Φαμὲν οὖν, ὅτι κεχειροτόνητο μὲν ἤδη πρὸς τὴν θείαν ἀποστολὴν ὁμοῦ τοῖς ἑτέροις μαθηταῖς ὁ θεσπέσιος Πέτρος· αὐτὸς γὰρ αὐτοὺς ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἀποστόλους ὠνόμασε κατὰ τὸ γεγραμμένον· ἐπειδὴ δὲ πραχθῆναι συμβέβηκε τὰ τῆς Ἰουδαίων ἐπιβουλῆς, καί τι μεταξὺ διεπαίσθη καὶ γέγονεν, (ἀκράτῳ γὰρ δείματι καταληφθεὶς ὁ θεσπέσιος Πέτρος ἠρνήσατο τρὶς τὸν Κύριον) θεραπεύει τὸ πεπονθὸς, καὶ ἀνταπαιτεῖ ποικίλως τὴν εἰς τρίτον ὁμολογίαν, ἀντίσταθμον ὥσπερ ἐκείνῳ τοῦτο τιθεὶς, καὶ ἀντίρρυπον τοῖς πταίσμασιν ἐξαρτύων τὴν ἐπανόρθωσιν . . . . οὐκοῦν διὰ μὲν τῆς εἰς τρίτον ὁμολογίας τοῦ μακαρίου Πέτρου τὸ ἐν τριπλῷ γεγονὸς εἰς ἀπάρνησιν κατηγήθη πλημμέλημα· διὰ δὲ τοῦ φάναι τὸν Κύριον, Βόσκε τὰ ἀρνία μου, ἀνανέωσις ὥσπερ τις τῆς ἤδη δοθείσης ἀποστολῆς αὐτῷ γενέσθαι νοεῖται, τὸν μεταξὺ λύουσα τῶν πταισμάτων ὀνειδισμὸν, καὶ τὴν ἐκ τῆς ἀνθρωπίνης ἀσθενείας μικροψυχίαν ἐξαφανίζουσα.—S. Cyril. Alex. in Joan. cap. 21. Comment. lib. xii. Op., tom. iv. pp. 1118. E, 1119. A. B, 1120. A.B.]

[t] [Præf. Monit.] p. 50. [Vide supra, p. 17. not. [b].]

libavit, laxe nimis concludit, *Proin ex sententia Christi Papam Antichristum non esse.* Quasi quicquid Patres de re ventura conjiciunt, statim pro *sententia Christi* sit habendum. Recipiendum quidem a Judæis *Alium* illum, (quicunque tandem is sit) dicit Christus, dicunt Patres; Recipiendi autem modi plures sunt; ut recipi possit multimodis *alius* ille, nec pro Messia tamen reputari.

Sed cur in eo loco fatiget se quisquam? Venit Alius, nempe Theudas[u]: Alius, nempe Ægyptius[x]; Alius, Barchozba[y] scilicet: Alii præterea impostores multi venerunt non multo post, *in nomine suo venerunt*, recepti sunt: quod, ad Christi prophetiam complendam, ad loci sensum eruendum satis, ut expositione illa nihil opus, *Alius (id est)* Antichristus.

[Conjecturæ Patrum.]

At Patres tamen sic colligunt. Imo conjiciunt alicubi tale quid, non *colligunt*. Quis enim ex *Alio*, voce tam generali, nec ullo modo restricta, colligat Antichristum? Aut
18 quis *Esse* Antichristi pendere faciat ab *haberi* Judæorum? Sit modo; *habeant* illi, ne *habeant*, non valde interest. Non *colligunt* igitur, augurantur modo, et tanquam de re futura conjecturas suas interponunt. Audi Cyrillum, *Hæc ratiò a Salvatore dicta prophetice, tempore suo reipsa veritatem habebit*[z]. Et cum sententiam suam apponit, *Hinc arbitror*, inquit. Ita arbitrii modo res, apud Cyrillum. Quid Ambrosius? *Quamobrem ex circumcisione vel* [leg. *aut*] *circumcisum illum venire sperandum est*[a]. Sperandum; spem ergo dicit, rem non affirmat, sed tale quid fortasse fore ominatur. Irenæus autem quid? *Alium dicens Antichristum: quoniam alienus est a Deo* [leg. *qui alienus est a Domino*], *et ipse est iniquus Judex*[b], *qui a Domino dictus est, quoniam Deum non timebat, nec* [*neque*] *hominem reverebatur, ad quem fugit vidua oblita Dei (id est) terrena Jerusalem*[c]. Viden', ut unica periodo,

[u] [Act. Apost. v. 36.]
[x] [Act. Apost. xxi. 38.]
[y] [Euseb. Hist. Eccl. lib. iv. cap. 6. p. 145.]
[z] In Joan. [Evang. tom.] i. [lib.] iii. cap. 6. [col. 705. Op., Latinc. Paris, 1573. Ἐντεῦθεν, οἶμαι, συνεὶς καὶ ὁ μακάριος Παῦλος ἀληθές τι φησὶ περί τε τῶν Ἰουδαίων, καὶ τοῦ τῆς ἀνομίας υἱοῦ, Ἀνθ' ὧν τὴν ἀγαπὴν τῆς ἀληθείας κ. τ. λ. (2 Thess. ii. 10—12.) Ἀπόδειξις τοίνυν τοῦ μὴ λόγοις εἰκαίοις βεβλῆσθαι τοὺς Φαρισαίους παρὰ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν τὸ εἰρημένον ἐστὶ, πράγματος ἐσομένου κατ' οἰκεῖον καιρὸν προφητείαν εἴσφερον. —S. Cyr. Alex. Comm. in Joan. (cap. v. ver. 43.) lib. iii. cap. 2. Op., tom. iv. p. 262. B. C.]
[a] [Hilarius Diaconus (vide Cavei Hist. Lit. tom. i. pp. 217, 263.)] in 2 Thess. c. iii. [(leg. ii.) apud S. Ambr. Op., tom. ii. Append. col. 286. B.]
[b] Luke xviii. 2.
[c] [S. Iren. contr. Hær.] lib. v. [cap. 25. p. 323. col. 2.]

duo hi inter se cohæreant? ut si, *Alius*, hic in Joanne, Antichristus; et Judex ille iniquus in Luca habendus sit pro Antichristo et Messia Judæorum. Verum enim, Allegoriæ modo sunt hæ, (quis non videt?) et conjecturæ meræ: nec secus habendæ. Aliter enim habendi Patres, cum Commentarios in Contextum, aliter, cum vaticinia de futuris scribunt, etsi hæc ipsa scribant in Commentariis.

Illa sunt apud Patres multo magis liquida: apud Hieronymum de Sede Antichristi Roma[d]: apud Irenæum de numero nominis λατεῖνος. *Valde verisimile*, (inquit) *quoniam verissimum* [leg. *novissimum*] *Regnum hoc habet vocabulum. Latini enim sunt qui nunc regnant.*[e] Apud Chrysostomum, de tempore: *Vacantem imperii Principatum invadet*[f]: quæ tamen, si quis premeret, *spargi* (credo) diceret illa Cardinalis, non *colligi*: nec ea statim *pro Christi sententia* habiturus esset.

Quanquam, quicunque demum *Alius venisset in nomine suo*, non immerito forsan Antichristus indigitari posset: sed, de multis illis Antichristis, de quibus Joannes in Epistola[g], e quibus, non nemo forte recipiendus a Judæis pro Messia, nisi jam etiam olim receptus sit. At magnus Ille, (de quo nobis sermo) non modo *Alius*, (nimis angusta ad illum, nimis blanda vox hæc, *Alius*) non *Alius*, non *diversus* ille modo; plane *adversus* erit, atque (ut eum vocat Apostolus) ἀντικείμενος. Longe vero inter se remota, *Alius Christus* in Epist. ad Cor.[h]: et *Antichristus*, in Epist. ad Thessalon[i]. Inter duo hæc, lata 19
(ut vides) distantia pene ex tota diametro.

Verum, sit, ne sit *Antichristus*, nihil hoc ad *Christianam fidem*, de qua instituerat dicere Cardinalis, cum non proponat hæc sua Rex quasi *res fidei*, sententiam modo de re suam aperiat. Verba ipsa ipsius sunt: *Nolle se rem hanc Christianis omnibus ad credendum necessariam urgere, sed quid de toto hoc negotio sentiat, nude et simpliciter explicare*[k]. Quæ

[d] ["Lege Apocalypsim Joannis et quid de muliere purpurata, et scripta in ejus fronte blasphemia, septem montibus, aquis multis, et Babylonis cantetur exitu, intuere."] — Epist. [Paulæ et Eustochii] ad Marcell. [apud S. Hier. Epist. Ep. xlvi. Vall. (al. xvii.) sect. 11. Op., tom. i. col. 206. A. Hæc quoque olim totidem verbis repetebantur ad calcem Ep. xliii. Hieronymi ipsius ad Marcellam, e qua ea Vallarsius expunxit. Vide not. Vallarsii ad loc.]

[e] [S. Iren. contr. Hær.] lib. v. [cap. 30. p. 329. col. 1]

[f] ["Οταν δὲ αὕτη καταλυθῇ, ἐπιθήσεται τῇ ἀναρχίᾳ. S. Chryst. Hom. iv. in 2 Thess. ii. Op., tom. iv. p. 235. lin. 30.]

[g] 1 John ii. 18.

[h] 2 Cor. xi. 4.

[i] 2 Thess. ii. 4.

[k] ["Nolo rem tam obscuram et in-

quam vim habeant, post visuri sumus: an scilicet Pontifex, non a Christo *Alius* sit; (de quo nemini dubium est:) sed, an *Alius* sit ab *Antichristo.*

Atque hæc, Cardinalis acies prima, in qua vides (Lector) Triarios ejus, quos magno judicio selegit, in primam, quæ acerrima solet esse, coitionem. Ut Transubstantiationi primo cautum sit. Tum, Petrus, ut Monarcha sit. Papa ut Antichristus ne sit. Pro primo, *Hoc est corpus meum.* Est (id est) *non est, nisi convertatur*[l]. Convertatur (id est) *transubstantietur in corpus meum, ut recte docet Concilium Tridentinum, Sess.* 13[m]. Pro secundo: *Pasce* (id est) *Regio more impera*[n]: Reges proscribe, proculca, macta. Pro tertio: *Alius* (id est) *Antichristus.* Tribus his salvis, res Christiana stat: negatis, *labascit, Hui quam cito*[o]*!* Tria hæc qui defendat, Ajax sit fidei Christianæ: Qui secus, expungi stylum illi, ne *Fidei Defensor* sit. Hic est enim Cardinali Tripos Christianitatis suæ.

Omitto cætera, quæ Rex in ... Præfatione ... negat, ut Intercessionem Sanctorum, Missam, Purgatorium, Indulgentias, &c. Quæ qui negat, eum Catholicum ... non esse ... non solum docti sed etiam idiotæ sciunt.—[Boll. Apol. pro Resp.] p. 6. [Op., tom. vii. col. 708. A.B.]

Omittit cætera: poterat et ista, non minus. Non enim tam speciosa, ut vel in calce libri, nedum in fronte collocari opus esset. Quanquam, quæ hic dicit *omittere se,* (ut est labili memoria) resumit post omnia. Et nos ibi, ut hoc jam loco hæc, ita illo etiam illa *omitti* potuisse, nescio an *idiotis ejus,* eruditis (spero) probaturi sumus. Non enim (credo) illis scribit hæc tam elumbia, nec aliud toto hoc scripto suo videtur agere, quam ut *Idiotas suos* conservet in *Idiotismo suo.*

Quod fides, quam Rex defendit, non possit vere dici Catholica, =

[Quæ sit fides Catholica.]

Quorsum vero negotium sibi jam det Cardinalis, ut probet non esse, quam Rex defendit, *Catholicam fidem:* Quæ, si *Christiana* non est, *Catholica* esse non potest? Recte enim sic procedit consequentia, *Non Christiana, non* ergo *Catholica.* At vitiose illa illius, cum Tortus esset, *Cum non sit Catholicus,*

volutam, tanquam omnibus Christianis ad credendum necessariam urgere." —Præf. Mon.] p. 56. [p. 70.]

[l] [Vide supra, p. 15.]

[m] [Vide supra, p. 16. not. [a].]

[n] [Vide supra, p. 19. not. [f].]

[o] [Terent. Eunuch. i. 2. 98.]

Christianus non est[p]. Latior enim vox *Christiani*, ad omnes diffusa, qui Christo nomen dederunt in Baptismo. Moneo hic Lectorem; duo jam sunt Cardinali, *Christianus* et *Catholicus*, dudum non erant: Errorem hunc suum videtur jam *recognoscere*, dum distinguit ipse duo hæc, dum duo jam illi sunt, *Catholica* et *Christiana*. Sit vero venia confitenti. Nisi illud forte fuit, cum vidit se in *Christiana fide* tam jejunum fuisse, experiri etiam vult, an si *Catholicam* assumeret, magis ei meliusve fortuna responderet. 20

= intelligi potest ex definitione quam tradit Vincentius Lirinensis ... Illud enim dicit esse Catholicum quod semper et ubique creditum est.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 6. [Op., tom. vii. col. 708. B.]

Ubi Lirinensi primum assentimur, de cujus definitione lis nulla nobis. Quod obtinuit *semper et ubique et apud omnes:* quod *semper et ubique et ab omnibus creditum est*[q], Catholicum esto. Qua una regula surreptitiæ omnes opiniones vestræ jugulantur. Nominatim priores tres: *Transubstantiatio* enim *vestra* non *semper:* Non enim per duodecim sæcula. *Primatus* non *ubique:* Non enim Oriente toto. *Alius* autem, ut *Antichristus* sit, nec *semper* nec *ubique:* totaque res conjectura est.

Certe autem per mille quingentos annos, ne nomen quidem Protestantium auditum est.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 7. [Op., tom. vii. col. 708. B.]

Certe autem (inquit) *per mille quingentos annos, ne nomen quidem Protestantium auditum. Certe autem,* nomen *Jesuitarum* adhuc pauciores numerat, nec per aliquot post annos auditum est, quam *Protestantium:* quos tamen siquis Catholicos negaret, *pungeret* (credo) Cardinalem, cui etiamnum *Jesuitici* sanguinis nonnihil bullit circum præcordia. *Certe autem* nos de *Protestantium* nomine fidei articulum non facimus: at vos de *Transubstantiationis,* cujus per *mille* tamen *ducentos annos ne nomen quidem auditum.* Quare vos ista potius, nos quidem non feriunt. *Protestantium* nostris nomen ab eventu fuit: Errores enim tum quosdam, et abusus, non diutius tolerare velle se, sed jam tollere, protestati sunt: cætera vero, quæ sana, (erant enim sana tum pleraque) vobiscum retinere. Ab hac *protestatione* nomen [Unde ortum nomen Protestantium.]

[p] [Resp. Tort. p. 97; et Bell. Op., tom. vii. col. 683. C.]

[q] [Vincent. Lirin. Comm. cap. ii. p. 6. Oxon. 1837.]

acceperunt: non inhonesto autem facto hoc, ut, a quo vestris nuper nomen inditum, ut dicerentur *Pulverarii*. Salva autem protestatione hac (quod Cardinalem non latet) haud ulla est fides nostra, nisi quæ vestra est, vel esse debet: vetus scilicet illa *Catholica*, duobus Testamentis, tribus Symbolis, quatuor Conciliis comprehensa: tantum, ab opinionum quarundam commentis, et abusuum corruptelis, quæ *partim*
21 *vitio temporum, partim hominum incuria, vel in ipsam Missam irrepserunt*, (fatente rem Synodo vestra ipsa Tridentina[r]) pristino splendori restituta. Inde adeo, *Reformatam* modo *religionem* dicimus, non *formatam* de novo. *Renovatores* modo sumus, non *Novatores*. Et vos, si eadem illa *reformari* sineretis apud vos, in quibus nobiscum non estis, (*in plurimis enim nobiscum estis*) rediret Orbi pax. Nec enim *Protestationis illius* vis alia, neque diutius vim habitura, quam tantisper dum illa instaurentur apud vos, quæ sic *temporum vitio, hominum incuria*, abierunt in abusum.

Ac ne de omnibus Articulis novis, quos Rex defendit, disputationem suscipiamus =

[Articuli, quos Rex defendit, minime novi,] Non vult tamen *omnes Articulos Regis novos excutere* Cardinalis. Qui potest *omnes?* cum nec unus ibi *novus* sit. Qua figura, facile agnoscas Tortum fuisse. Antiquum enim obtinet, ut *nolle* se dicat, quasi, si velit, possit; cum plane id non possit, ne si velit quidem maxime. Nec unus (inquam;) nec ille aculeatus, de summa Regis ad Ecclesiasticas res potestate, *novus* est: quem toties vellicat, sed quoties id facit, cruentat sibi digitos semper, ut præstet non attigisse.

= ille certe primarius =

[nedum ille de Primatu Regio.] Neque tamen *articulus* ille *primarius* apud nos, sed ne *articulus* quidem: inter *ὀρθὰς δόξας* potius, quam fidei articulos: utpote de exteriori modo regimine, qua humanam opem et auctoritatem exposcit atque admittit Ecclesia. Nobis enim non tam *articulosa* fides, quam vestris hominibus, qui ad Theses singulas crepant, *Est de fide*. Vobis, quibus datum est vestra omnia *in eodem lumine* videre, quibus vestra omnia, *ab eodem proponente infallibili* habere, abundare licet *articulis* ad *arthritim* usque: nobis non licet esse tam *articu-*

[r] [Conc. Trident.] Sess. xxii. [Decret. de Observand. et evitand. in celebr. Missæ.—Conc. tom. xiv. col. 856. C.]

latis, quibus non contingit ita esse *collustratis*, aut *proponentes* habere sic *infallibiles*. Nec sic ergo singula trahimus ad *fidem:* sat est, de quibusdam Religionis capitibus cum Apostolo πιστεύειν, id est, *credere:* de aliis πείθεσθαι, *persuaderi* modo, quæ tamen infra *fidem* subsistant. Satis ergo nobis, vel si extra *fidem* sit, dum inter *orthodoxa* modo *dogmata* locum habeat.

= et proprius Anglorum, de primatu Regis in spiritualibus . . . .

Tum, neque nostrum hoc dogma, primum: idem olim populi Dei fuerat, nempe Judæorum. Nec *Regibus Anglis proprium*, nisi quia reliqui uti nolunt jure suo. Commune autem et reliquis futurum, cum jure suo uti volent; volent autem cum videbitur; videbitur cum res feret; cum simili *pulvere* perspersi fuerint, utentur tum jure suo; atque adeo, jam jam utuntur reliqui, qui a nobis sunt, etsi non titulo forte; at praxi, et reipsa tamen. [Qui a regibus Judæis,] 22

. . . adeo recens est, ut primus auctor ejus nostro tempore vixerit, Henricus videlicet Octavus Rex Anglorum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 7. [Op., tom. vii. col. 708. B. C.]

Sed nec *recens* est, qui tantum abest, *ut sit annos mille quingentos a Christo nato*, ut *annos mille quingentos* ante natum Christum fuerit. Nec *Auctor ejus Henricus Rex nostro sæculo:* sed Moses suo; qui exuto Sacerdotio, Aaroni tamen præfuit: quique, cum Legis Exemplar Regi traderet, cum eo sic tradito summam Religionis, (quæ prima summaque legis pars est,) custodiendæ, et custodiri faciendæ potestatem tradidit. [non ab Henrico VIII. ortum suum habuit.]

Ipse primus abnegata obedientia Summi Pontificis se Caput Ecclesiæ Anglicanæ nominari, et agnosci voluit. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 7. [Op., tom. vii. col. 708. C.]

Nec distinguit hic commode Cardinalis, cum rem autumat tum primo natam vel datam, cum, aliquandiu forsan intermissa, postliminio revocata est. Penes enim Reges Israelis fuerat potestas hæc: penes Christianos Cæsares: penes et nostros hic in Britannia. At Pontifex ad tempus occuparat, per fraudem, an vim, an utramque? Quare, ut malæ fidei possessor. Monitus de eo Rex, opportune autem monitus, cum Clemens VII. causam ejus quandam de anno in annum

ducceret, atque ita illuderet Regi: factum inde, ut Henricus VIII. noster revocaret ad se, quod suum erat: Nec id tamen prius, quam edito libro (quem 'De vera obedientia' conscripsit tum Stephanus Wintoniensis Episcopus[a], vir eo sæculo magni inter doctos nominis) causæ Regiæ justitiam Orbi Christiano abunde satis probasset. Cui libro, nec dum responsum a vobis, *vestri hominis*. Docetur ibi, non *recens opinio* hæc, sed jam usque a Mosaicis ducta temporibus; et antiquos satis auctores habuisse ex prisco sæculo, *annos bis mille, bis quingentos* priusquam Rex Henricus VIII. vel Clemens VII., diu etiam, antequam vel *Numæ* Regis, vel *Pontificis* in orbe, vel *Romæ* etiam ipsius *nomen auditum* est.

Cujus rei testes sunt omnes ejus temporis Historici, Jo. Cochlæus . . . de vita Lutheri, Laur. Surius in Hist. nostri temp.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 7. [Op., tom. vii. col. 708. C.]

Atque hæc (sat scio) Cardinalem non fugiunt, nec erat cur Testes illos suos conductitios hic vel nominaret, Cochlæum et Surium: quorum ille, maligno in Regem animo (quod vel scripta ejus virulenta testantur: alter hic fabulosus, et novæ Legendæ Concinnator; uterque, hospes et peregrinus in Republica nostra.

Sed unum Auctorem præterire non possum, qui scribit ea quibus interfuit. Is est Mauritius Cheneyus [Channei, (apud Bell. Op.)] Anglus Carthusianus, in li. de vita, et martyrio Carthusian. c. 9. . . . Et cap. 10. scribit missum fuisse D. Tho. Cromwellum, cum aliquot Consiliariis ad tres Monachos Carthusianos in Turri Londinensi carceratos, ut eis proponeret Decretum Parlamenti, quo jubebantur auctoritati . . . Papæ renunciare, et solum Regem in Caput Ecclesiæ recipere. Cumque . . . respondissent . . . se consensuros . . . in quantum lex divina permiserit; subjunxit ille, nullam exceptionem admittam, sive lex divina permiserit, sive non. Replicaverunt nostri . . . Ecclesiam Catholicam aliter semper tenuisse. . . . Respondit ille, Non curo Ecclesiam, vultis consentire annon?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 8. [Op., tom. vii. col. 708. D. 709. A.]

[Carthusiani quidam Primatum negant,]

23

At, utroque longe pejor is, a quo tamen hausit uterque fabulas suas, Carthusianus transfuga, Illustris Auctor scilicet: Channei eum editione prima dixerat Cardinalis (atque ita se scribit ipse libro suo;) in secunda Cheneyum: post vero, libri ejusdem in calce, inter errata, exit nobis repente novo nomine Chauceus: homo, ut videtur, non minus fidei quam nominis incerti. Is, cum civis perditus vertisset solum; aliquid ei mentiendum erat, ut stipendia mereret Patris in majore Car-

[a] [Vide Stephani Gardineri Ep. Winton. Orat. de vera obedientia apud Fascic. rer. expet. et fugiend. tom. ii. p. 802. seq.]

thusia, qui cum aliquo in angulum amandaret, ubi pisciculos exul esitare posset. Lege Lector, quæ vel exscripsit hic Cardinalis ex suo Channei, Cheneyo, Chauceo, scies Carthusiani mendacia esse, ita squammas habent. Adeone enim obtusum esse quenquam, aut infelici genio, cui stultus hic Monachus fidem faciat, Cromwellum, Principem tum in Republ. virum, (qui nullo sane natalium splendore, sola ingenii præstantia, maturitate judicii, et in rebus gerendis dexteritate summa, ad summos honores pervenerat,) ita vecordem fuisse; ita, qui cum illo erant, Consiliarios Regios insensatos, ut hæc illis verba excidere possent, *Sive lex divina permittat, sive non, facite?* Et illa: *Non curo Ecclesiam; vultis, annon?* Quam vero crassum hoc et squammosum mendacium? *Sive lex divina permittat, sive non.*

Quid opus autem? 1. Cum Quinquennio ante in Synodo definita res fuisset: qua tum in Synodo, Roffensis et ipse subscripsit[t]. 2. Biennio vero ante, Decretum denuo renovatum in Synodo altera, (nempe, Jus illud Regium Legi divinæ apprime per omnia consentaneum[u].) 3. Cum ad Crucem Paulinam (qui locus est ad conciones habendas toto Regno celeberrimus) Episcopi id ipsum singuli, ex Ambone, Lege divina permissum docuissent[x]. 4. Cum id ita esse etiam, *chirographo* quisque suo atque *juramento* confirmassent[y]. 5. Cum annum

[a majori Regni parte approbatum et acceptum.]

[t] [Vide Concessionem factam in Synodo Provinciali per Clerum Cant. Prov. A.D. 1530. apud Wilk. Conc. tom. iii. pp. 742—744.: ubi ita legimus, "Cujus Singularem protectorem unicum et supremum Dominum, et quantum per Christi legem licet, etiam supremum caput ipsius majestatem recognoscimus." Volucrat Henricus concessionem his verbis concipi; 'Cujus Protector et supremum caput is solus est.' "Ille" autem "de supremate regis conceptus haud bene placuit prælatis et clero, inde eum modificari voluerunt. Per tres itaque Sessiones cum consiliariis regiis ratio inita fuit, quomodo Regis animum flectere possent ad mollioribus verbis exprimendum articulum. Rex autem per Vicecomitem Rochefordiæ eum hoc modo conceptum remisit; 'Cujus protector et supremum caput post Deum is Solus est:' ac ulterius colloquium cum prælatis et clero super eo negotio habere recusavit. Tandem die 11 Februarii Archiepiscopus articulum de suprematu regis in Synodo proposuit his verbis, 'Ecclesiæ et Cleri Anglicanæ, cujus,' etc. (ut supr.) Cui reverendissimus consensum fratrum suorum requisivit, dicens, 'Qui tacet, consentire videtur.' Ad quod dictum quidam respondebat, 'Itaque tacemus omnes.' Unanimi igitur consensu utraque domus huic articulo subscripsit." — Wilk. Conc. tom. iii. p. 725 Vide quoque Concil. Cleri Prov. Ebor., et concessionem ejusdem ibid. pp. 744, 745.; et Protestationem Tunstalli Epis. Dunelm. p. 745.]

[u] [Vide Instrumentum de Submissione Cleri A.D. 1532. (Wilk. Conc. tom iii. p. 754.) et Convoc. prælat. et Cler. Prov. Cant. A.D. 1534. (ibid. 769.)]

[x] [Vide Tonstalli Concionem apud Foxii Act. et Monum. lib. viii. p. 1060., et Longlandi Concionem, ibid. pp. 1097—1100. Lond. 1583.]

[y] [Vide Fidelitates et Juramenta, apud Rymeri Fœdera, tom. vi. par. 2. pp. 194—209. Hagæ Comit. 1745.]

jam ante, in utraque Academia Cantabrigiensi[z] et Oxoniensi[a], agitata diu res, ac conclusa tandem fuisset (lege divina id Regi licuisse.) 6. Cum nihil horum in angulo gestum sit, sed in urbe Regni primaria (in qua et Carthusiani illi Monasterium suum habebant) quid opus, *Sive lex divina permittat, sive non?* Poterant enim lege divina vel maxime permissum affirmare Consiliarii: nec poterant, id ita esse, Monachi tres ignorare. Quid vero opus, *Non curo Ecclesiam?* Cum Ecclesiam Anglicanam universam, cum tot haberent summos viros, eruditionis laude (quam late patet orbis Christianus)
24 notissimos: Warhamum Cantuariensem, Leum Eboracensem, Tonstallum Dunelmensem, Stokesleium, Londinensem, Gardinerum Wintoniensem, Longlandum Lincolniensem, Westum Eliensem, Clercum Bathoniensem, Hethum, Bonerum, Foxium, Clerum denique totum; quos tribus istis misellis et semidoctis Monachis opponerent. Quisquam ut hæc credat *Carthusiano* pro *Carthusianis* suis, contra *Consiliarios Regis* mentienti?

[Miracula quædam Carthusiana.]

1. Credat ergo et illa, quæ in eodem libro[b] ubique scatent, mendacia. De suo ibi quodam Commonacho, qui peregrinatus in terram sanctam, *captus ibi ab Agarenis* est, *carceri traditus*, postridie scilicet *occidendus:* ubi, cum Imaginem quandam *Divæ Catharinæ* in ædibus suis paternis cogitasset, eamque *crebris suspiriis pro liberatione invocasset*, ac *in supplicatione illa sua incidisset in somnum; evigilans, invenit se in paternis ædibus ante imaginem illam sedere, per immensa maris et terrarum spatia subito translatum, non sine grandi miraculo.*

2. Grandius illud tamen. Eundem quoque Tynzbi *raptum quodam tempore in Paradisum, ubi audivit verba ineffabilia,* (eadem proculdubio, quæ Paulus) etiam, quod Paulo non datum, *multos ibi agnovit familiares olim suos.* Et *scribit* (ait Cardinalis) *ea quibus interfuit:* qui raptui tamen illi in Paradisum (credo) non interfuit[c].

[z] [Vide Academiæ Cantab. determinationem adversus supremat um Papæ. Wilk. Conc. tom. iii. pp. 771, 772.]

[a] [Vide Protestat. Univ. Oxon. quod Romanus Episc. non habet majorem aliquam jurisdict. sibi a Deo collatam in hoc regno Angliæ, quam quivis alius externus Episcopus.—Wilk. Conc. tom iii. pp. 775, 776.]

[b] [Passio xviii. Carthusianorum in Regno Angliæ (per Mauritium Channey) apud Histor. aliquot nostri sæculi martyrum. Mogunt. 1550.] cap. 7. Gulielm. Tynzbi. [fol. xxxiv.]

[c] Cap. eodem. [fol. xxxv. a.]

3. Credat et hoc. Alteri etiam ibi, postquam *attœdiatus exisset a vesperis deambulatum in Capitulo,* imaginem Crucifixi in pariete circumegisse se, et posteriora sua subito illi obvertisse, *quasi averteret se totaliter ab eo*[d].

4. Credat: Alteri cuidam *Bufones magna copia asseclas,* (nunc *reptantes,* nunc *salientes,*) *commensales ac convivas in mensa, contorales in lecto* fuisse *per mensem integrum,* qui et *in discum ejus* (Monacho enim huic, *patina discus* est) *prosilirent,* nec læsum tamen ab eis toto hoc tempore[e].

5. Credat denique et hoc: Hostiam, quam Monachus alter peste correptus, et morti jam proximus, sumptam aliquandiu post *retinere non posset, sed vomitu rejecisset, cum omni ejecta immunditia collectam* fuisse, in eaque *biduum totum* jacuisse: *triduo autem post expurgatam, repositam in loco sacro:* eoque, nescio quot de cœlo Sanctos nocte Hostiam illam rejectaneam veneratum venisse[f]. Quo audito, motum Houghtonum (de tribus illis, quos ita celebrat, unum) *postposito timore nauseæ, mox se, cum omni alacritate, ad celebrandam Missam præparasse, sub qua et Hostiam illam reverenter et affectuose hausisse*[g]. Subdit autem, *Sed quam præclarus iste sibi calix esset, nemo scit nisi qui accepit*[h]. Certe si credat hæc Cardinalis, jubebo medicos quærere, annon illi *polypus* in naso: adeo necesse est, omnem odorandi sensum periisse ei, cui mendacia hæc tam pisculenta non suboleant. 25

Quomodo autem Catholica est, id est, semper credita, si ante annum 1535. audita non est?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 8. [Op., tom. vii. col. 709. A.]

[Primatus Regius minime novus,]

Post vero, quæstione nos opprimit. *Quomodo autem Catholica est, id est, semper credita, si ante annum millesimum quingentesimum trigesimum quintum audita non est?* Nos vicem illi referimus. Quomodo autem *Transubstantiatio Catholica* est, *id est, semper credita?* quomodo *Concomitantia?* quomodo *species unica?* Et vix tempero me, quin admoveam *Quomodo hoc,* pluribus vestris novitatibus. Sed respondeo; *Creditam eam semper,* vel *ante annum ter millesimum.* Testem cito e Schola vestra Joan. Parisiensem, qui, ante annos jam trecentos, fassus, *In veteri lege Sacerdotium potestati Regiæ subjectum*

[d] Gregorius, cap. 8. [fol. xxxix. a.]
[e] Joh. Dailei, cap. eodem. [fol. xxxix. b.]
[f] Cap. 2. [fol. xvi. a.]
[g] Joh. Houghton, [fol. xvi. a.]
[h] [Ibid. fol. xvii. b.]

fuisse. Sacerdotes etsi tum inungerent Reges, tamen indubitanter Regibus subditos fuisse[i]. Verum, sine Jesuita nihil fit. Responde ergo Salmeron. *Potestas spiritualis legis naturæ, vel Mosis, minor erat Regia potestate in Veteri Testamento, et ideo etiam summi Sacerdotes Regibus subdebantur*[k]. Quomodo ergo *Catholica* non est, id est, *ab initio semper credita?*

Vel si nova non est, sed antiqua, cur Sancti illi Martyres novitatem ejus ita exhorruerunt?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 8. [Op., tom. vii. col. 709. A. B.]

[a Carthusianis haud rejiciendus.]

Tum, altera quæstione rem conficit. *Si nova non est, sed antiqua, cur Sancti illi Martyres novitatem ejus ita exhorruerunt?* Quia scilicet Monachi erant. At Academiæ, at Clerus totus, at tot eruditi sanctique Episcopi, tot in Regno passim primarii viri, nullam in ea novitatem, quam horrere, antiquitatem potius, quam venerari possent, edocti, statim agnoverunt. At hi, Monachi erant, Brunonem solum callebant, de Missa syllabatim dicenda, et de piscibus arte corrumpendis, ut averso stomacho conciliari possent. Quid *de novitate* esset, quid *de antiquitate*, nesciebant. Carthusiæ, talia *curæ non sunt*. Nam, vel si Conciones illas tam crebras tam celebres audiissent, si Academiæ utriusque, si utriusque Synodi Decretum legere atque intelligere potuissent, cessasset illis
26 *horror* statim omnis: vidissent, non *novum* hoc aut *recens*, Legem autem id divinam permittere: vidissent et *Ecclesiæ auctoritatem curare* se, et juramentum tamen jurare potuisse. Chauceum vero vel Liber 'De vera obedientia' Gardineri docere potuisset, vel, (qui tum in vivis erat) Salmeron ipse; et dogma hoc, et vero praxin ejus non *novam*, sed ab *antiquitate* usque ultima: jam inde enim a Lege naturali et Mosaica, id est, *ab initio semper fuisse sic.*

[Illi pro martyribus non habendi.]

Martyres vero *Sanctos* cur eos appellat Cardinalis, qui fidem suam professi non sunt? Imo (qua ab ipsis fuit) fidem hanc suam plane abnegarunt? Nam, cum pro Tribunali caput esset Actionis in eos, quod vicesimo die Aprilis in Arce Londinensi coram diversis Regis subditis dixissent, Ecclesiæ Anglicanæ primatum Regi non concedendum[l]; negare factum singuli, nec se tale quid dixisse unquam, et (quæ

[i] [Jo. Paris.] De Potestate Regal. et Papal. c. xix. [apud Goldast. Mon., tom. ii. p. 154.]

[k] [Salmeron] De Potestate Eccles. et Secul. Tract. lxiii. [Op.] tom. xii. [p. 428. col. 1. Col. Agr. 1604.]

[l] Ex Archivis Regni.

fori nostri formula est) *sese in nullo inde culpabiles.* Ut Testibus tum opus, ut tabulis agendum fuerit, quibus egregii illi *Martyres* Confessionis fidei suæ convincerentur. Certe *Martyres*, ipsi *testes* esse, non *testibus* convinci solebant. Et vobis tamen hi *Martyres* sunt, qui non ausi palam et libere testari fidem suam, sed tergiversari coram Judice, negare rem penitus, (quod ex Regni Archivis constat) quique, nisi convicti testibus, cuticulam servassent probe, et *Martyrii* gloria non illibenter caruissent. Houghtonus quidem, qui *cum omni alacritate, et affectuose* ad vomitum illum confratris sui, non cum pari vel alacritate, vel affectu ad *Martyrium* accinxit se, sed enim qua potuit, detrectavit.

Non [neque] solum fides ista Regis non est Catholica, quia non semper credita, sed etiam quia non ubique credita. Fides enim Catholica, ab initio Apostolicæ prædicationis in universo mundo . . . fructificare cœpit. . . . Neque huic veritati repugnat, quod hæreses quoque in universo mundo sunt.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 8. [Op. tom. vii. col. 709. B.]

2. *Semper* non successit, quid *ubique?* (Nam, *ab omnibus,* Cardinalem *pungeret.*) Philosophatur vero hic Cardinalis, et docet Lectorem suum, quid sit *ubique;* nempe *in universo mundo.* Verum enim, quia quæ jam est, *Romana* fides per universum mundum nec diffusa modo est, nec fuit unquam, Hæreses quoque etiam *in universo mundo* sunt, restringit porro *ubique* hoc suum, non enim satis esse si *ubique* sit, nisi *ubique* sit *eadem* Tum, ex signo hoc, suam *Romanam fidem vere proprieque Catholicam esse.* Qui potest, cum *ubique* non sit? Non enim in bona Europæ parte, cujus media prope pars in nostram Reformationem consensit. Non in Græcia vel Oriente toto, ubi tres Patriarchæ negant Christianam fidem *de Primatu* Petri ad mentem Cardinalis, ut inde scilicet Pontificis Monarchia consequatur. Non apud Ruthenos, Armenos, Georgianos, Maronitas, non (inquam) apud hos omnes, Orbis Christiani partem longe maximam. Non ergo *Romana* fides vere vel proprie, magis quam *Roma* ipsa, *ubique.* Quid ergo? At *ubi* tamen est, *eadem est:* quippini? Quæ enim hæresis non eadem est, ubi est? Quin, nec *ubique* tamen *eadem:* Non enim de *Pontifice supra Concilium,* Parisiis[m]: non de *Pontificis supra Leges et Ecclesiasticos potestate*

[Romana fides non ubique, nec ubique eadem.]

27

[m] [Vide Gerson. Tract. de Potest. Eccl. Op., tom. i. coll. 110. seq.]

summa, Venetiis[n]: non de *temporali ejus dominio directo*, vel Romæ, in ipso Cardinalium Consistorio[o].

Certe Romanæ Ecclesiæ fides, ut vere propricque Catholica, eadem est in Europa, eadem . . . in Asia, eadem in Africa, eadem in orbe nuper invento, eadem in monte Libano, eadem in America, eadem apud ultimos Japones. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 9. [Op., tom. vii. col. 709. C.]

Sed, ubi ergo illa est tam diffusa *Romana* fides vestra? Hic jam rhetoricatur Cardinalis, et, (quasi septem jam partes Orbis reperisset) *Est in Asia*, inquit, *Est et in monte Libano*, quasi mons *Libanus* in *Asia* non sit. *Est in America. Est et in Orbe nuper invento*, quasi *Orbis nuper inventus* non sit *America. Est et apud ultimos Japones*, at et Japones hi in Asia sunt, vel si extra Asiam, in America. Nec sane satis Catholica fide hic nobiscum agit. Nam hoc *Romanæ* fidei, *ubique*, quam pene nusquam est, in Africa? quantillum vero ubiquitatis ejus, in Asia, nisi si mons Libanus summittat ei Monachos aliquot? In Europa vero, decoxit ad medias; nec in America multum operæ pretii, si Acostæ credimus. Baptizati forte infantes ibi aliquot: Indis ipsis plus multo veri odii est in Professores *Romanæ fidei*, quam amoris vel ficti, in *fidem ipsam*. Quare, secum habitet Cardinalis, et desinat dehinc ita pennas explicare. Nota quidem hæc ejus, *ubique*, magis et minus recipit, et fidei semper debetur, semper non competit. Certe quidem, nec *tempus* ita propric respicit vox *Catholica*, (si serio quis vim vocis expendat,) ut *locum*: et in *loco*, id potius necubi vel includatur vel excludatur, quam ut *ubique* obtineat. Nondum enim *ubique* obtinuit Ecclesia, (non modo *simul*, sed neque per *successionem*[p]) *in universo quidem mundo*. *Genti* jam uni non est, vel *loco* (ut olim) astricta; late patet, *καθ' ὅλου* per universum esse potest, (eam enim vim habet vox illa *καθ' ὅλου*) etsi non sit: addo etiam, etsi adhuc nunquam fuerit, vel fortasse, nec simul unquam futura sit, uno quidem tempore.

Hæreses Lutheranæ Septentrionis angulum possident, mare non transierunt, Asiam et Africam non attigerunt, =

[n] [Vide Leonardi Ducis Veneti Edictum contra Bullam Pauli V. (apud Goldast. Monarch. tom. iii. p. 281.) Pauli Veneti Considerationes Censurarum Pauli V. (ibid. p. 286.) et Theologorum Venet. Tractat. de Interdict. Pauli V. (ibid. p. 325.)]

[o] [Vide Bell. de Rom. Pont. lib. v. capp. 1—6. Op., tom. i. pp. 231. seq.; et Tortur. Torti. p. 36. Edit. nostr.]

[p] [Vide Bell. de Notis Eccl. lib. iv. cap. 7. Op., tom. i. p. 288. B.]

Nobiscum vero perparce agit: Contrudit enim *in angulum* 28
Septentrionis. Etiamne *angulum?* At rectum ergo *angulum.* [Lutherani
Vestro enim *angulo* æqualem: vestro, æque et latum per in Europa
omnia, et capacem. Et terrarum *angulus* hic, ex quo decessit, tantum,]
mire vobis deformat agellum[q]. Narro autem Cardinali: *anguli* hujus si coëant semel latera, et serio vires conjungant; vere vos *angulos* quærere, vere in *angulum* vosmet aliquem abdere oporteret, præ illius *anguli* metu, quem jam ita fastidiose spernitis. Sed *mare et aridam* non *circuimus,* ut *proselytos* lucremur[r]; scilicet, *Pharisæos* non imitamur, quod vos strenue facitis. Et tamen Jesuitæ vestri, etiam trajecto mari, cum redeunt, *in foro non saltant*[s], quasi strenue gesta re; et iter suum Japonicum narrant ad gloriolam magis suam, quam quod inde accessio ulla sit ad fidem seria vel sincera, vel magnum aliquod Ecclesiæ incrementum. Hypocritas ibi faciunt, *duplo quam se, filios Gehennæ*[t]; Christianos non faciunt; et qui fiunt tamen, *militum* eos *terror* potius, quam *Jesuitarum suada* sibi vindicat.

= ad Græciam appellere conatæ, cum ignominia repulsæ sunt[u]. — [Bell. Apol. pro Resp.] p. 9. [Op., tom. vii. col. 709. C. D.]

Nam *de Græcia tentata,* factum id ab uno aut altero, *motu* [a Græcis,
suo *proprio,* non *publicæ legationis* interventu. Tum, de ut ipsi quo-
repulsa quam narrat; non valde referret, (credo) si eam nos que Ro-
semel passi, quam vos *duodecies.* Tot enim, vel a vobis ipsis manenses,
repudia numerantur[v]. Græcorum res, quo in statu sint, quis repulsi.]
nescit? Utcunque propendere se animo non dissimulent, et quædam malle reformata in melius: tamen, (quo jam res eorum loco sunt) nisi inhæreant singulis, quæ diu fuerunt, quæque jam sunt, *periclitabitur eis pars in redargutionem venire*[x]. Valde enim verentur, ne deficiat populus ad Turcam, si in veteri cultu vel leviter quidpiam immutari videant. Magis autem adhuc, si quid in gratiam Occidentalis Ecclesiæ

[q] [Vide Horat. Sat. ii. 6. 9.]
[r] [Matt. xxiii. 15.]
[s] [Cf. Luc. vii. 32.]
[t] [Matt. xxiii. 15.]
[u] [Vide Spondan. Ann. Baron. Contin. ad ann. 1575. Num. xvii. tom. ii. pp. 751, 752.]
[v] [De vanis ad schisma inter Græcos et Romanos resarciendum conatibus, vide Epistol. Nicolai Papæ V. ad Constantin. Imper. apud Raynald. An. Eccl. tom. xviii., ad ann. 1451. Num. i. ii., in qua inter alia ita legimus, "Infiniti tractatus intervenere, plurima sunt celebrata Concilia, innumerabiles legati in hanc rem destinati, ut tam atrox vulnus in Dei Ecclesia sanaretur." Confer quoque Sophianam Pseudosynodum circa an. 1450.— Concil. tom xiii. coll. 1365, seq.]
[x] [Act. Apost. xix. 27. Vulg.]

fecisse videantur; ne sæviat in eos Turca, ad Gentis internecionem.

Sed neque una est fides Lutheranorum, sed multæ atque adeo inter se contrariæ, ut aliæ alias hæreticas vocent.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 9. [Op., tom. vii. col. 709. D.]

Atqui, inter nos ipsos, qui reformatam Religionem profitemur, utcunque quosdam ingenii fervor paulo abripit longius, et (ut in paroxysmo fieri assolet) augentur res supra modum: tamen lites non sunt, quales videt Cardinalis per somnium: nec tales etiam, quin, ubi deferbuit calor ille, commode conciliari posse spes sit. Fidem autem unam retinere nos tamen Confessionum nostrarum Harmonia satis ipsa per se loquitur.

29 Fides Anglorum de primatu Regis in spiritualibus adeo Catholica dici non potest, ut ne unius quidem Regni fides dici possit, cum in Britannia magna sit multitudo Puritanorum, qui Calvinum auctorem secuti primatum Ecclesiasticum non ad Regem sed ad Senatum Ministrorum pertinere contendant =

[Regius primatus non de fide;] At, recepta apud nos sententia *de primatu Regio* (non enim *fides*, ut vestra de *Pontificio*, veritas quidem, sed extra Symbolum,) adeo non late patet, vel (ut ei loqui libet) *Catholica non est, ut nec unius sit Regni.* Nam, et apud nos *magnam multitudinem* perhibet, quæ Senatui Ministrorum, *non Regi primas deferat.* Quodsi deferre fas Cardinali juramentum calumniæ, non hæc ita scriberet. Putida enim hæc calumnia est. Presbyterio forte lis est cum Episcopis, (quanquam et illa jam refrixit, Cardinali præierunt viam, *recognoverunt* errorem in eo suum:) cum Rege nulla est. Utrobique Regi defertur ultro: utrinque, *quod Cæsaris est, Cæsari redditur*[y].

= Calvinus enim, Inst. 4. 2. [leg. 6.] § 9.... ait, Neque ullum hominem dici debere Caput Ecclesiæ, non solum principale, sed neque ministeriale[z].

Post autem, Calvinum committit nobiscum, quos Calvi-

[y] [Matth. xxii. 21.]

[z] ["Habet enim illa (sc. Ecclesia) Christum unicum suum caput, sub cujus principatu omnes inter nos cohæremus, secundum eum ordinem et eam politiæ formam quam ipse præscripsit. Insignem itaque injuriam Christo faciunt, quum eo prætextu volunt hominem unum præesse Ecclesiæ universæ, quia hæc capite carere non possit. Christus enim caput est... Nec me latet, quid cavillari soleant, quum hoc illis objicitur, Christum scilicet proprie vocari unicum caput, quia sua auctoritate suoque nomine totus regnet; sed istud nihil obstare, quominus sub ipso sit alterum caput ministeriale (ut loquuntur) quod ejus vices in terris gerat. Verum hoc cavillo nihil proficiunt, nisi prius ostenderint hoc ministerium a Christo esse ordinatum. Apostolus enim totam submistrationem per membra diffusam esse docet, virtutem ab uno illo cœlesti capite fluere."—Calv. Inst. lib. iv. cap. 6. § 9. Op., tom. ix. p. 296. et ibid. § 10, (p. 297.) "Illic (Eph. iv. 4) nullum ministeriale caput (Paulus. sc.) commemorat."]

nistas vocat, quibus tamen (scilicet) cum Calvino suo non convenit, Calvino non placere, *ut ullus homo dicatur Caput Ecclesiæ, ne ministeriale quidem.* Certe non placet, quo sensu Papa vobis *Caput ministeriale* dicitur: at quo sensu *Saul Caput Tribuum Israel*[a], atque ita *Tribus Leviticæ Caput,* Calvino id (scio) non displiceret. [Calvinus eum rejecit,]

Et eodem lib. cap. 11. § 13. docet in [causis] Ecclesiasticis non esse Imperatorem idoneum cognitorem, ac propterea laudat [Sanctum] Ambrosium, quod vocatus ad palatium ad conferendum de fide coram Imperatore, [omnino] accedere recusaverit[b] =

Verum, laudat Ambrosium; qui negat, *in causis Ecclesiasticis Imperatorem idoneum cognitorem.* Quem? Valentinianum juniorem, imberbem, necdum baptizatum, totum ex Matris arbitrio pendentem, quæ ipsa ἀρειομανής. Sed esto. Quid hoc ad rem? Non de cognitione causarum hic agitur, ad quam non tam fortasse semper idoneus Rex, (qui sæpe immatura ætate, sæpe infans, sæpe Marti magis addictus quam Mercurio:) agitur de *auctoritate,* quæ idoneos cognitores det: ea vero, in utroque sexu, quavis ætate, par est atque eadem. [S. Ambrosium auctorem secutus.]

= Et eodem lib. c. 20. § 7, dicit, Regis officium Apostolicum munus non esse[c]; sollicitudinem autem Ecclesiarum ad Apostolicum munus in primis pertinere docet Apostolus. [1 Cor. xii. 28.; 2 Cor. xi. 28.— Bell. Apol. pro Resp.] p. 9. [Op., tom. vii. coll. 709. D. 710. A.]

Sed negat porro *Regis officium, Apostolicum munus esse.*

[a] [1 Reg. xv. 17.]

[b] ["Hoc sine ulla controversia tunc erat omnibus persuasum. Ecclesiasticæ quidem causæ ad Episcopale judicium referebantur. Quemadmodum si quis Clericus nihil in leges deliquisset, Canonibus tantum reus agebatur: non citabatur ad commune tribunal; sed Episcopum habebat in ea causa judicem. Similiter si quæstio fidei agitabatur, aut quæ ad Ecclesiam proprie pertineret, cognitio deferebatur Ecclesiæ. Sic intelligendum est, quod scribit Ambrosius ad Valentinianum; *Augustæ memoriæ pater tuus non modo sermone respondit, sed legibus quoque sanxit, in causa fidei eum judicare debere, qui nec munere sit impar, nec jure dissimilis.* Ep. xxxii. [xxi. § 2. Op., tom. ii. col. 860. C. Ed. Ben.] Item, *Si Scripturas aut vetera exempla intuemur,* [*Si Scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retractemus,* Ed. Ben.] *quis est qui abnuat, in causa fidei, in causa (inquam) fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare?* [§ 4. col. 861. A.] Item, *Venissem Imperator ad consistorium tuum, si me vel Episcopi vel populus ire passus foret; dicentes, causam fidei in Ecclesia coram populo debere tractari.* [§ 17. col. 863. A.] Contendit quidem spiritualem causam, hoc est, religionis, ad civile forum non esse trahendam, ubi profanæ controversiæ agitantur. Merito in hac re ejus constantiam laudant omnes . . . Negat igitur Imperatorem idoneum esse cognitorem tantæ controversiæ."—Calv. Instit. lib. iv. cap. 11. § 15. Op., tom. ix. p. 328.]

[c] ["Hanc vanam ambitionem (vide Luc. xxii. 25.) ut compesceret Dominus, eorum ministerium non esse regnis simile docuit. Quæ collatio quid, quæso, ad ignominiam regiæ dignitatis facit? Imo quid omnino evincit, nisi regium munus Apostolicum non esse ministerium."—Calv. Inst. lib. iv. cap. 20. § 7. Op., tom. ix. p. 399.]

Nam quis affirmat? *Ad Apostolicum vero munus imprimis pertinere sollicitudinem Ecclesiarum.* Pertinere quidem: sed, quidni et ad munus Regium, *cum primis*, vel (si eam vocem expectat) *cum Apostolis?* Nec enim crimen (credo) habet, si in sollicitudine hac pari passu Rex incedat, imo si præcat, vel Episcopis, *ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι*[d]. Apostoli certe jam nulli sunt: quare Cardinali dicendum erat, Episcopis: si præeat illis (inquam) nec hic post principia sit, postquam *Deus ab illo rationem exiget, qui illius potestati suam Ecclesiam credidit*[e].

Et [idem Apostolus apud Lucam] Act. 20. [dicit] Episcopos a Deo positos Ecclesiam regere.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 10. [Op., tom. vii. col. 710. A.]

30 Verum legimus, *Positos a Deo Episcopos Ecclesiam regere.* Et illud quoque legimus, *Positum a Deo Davidem Regem, ut pasceret*, aut (si verbum id magis arrideat,) *regeret Jacob populum, et Israel hæreditatem suam*[f]. Utrobique enim *ποιμαίνειν* est.

Sed apertissime in cap. 6. Amos invehitur in eos, qui Henricum VIII. Ecclesiæ caput appellant.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 10. [Op., tom. vii. col. 710. A.]

[Regem supremum esse Ecclesiæ caput negavit.] At etiam, quodam loco *invehitur in eos Calvinus, qui Henricum VIII. Caput Ecclesiæ appellarunt*[g]. Errore id factum est: sed, (qualis in ipsum Pontificem cadit,) *facti*[h]. Putarat enim, non sublatum ab eis Papam, sed mutatum: Regem nempe in Papam *transubstantiatum.* Atqui nos, quod vos Papæ, Regi non tribuimus: neque vero Rex tributum id sibi sumeret. Quare nobiscum et Calvino non difficile conveniret hic: etsi (quod sæpe monui Tortum) in illius verba non juramus, nec Calvinistæ magis, quam Papistæ sumus: vos vero utinam non magis Papistæ, quam nos hic, Calvinistæ.

Quod ... Puritani non admittant primatum Regis in spiritualibus, docet ipse ... Rex in ... Basilico Doro. Nam lib. ii. p. 43. dicit eos paritatem quandam ... in Ecclesiam inducere[i].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 10. [Op., tom. vii. col. 710. A. B.]

[Puritani paritate gaudent.] Postremo ex Rege ipso docere vult, *a Puritanis non admitti Regis primatum.* Et duo loca citat, quæ utraque nihil ad

[d] [Hesiod. Op. et Dies. lin. 24.]

[e] [Vide Grat. Decr. Par. ii.] Caus. xxiii. Q[uæst]. v. c[ap]. 20. ['Principes sæculi.'—Corp. Jur. Can. tom. i. col. 1345.]

[f] [Ps. lxxviii. (Vulg. lxxvii.) 71.]

[g] ["Qui initio tantopere extulerunt Henricum regem Angliæ, certe fuerunt inconsiderati homines; dederunt illi summam rerum omnium potestatem; et hoc me semper graviter vulneravit; erant enim blasphemi, quum vocarent ipsum summum caput Ecclesiæ sub Christo."—Calvini Prælect. xvi. in Amos vii. 13. Op., tom. v. p. 223.]

[h] [Bell. de Rom. Pont. lib. iv. cap. 7. Op., tom. i. p. 213. A.]

[i] ["Homines factiosi unum furoris

rem. Nam quid narrant? *Paritatem quandam ab eis induci in Ecclesiam.* Paritatem: inter quos? inter se, (Ministros nempe Ecclesiæ.) Gradus non ferunt Episcopi super presbyterum, presbyteri unius super alterum. Nam, si paritatem hanc autumabat cum Rege, vitio mentis id factum. Ad *primatum Regis* quid paritas inter se? Videt ergo Lector *ludere* hic *par impar*[j] Cardinalem.

Quare, cum fides, quam Rex defendit, ante paucos annos nata, angustissimis limitibus contineatur, non Catholica, id est, vetus et universalis, sed nova et particularis nominari debet.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 10. [Op., tom. vii. col. 710. B.]

Nec habet *angustos* adeo limites sententia hæc, ut Cardinali videtur, cui jam oculi caligant. Nam quocunque loco Religio reformata est, penes *eosdem* potestas hæc *qui summæ rerum præsunt,* eadem hæc, quæ penes Regem. Quis in Regno suo idem non facit per omnia, quod Rex in nostro? De voce non laborant, quid opus? At rem tenent. Non ergo vel nova, vel particularis: sed *Catholica,* id est *vetus* opinio hæc, *quæ ab initio sic fuit:* et quam late patet ejusdem religionis professio, tam late diffusa. Certe, si vel ad passus, vel ad lapides revocanda res, et dimensionibus agendum; si non plures, saltem totidem haberet quam Romana vestra; *locorum spatiis* æque ac vestra, *annorum curriculis* plus magisque *Catholica,* quam vestra.

Quod vero Apostolica... nullo jure appellanda, sed Apostatica omni jure nominanda sit, ex eo manifeste convincitur, quod fides quæ nunc in Anglia viget seminatores habuerit Mart. Bucerum et Petrum Martyrem,... utrumque Apostatam.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 10. [Op., tom. vii. col. 710. B. C.]

Sed, *nec Apostolica* est, *vel Angliæ vel Scotiæ fides,* (favete linguis) *Apostatica potius.* Non Angliæ, *quod Seminatores habuerit Bucerum et Martyrem, Bucerus autem et Martyr, ambo Apostatæ.* Neutrum verum. Tametsi enim *ibunt quovis sæculo inter doctos Bucerus* et *Martyr,* ut nos eorum pudere non debeat: non tamen (si verum volumus) seminarunt duo illi fidem in Anglia (ut ridicule Cardinalis:) quam, ante vel Gregorium, vel Eleutherium, Apostolorum sæculo seminatam, late hic crescentem invenerunt. Zizania modo [Fides nostra Apostolica.]

31

sui præsidium in paritate collocarunt; qua freti homines improbi, audaces, imperiti, pios, sapientes, et modestos, redarguerent."—Basil. Dor. lib.ii. Op., Reg. Jac. p. 72.]

[j] [Hor. Sat. ii. 3. 248.]

quædam, longo post intervallo, a vestris superseminata eruncarunt: quanquam et illa ipsa zizania ante illorum huc adventum magna ex parte et indicata erant, et evulsa. Hi autem *in labores aliorum intrarunt*[k], et, ut Illis in re Academica modo suppetias ferrent, operam hic suam posuerunt. Cardinalis autem, quasi hic Christi ne nomen quidem auditum, Ecclesiæ facies nulla, fides non alia quam nuper apud Japones, sed paganismus merus priusquam huc illi appellerent; ita tanquam Apostolos huc adventasse somniat. Atqui (Dei gratia) Illi, ut huc venerunt, invenerunt Apostolicam hic fidem, cum Symbolo, cum scriptis Apostolorum, in magno et honore et pretio; atque (audi,) majore quam Romæ, ubi tum, (vide vero, ne et jam etiam,) *racemus* Juris Canonici *pluris*, quam *vindemia*[l] Theologiæ. Recepta quidem olim in Britannia publice fides, priusquam, vel Romæ, (sive Arimathius[m] ille ei rei Apostolum se præbuit, seu quis alius,) nec, exin unquam exulavit hinc penitus; ut nec Eleutherius[n] vester quicquam nobis contulerit, præterquam quod operarios in subsidium forte commodarit; sed *rigandæ* hic potius, quam *plantandæ*[o] fidei, quod Apostolorum est. Augustinus autem Monachus idem illud Britannicis hic Episcopis præstare debuerat, et illis *dextram societatis*[p] dare: debuerant et qui secuti sunt; nisi præripere nostris, sibi ipsis Monachisque suis, eo facto, gloriolam venari, quam iis, qui fidem hic Christi totos ducentos annos conservarant, opem ferre maluissent.

Tum illud *de Apostatis* Cardinali parcius objiciendum fuerat. Renunciarunt Ordini suo: Renunciavit et ipse. Peccarunt illi in Dominicum vel Augustinum: Ille in Ignatium[q]. Id tantum interest: quod ab illis hoc factum est injussu Pontificis: nec de fraterculis ut fierent Cardinales. Illis cum Religio esset curare cutim in Claustro, et in otio putrescere, abdicarunt se Monachismo suo, ut in legendi profes-
32 sione publica, et scribendi, ætatem agerent, ac cum vita laboriosa et paupere cucullum, non cum luxu et splendore commutarent. Cardinalis idem hoc et ipse fecit (*scilicet*):

[k] [Joan. iv. 38.]
[l] [Cf. Judic. viii. 2. Vulg.]
[m] [Ut refert Wilhelm. Malmsb. de Antiquitat. Glaston. apud Galæi Rer. Angl. Script. tom. i. p. 292. Oxon. 1691.]
[n] [Vide Baron. Ann. Eccl. ad ann. 183. Num. iii. tom. ii. col. 300.]
[o] [1 Cor. iii. 6.]
[p] [Gal. ii 9.]
[q] [Vide supra, p. 6. note [b].]

sed, ut purpura fulgeret; et, quæ melius jam ante scripserat, quæque Sixto Pontifici stomachum fecere, *recognosceret:* qui obliquo tamen oculo respiceret (scio), siquis eum de facto hoc *Apostatam* scriberet.

Primi autem in Scotia eversores Catholicæ fidei et hæresis satores fuerunt viri quidam factiosi et turbulenti, quos Apostolos nominare scelus maximum esset. Neque de hac re mihi fidem haberi volo, sed Regi. Sic enim ille ... in Basilico Doro, lib. ii. p. 40 et 41. 'Reformata Religio in hanc nostram Scotiam divino plane miraculo introducta est, &c.' Et paulo post, 'In illa et rerum et temporum confusione orti sunt quidam igneæ naturæ concionatores, &c.'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 10. [Op., tom. vii. col. 710. C.]

[Quomodo Religio apud Scotos reformata.]

Scotiæ vero injuria magna fit, Regi maxima: cujus de libro quod citavit Cardinalis, ita citavit, ut stricto jure actio calumniæ in eum institui possit. Nam, ubi Rex, *Cum multa,* id ille sic accipit, sic refert, quasi dixisset, *Cum omnino omnia.* Et ubi, *orti sunt quidam,* Rex: id est, (Cardinale interprete) ac si non *quosdam* dixisset, sed plane *universos.* Neque vero novum id, vel de raro contingentibus, ut ad opus a Deo institutum afferant sæpe homines *infirmum suum,* ut a præclaro incœpto non semper absit temeritas. Bonus Imperator Jepthe, nec sine jussu Dei opus, quod aggressus est; et admiscuit tamen ei voti temeritatem[r]. David vero *vir secundum cor Dei*[s]*:* qui temere tamen jusjurandum emisit, de Nabale cum familia tota exscindendo[t]. At hoc quanto magis, cum (quod nec ipsum insolens est) adjungant se sæpe *operarii subdoli*[u] ad viros bonos tanquam participes operis, (procurante rem Satana) quo, eorum interventu, rem totam evertat. Etiam ex iis, qui Servatorem ipsum secuti sunt, plerique Eum propter spirituale nihil quæsierunt, sed quo *manducarent de panibus*[v]*, et saturi domum irent:* Nec ideo tamen, qui Servatorem sequuntur, non laudandi. Et hic Cardinalis conscientiam pulso. Quæ non ita pridem accidit Indorum conversio, (opera autem, ut fertur, Jesuitarum) annon in ea, temere gesta pleraque et cæco impetu? Nullane cupiditas in ea, aut sacra fames dominata est? Annon eam *igneæ,* addo etiam, *ferreæ* naturæ homines exsecuti sunt? Qui in miseros illos et seminudos Barbaros horrendas strages ediderunt: adeo autem horrendas, ut earum similes haud usquam quis-

[r] [Num. xi. 30, 31.]
[s] [1 Sam. xiii. 14.]
[t] [1 Sam. xxv. 22.]
[u] [2 Cor. xi. 13.]
[v] [Joan. vi. 26.]

quam lecturus sit, si nationum omnium atque sæculorum historiam volvat et revolvat. *Manifesto hoc quidem convincitur*, in fidei illius semente, quæ nunc apud Indos viget, quæ Seminatores habuit Jesuitas, plus turbarum, et turbinum,
33 plus feritatis atque immanitatis barbaræ, plus lacrymarum atque sanguinis intervenisse, plus (inquam) infinitis partibus, quam vel de Scotia dici, fingive possit, vel gente ulla Gentium, in qua Reformatio nostra pedem posuit. Nec id *dixit* Rex[w], nec *dictum voluit:* qui Religionem in Scotia reformarunt, factiosos fuisse *omnes:* id et voluit, et *dixit*, postquam prodiit jam in publicum Reformatio, et plebeii juris facta esset: exstitisse demum quosdam (*quosdam modo*) male animatos, quibus in proclivi tum fuit occasionem arripere in plebe tam multa tam promiscua tumultus excitandi. At *Divino quasi miraculo reformatam ibi in Scotia religionem* dixerat Rex, ex eo quod, (1.) *multa tum temere fierent a concitata multitudine:* tum quod, (2.) *quidam cupiditatum suarum turbine longius abrepti divino sese operi immiscerent:* dein (3.) (et hoc mala fide omisit Cardinalis) *quod nulla ad hæc Principis auctoritas intervenisset* (*ut in Anglia, Dania, atque alibi:*) postremo, (4.) quod *Concionatores quidam plebeii tum Tribunos egerint:* quod (inquam) non obstantibus *quatuor* his, quæ obniti videbantur, religio tamen ibi reformata Dei virtute obtinuerit. Hoc ita accipit Cardinalis, ita accipi vult a Lectore, ac si Rex, *factiosos* et *turbulentos* illos *Religionem* eo *invexisse*, ejus *satores fuisse*, dixisset: cum id procul a mente Regis ut scriberet, imo contrarium plane diserte scripserit; admiratus in eo, cum potentiam, tum providentiam Dei, quod cum hi tot obices positi oppositique fuerint, Religio tamen, quasi Divino miraculo, locum in Scotia suum consecuta sit. Tantum igitur abest, ut diceret per hos introductam, ut per eos parum abfuisse dixerit, ne omnino posset introduci: adeo, non satores illos, ut quasi ad miraculum obstupescat, quod in ipsa semente, sic per eos accepta, non perierit. Per eos enim non stetisse,

[w] ["Religionis in Scotia reformatio non sine arcano numinis auxilio peracta fuit. Tam multa in populari tumultu et rebellione civium perturbate facta fuere, ab iis, qui suis indulgentes affectibus Dei opus nescientes promovebant; et hæc omnia absque Principis jussu; contra quam in Anglia et Dania factum est, variisque Germaniæ partibus. Hic e ministerio homines nonnulli præcipites, ignei, audaces, in hac humanarum divinarumque rerum confusione, jam potestatem tribunitiam spe certa devoraverant."—Basil. Dor. lib. ii. p. 72.]

quin perierit: nisi ope plusquam humana, Divina nempe de cœlo, semen ejus herbescens, ad culmum primum, post ad maturitatem pervenisset. Non illos nominavit ergo Rex *Apostolos:* nec tu unquam Knoxo, Knoxive similibus, honorem hunc a Rege haberi putes.

Sin, a quibus aperta ibi Religioni janua, scire vult Cardinalis, *quia de rebus sibi incognitis, et sine Auctore hic loquitur,* indicabo brevi. Fuerunt Patricius Hamiltonius[x], et Georgius Wishartus[y], Martyres ambo, qui, quæ deformata essent in Papismo, Scotiæ primi aperuerunt: tum, qua ratione reformari possent, voce et scripto indicarunt primo, post vita et sanguine consignarunt. Viri, in quibus non modo forma, sed virtus ipsa pietatis: nec ulla vitiorum labe deformati. Susceperunt post eos rem Angli quidam de nostris, qui accensam ab illis facem, ne extingui denuo posset, ope qua poterant, atque opera omni, agebant sedulo. Cum sic autem sedulo agerent, intervenerunt illi (quos supra memoravit Rex) viri factiosi; illi alteri Ministri Tribunitii: qui mirum ni evertissent iterum rem Religionis. Certe, adeo ei fuerunt impedimento, ut *miraculo pene* locum fecerint, quod per eorum turbas et temeritatem factum non fuerit, ut recepta jam pene atque introducta exterminata sit denuo. 34

Dicet fortasse divino miraculo, per homines deformatos omni genere vitiorum, et qui ab Apostolorum virtutibus longissime absint, Apostolicam fidem in Scotia restitutam esse. At nos contra scimus divinam legem per Mosem et Prophetas viros sanctissimos introductam: Evangelium Christi per Apostolos,... cœtus hominum reformatos, quos Ordines Religiosos appellamus, per homines excellenti virtute præditos, institutos.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 11. [Op., tom. vii. coll. 710. D. 711. A.]

Neque ergo, quasi *divinum* in eo *miraculum* ponit, quod *per homines deformatos omni vitiorum genere restituta fuerit fides in Scotia.* Non per deformatos ullos, (vides jam opinor) sed præstantes animi Martyriique viros. Ne *restitutam* quidem dicit *fidem. Fides* quæ fuerat, mansit eadem: tantum in ea (quæ extra *fidem* fortasse) doctrina errores, in moribus abusus invaluerant: ii reformatione opus habebant; reformati proinde sunt. Nec in eo id factum quod a *Mose* cum *Legem,* quod ab *Apostolis,* cum *Evangelium* primo promulgarunt: id potius, quod a Josaphat, qui contractas sub Asa patre sordes

[x] [Vide Spotswode's Hist. of the Church in Scotland, lib. ii. pp. 62, 63.]

[y] [Ibid. pp. 76–82.]

aliquas in *cultu* Dei repurgavit modo, et nitori *cultum* restituit: *Legem* ipsam non restituit, nedum promulgavit. At, cum *Mosi* et *Apostolis* accenses *Fraterculos illos, Ordinum*, quos *religiosos* vocas (rectius autem poteras superstitiosos) adinventores; quis ferat? *Excellenti* certe stultitia sit, qui *excellentes* a vobis blasphemias vulgari *de excellenti eorum virtute* non sentiat. Nec aliter sane sentiet, cui Dominici vitam, cui Francisci Conformitates[z], legere otium sit.

Nova ista miracula, quibus colligantur de spinis uvæ et de tribulis ficus, id est, a deformatis reformatio, et ab Apostatis Apostolica Religio, Ecclesia vere Christiana non novit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 11. [Op., tom. vii. col. 711. A.]

Nec si, per viros non usquequaque sanctitatis laude, vel virtutis forma præditos, religionem interdum reformari contingat: id esset *de spinis uvas:* nec ei, tanquam novo miraculo, illudi debet. Vir non optimus, Jehu, nec Rex vero, quem videre velles, (furiosus enim, sanguinolentus, nec qui multum differret a Tyranno) cui tamen Historia sacra testimonium fert, reformatum ab eo cultum divinum nihilominus, et sinceritati pristinæ restitutum. Nec vel *spinis* caruerunt suis, vel *tribulis* Persarum Reges, a quibus et Templum ipsum Dei denuo, et vero etiam *Sacra* cum Templo instaurata. Apposite hic Augustinus. *Non crescunt de spinis, sæpe tamen pendent de sepibus uvæ: nec tamen uvæ esse desinunt, quia ibi pendent, nec eo minus colligendæ, dum caute colligas, ne lacerentur manus*[a]. *Fidei* ergo *Defensor* Rex, a nemine hic, nisi Apostolis ipsis plantatæ: cujus professio, siqua parte deformata, *reformatione* opus habuit (et habuit, testor vel Brevi-

[z] [In Bibl. Bodl. duæ hujus libri editiones conservantur; viz. 'Liber Conformitatum Mediol. 1510;' et 'Liber Aureus inscriptus liberConformitatum Vitæ Beati ac Seraphici Patris Francisci ad Vitam Jesu Christi Domini nostri, &c. Bononiæ, 1590.' Hic Liber Auctorem suum habuit Bartholomæum Albicium Pisanum; vide Cavei Hist. Lit., tom. ii. p. 75. Append.]

[a] [Ipsa Augustini verba haud inveni. Quæ vero sequuntur, ad rem pertinent. "Mala facientes utique spinæ sunt. Quomodo vis de spinis me colligere uvam verbi tui? Respondebitur; non est illa uva spinarum; sed aliquando increscens sarmentum implicat se in sepem, et pendet uva inter densa spinarum, sed non surgit de radice spinarum. Tu si esurieris, et aliud non habes unde sumas, caute manum mitte ne laccreris ab spinis."—S. Aug. Serm. xlvi. § 22. Op., tom. v. col. 340. C. D. "Aliquando invenimus illud, fratres mei, vitem positam super caricem, quia ibi habet sepem spinosam, extendit palmites suos, et inserit in sepem spinosam, et pendet inter spinas botrus; et qui videt botrum carpit, non tamen de spinis, sed de vite, quæ circumplexa est spinis..... Tu lege uvam, non te pungit spina, quando legis, *Quæ dicunt facite*, &c. Pungit autem te spina, si quod faciunt, facis."—Serm. cxxxvii. § 13. ibid. col. 966. B. C.]

arium vestrum reformatum a vobis, Missale, etiam Biblia vestra vulgata[b]) ea per viros, quorum nos pœnitere debeat, neutiquam *reformata* est. Et, si esset, religio nobis non esset, *Sacris*, vel a Jehu ipso *reformatis*, aut in *Templo*, etiam a Persis reædificato (quod olim populus Dei fecit) *Sacris* vel operari, vel interesse.

Accipiam Intercessionem Sanctorum, cum Reliquiarum veneratione, quæ si ostendere potuero a Patribus, qui primis quadringentis, vel quinquagentis annis floruerunt, unanimi consensu approbari, simul effecero fidem Regis Anglorum non esse fidem Veteris et Primitivæ Ecclesiæ, sed figmenta et hæreses novatorum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 12. [Op., tom. vii. col. 711. C.]

Porro litem jam novam intendit, quo loco et docere vult *Fidem quam Rex defendit, fidem non esse veteris et Primitivæ Ecclesiæ*. Ut doceat, *accipere se* primo dicit, *Intercessionem Sanctorum, cum Reliquiarum veneratione*. Et vere quidem *accipere*, sed a se *accipere*, dante enim nemine: eo scilicet sensu, quo scandalum *acceptum* dici solet, non datum. Nam Rex *Invocationem Sanctorum tutam non putat*[c]*: de intercessione* verbum ibi nullum: et *adorationem Reliquiarum* reprehendit[d], non *venerationem*. Ita, impingit in ipso limine. Porro si nihil hic addam, uno hoc concidunt omnia, quæ consarcinavit hic Cardinalis: Sciamachiam enim hic molitur, et luctam cum larva sua. Nihil interim eorum hic ab eo fit, quæ fieri Rex ibi postulat. [Fides nostra non recens inventa.]

1. De *invocatione* proponit Rex: Cardinalis respondet de *intercessione*. *Intercessio*, opus Sanctorum: *Invocatio*, nostrum. *Intercedere Sanctos*, probat Cardinalis: Rex non negat. *Invocandos* negat Rex; Cardinalis non probat. [Invocationem Sanctorum,]

2. De *quadringentis annis* Rex expectat[e]: at, quos Cardinalis corrasit, post *trecentesimum* omnes: ita, conclusit se intra *unum* modo *centenarium*, eumque ultimum. De prioribus autem *trecentis* adducit nec apicem: Silet ibi, et silendo laborare causam suam satis indicat. [per annos cccc,]

3. De eo, quod *statuerunt Patres*, agi vult Rex: Ille nihil quicquam ab illis *statutum*, nihil definitum: quid alicubi, aliquis, aliquando, *motu proprio* dixerit fecerit ve, id modo refert. [Patres non statuerunt,]

36

4. Tum, *unanimem consensum* postulat Rex. At, et alii non [unanimi consensu,]

[b] [Missale et Breviarium e Decreto Conc. Trident. jussu Pii V. et Clement. VIII. Biblia Sacra a Sixto V. e Decreto Conc. Trident.]

[c] [Præf. Monit. p. 52.]

[d] [Ibid. p. 54.]

[e] [Ibid. p. 48.]

pauci sunt, quibus hic suffragii jus est, a Cardinale præteriti: quibus, *unum* hic *animum* non fuisse, sed iisse eos in alia omnia, legas vel apud Cardinalem ipsum[f].

[ut necessariam,] 5. De *iis, quæ ad salutem necessaria,* verba Regis sunt[g]: quæ vero Cardinalis adduxit, *privatæ devotionis obsequio* a quibusdam facta: *publica Ecclesiæ doctrina,* vel *necessitate ulla* facienda ab omnibus non proponuntur. Multum interest, animine ardore abreptus quis rem faciat, (cui indulgeri potest) an, quasi id ei (si salvus esse velit,) *necessario* sit faciendum. Nec enim id, de vestris (credo) quisquam ita frontem perfricabit, ut affirmet, tam hæc *necessaria* esse; ut, qui quotidie, sedulo, Deum per Christum invocet (uti Christianum par est) etsi *Sanctos* non interpellet penitus: aut qui Reliquias haud unquam viderit, vel si viderit, dubius animi sit, an veræ Reliquiæ sint, nec proin adoret, salutem consequi non possit, aut anima ei inde valde periclitetur.

[et de fide.] 6. De *fide* susceperat Cardinalis, et *fidem* subinde crepat, nec tamen *verbum Dei ullum,* aut de quo *Symbolo,* de *qua Ecclesiæ definitione* hæc *fides* sit, usquam indicat. Hæc autem tria vel Pontificiis *fidem* circumscribunt. *Fides* ergo integra constare potest, ut stolones tamen hi præcidantur.

Nihil ergo hic effecerit Cardinalis, nisi *Sanctorum invocationem,* non *intercessionem,* et *Reliquiarum adorationem,* non *venerationem acceperit.* Nisi *per annos quadringentos:* nisi *statuisse* eas docuerit *Patres:* nisi *unanimi consensu statuisse:* et *statuisse de fide,* vel *tanquam ad æternam salutem necessarias.* Hunc enim sibi quæstionis statum fixit Rex: hunc Cardinalis mutare non debuit.

Atqui nihil horum facit, ne conatur quidem. Transcribit huc modo quædam de Controversiis suis, interpolata tantum, et turbato nonnihil ordine, quo ibi leguntur. Atque hoc labore supervacuo. Quis enim illa jam nescit? Quis non ad nauseam legit? Cur hic ergo denuo inferciat? Novi autem nihil quicquam superaddit. Ageret vero ingenue, et diceret: Exhaustus sum: dixi de his quæ potui, nec est, quod a me plura jam Lector expectet, plura enim dicenda non habeo.

Ne tamen sibi dicat non responsum, nos quoque *idem*
37 *saxum volvemus*[h], cum venia tamen Lectoris: cum ad hæc,

[f] [Bell.] De Sanct. Beat. lib. i. cap. 20. [Op., tom. ii. p. 435. F.]

[g] [Præf. Monit. p. 48.]

[h] [Vide Ter. Eunuch. v. 9. 55.]

et ante non modo *incardinatum*, sed vel *natum Cardinalem*, etiam a Cardinale jam ipso, toties repetita, eadem nobis pene responsa regerere necesse jam sit, quæ legat apud alios. Vexatæ enim jamdiu hæ quæstiones sunt, ut *nihil novum sub sole*[i] de iis proferri jam quidem possit. Dabit ergo hoc illius importunitati, qui remittere nos poterat ad suam illam *Rhapsodiam*, quo et nobis idem facere liceret, nempe ad alios remittere, qui *Collectanea* hæc ejus abunde jamdudum attriverunt.

De *intercessione Sanctorum* quam *accipere* se dicit: *acceptam* fateor, datam nego. Qui enim subinde recurrit ad *nostros homines*, et ab iis sciscitatur, quid sit in Anglico, poterat et de loco hoc consulere qui est pag. 38. Ubi, non *intercessionem*, sed *invocationem Sanctorum* leget: vel (ut verbum verbo reddatur) *Orationes ad Sanctos*. [Si concedatur,]

1. Omnia quidem nobis bona Sanctos cupere, qui vita functi in cœlis sunt, ex caritate, quæ nunquam excidit, quæque ibi in illis jam auctior est; etiam, cum Christo capite suo, totum ejus in cœlis mysticum corpus ultro vota sua conjungere, *non erit inconveniens* siquis arbitretur, dixit olim Origenes[j]: *habeatur hoc quoque inter occulta Dei, nec chartulæ committenda mysteria*[k]. [Sanctos nobis intercedere,]

2. Ut hoc tamen detur: at de eo non liquet, quomodo illi nos hic in terris vota facientes audiant. Et illa vestra, *de speculo divinæ essentiæ, et relucentia inibi omnium, quæ fiunt super terram*[l], subtilia magis quam solida sunt, nec vobis ipsis sat liquida, at Patribus quidem inaudita. Eos autem haud libenter quis compellet, de quibus, qua tandem ratione audiant compellantem, et proinde, audiant necne, certus non sit. [non liquet eos preces audire.]

3. Verum, si de secundo hoc liqueat vel maxime, ne sic quidem audemus vota nostra ad illos precesque dirigere, [Non sunt invocandi,]

[i] [Eccles. i. 9.]

[j] ["Sed et omnes sancti qui de hac vita decesserunt, habentes adhuc charitatem erga eos qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, et juvare eos precibus suis, atque interventu suo apud Deum, non erit inconveniens."—Orig.] in Cant. Hom. [lib.] iii. [Rufino interprete. Op., tom. iii. p. 75. d. col. 1.]

[k] ["Jam vero si etiam extra corpus positi vel sancti, qui cum Christo sunt, agunt aliquid, et laborant pro nobis ad similitudinem angelorum, qui salutis nostræ ministeria procurant . . . habeatur et hoc quoque inter occulta Dei nec chartulæ committenda mysteria."—Orig.] in [Epist. ad] Rom. [lib.] ii. [Rufino interprete. Op., tom. iv. p. 479. col. 2. B. C.]

[l] ["Possunt eam cognoscere cognitione supernaturali, prout hujusmodi oratio relucet in Divina essentia."—Thom. Argent. in lib. iv. Sent. Dist. xlv. Art. iv. Solut. fol. 186. col. 1. Genuæ, 1585. "Vident speculum, id est Deum, in quo relucent omnia."—Joan. Bromiard. Summ. Prædicant. cap. xxv. ('Ascendere.') sub. lit. A. tom. i. fol. 69. col. 4. Venet. 1586.]

cum *præceptum* ea de re nullum acceperimus, *præceptum* autem acceperimus in lege, disertis verbis, *Quod tibi præcepero, hoc tantum facies*[m]. Inde, id tantum audemus facere, de quo *præceptum* habemus. Vos *præceptum* adducite, statim eos vobiscum invocamus. Terret vero nos Apostolus, (utcunque vos hominem habetis pro levi) sua illa Quæstione, *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt*[n]*?* Vos enim reperistis forsan: at videtur *Ille* modum tum nullum reperisse, quo eos, (in quos nec vos quidem ipsi credere vos dicitis), posset tamen quis invocare.

[aut præcepto,]

38

Atque, ut *præceptum* haud illum, ita nec *exemplum*. Suarez, *Quod autem in veteri Testamento aliquis directe oraverit Sanctos defunctos, ut se adjuvarent, vel pro se orarent, nusquam legimus*[o]. *Non est expressum in Novo,* ait Salmeron, *et durum esset, id Judæis præcipere, et occasio daretur Gentibus, putandi sibi exhibitos multos Deos: Et hoc quantum ad Scripturas*[p].

[aut exemplo Sacr. Script.]

Primum igitur Concil. iv. Gen. . . . [et quod ab ipso Rege cum honore suscipitur,] ita loquitur Act. 11. 'Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis orat[q].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 12. [Op., tom. vii. col. 711. C.]

De *Invocatione* tamen hac, decurramus quæ adduxit Cardinalis. Egressus primo limites suos, orditur *quadringentos annos* suos ab *anno quadringentesimo quinquagesimo primo,* (nec enim ante habitum Concilium Chalcedonense) id est, annos LI. post fixum illi terminum. Non eo dixi, quasi Concilium illud Rex non suscipiat, sed quod Cardinalis hic fidem non præstet. Suscipit vero Rex Concilium, quæ nempe *de fide* statuit, Canones illius omnes. In eoque id facit, quod a Cardinale, ab Ecclesia ejus Romana non fit, quæ Canonem illius, de Constantinopolitanæ cum Romana ἴσοις πρεσβείοις[r] aperte rejicit, *maximum licet fuerit Concilium illud, et frequentissimum*[s]. At vero, quæ ibi omnia, per tam multas, tam

[Testimonia Bellarmini examinantur.]

[Conc. Chalced.]

[m] Deuter. xii. 32.

[n] Rom. x. 14.

[o] [Suarez Comment.] in iii. [Part. Sum. Theol. S.] Tho. Q[uæst.] lii. Dist. 42. sect. 1. [tom. iii. p. 760. col. 1. Complut. 1592.]

[p] ["Ad aliud vero, quod non sit in Novo Testamento expressum, nec Ecclesia primitiva hac invocatione utebatur, dicendum est, quod abunde id expressum fuit, si non scripto, saltem traditione viva, &c.," et deinde paucis interjectis, "Durum esset, &c." ut in textu. Salm.] in 1 Tim. ii. Dist. [Disp.] viii. Op., tom. xv. p. 473. col. 1.]

[q] [Πάντες οἱ εὐλαβέστατοι ἐπίσκοποι καὶ οἱ κληρικοὶ Κωνσταντινουπόλεως εἶπον . . . Φλαυιανὸς μετὰ θάνατον ζῇ· ὁ μάρτυς ὑπὲρ ἡμῶν εὔξεται.—Conc. Chalc. Act. xi.—Conc. tom. iv. col. 698. A.]

[r] [Conc. Chalc. Can. xxviii.—Conc. tom. iv. col. 770. B.]

[s] [Bell. Apol. pro Resp. p. 12. Op., tom. vii. col. 711. D.]

prolixas *Actiones* interjecta sunt; nec *Canonum* vim obtinent; sed nunc his, nunc illis, obiter inter disceptandum excidunt: iniquum esset petere, ut singula suscipiat quis, nec hanc sibi legem Cardinalis (scio) dicerct. Quanti autem illud est, quod inde profert per ὕστερον πρότερον? Non est enim ibi quicquam *Statutum* hac de re, ex *Patrum* judicio. Acclamatio ea tantum est. Acclamatum vero etiam paritati Constantinopolitani cum Romano, a Patribus ibi universis[t]: quibus tamen omnibus Cardinalis (scio) reclamabit. Sic se res habuit. Ad Flaviani mentionem obiter factam, (qui in Ephesina secunda, λῃστρικῇ, cæsus fuerat, dum contra Dioscorum vim fidei facientem se opponeret) acclamatum est a Patribus, *Flavianus post mortem vivit. Martyr pro nobis oret.* (Sic enim habet Editio Cardinalis prior:) *Martyr pro nobis orat.* Sic posterior. *Martyr pro nobis orat?* Quis id negat? Sed et, *Martyr pro nobis oret,* quid ad rem? *Optare* hoc quidem est, *Invocare* non est, *Oret,* votum est, non *Invocatio.* Votum autem: ut optet quis scilicet, de aliquo quid, in remotis agente, nec quid optet audiente (quasi si dicam, Cardinalis *desinat,* priusquam *deficiat*) fieri id quidem potest, in more positum est, nec religio ulla impedit. *Votum* (inquam) non *Invocatio.* In Legenda vestra, jactatus in mari Rex Henricus gravi procella, in hanc vocem erupit: *O si vigilaret nunc Carthusiensis Hugo, et pro nobis preces funderet*[u]. Nec invocavit tamen Hugonem, qui tum in vivis, ac in cella sua, voti Regii ignarus. Aliud ergo, *Votum:* aliud, *Invocatio:* quæ tum demum fit, cum quasi præsentem quis præsens compellat; et orationem recta ad audientem dirigit, quod fere fit vocandi casu: *Ora Martyr pro nobis. Intercessionem* forte juvant hæc, quam *accepit* Cardinalis: *Invocationem* non juvant, quam Rex dedit. At de illa, spem bonam habere nos; de hac, *præceptum* Dei non habere, in confesso est. 39

Et in Epistola Episcoporum Europæ ad Leonem Imper. quæ tempore ejusdem Concilii scripta est. 'Sanctissimum vero Proterium in Choro et in ordine S. Martyrum ponimus, et ejus intercessionem misericordem et

[t] [Οἱ εὐλαβέστατοι ἐπίσκοποι ἐβόησαν· αὕτη δικαία ψῆφος· ταῦτα πάντες λέγομεν· ταῦτα πᾶσιν ἀρέσκει. αὕτη δικαία κρίσις, κ. τ. ἑ.—Conc. Chal. Act. xvi.—Conc. tom. iv. col. 813. C. (rectius D).]

[u] ["O si vigilaret nunc Carthusiensis Hugo meus, si secretis intenderet modo precibus, si cum fratribus suis divinis interesset officiis, non ita in longum mei obliviscretur Deus" Capgr.] Nov. Legend. Angl. in S. Hugon. [fol. clxxxiv. col. 1. Lond. 1516.]

propitium Deum habere postulamus.'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 12. [Op., tom. vii. col. 711. C. D.]

[Epistola Episc. quorundam post illud Concilium.]

Nihilo autem plus probat, illa (non in Concilio, extra Concilium enim, et post illud finitum) nec a totius Europæ (a quatuor modo) Episcopis ad Leonem conscripta Epistola; quam post ibi recitat: in qua Episcopi, illud idem de Proterio[x], (qui ab Æluro cæsus in Baptisterio, cum orthodoxus esset) quod alii ante de Flaviano. Verum Proterius non invocatur ibi: oratio ad illum non dirigitur: id modo petitur, ut intercessionum participes fiant, quibus Proterium in cœlo jam uti spes erat. Illud, de quo non quæritur, ostendunt hæc, quodque extra spem non est; *interpellare* illos: Illud, de quo quæritur, non ostendunt, quodque extra præceptum est: *interpellandos esse.*

[Cui opponitur Canon Conc. Laodic.]

Neque vero, Cardinali hic repono *acclamationem aliquam*, vel *votum*, ex affectionis impetu; sed *Canonem*, sed *Statutum* Concilii Laodiceni circa hæc tempora, unanimi Patrum consensu promulgatum[y]: quod leges, bis a Theodoreto relatum in ii. et iii. ad Coloss[z]. Prohibent ibi disertis verbis, *Ne quis precetur Angelos.* (Par est autem et de Sanctis ratio.) Quod *consulerent* tum quidam, atque *oportere* putarent *per Angelos, divinam sibi benevolentiam conciliare.*

Patrum vero, quæ profert testimonia, tres in classes tribuam. 1. Qui vere *Patres*, sed non vere citantur. 2. Qui vere citantur, sed fidei suspectæ. 3. Qui et veri, et vere citati, sed nihil ad rem.

40 Basilius in orat. in xl. Martyres. 'Qui,' inquit, 'aliqua premitur angustia ad hos confugiat, qui rursus lætatur, hos oret[a].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 13. [Op., tom. vii. col. 711. D.]

[S. Basilius.]

Non vere citatur Basilius Magnus: in quo, iniqua mens

[x] ["De Timotheo (sc. Æluro) vero . . . quia ejus immissione sanctæ memoriæ Proterius, orthodoxus sanctusque pater, et Alexandrinorum episcopus, in sacratissimi baptisterii loco peremptus est, membratimque concisus, et locis omnibus circumtractus, et post hæc igni contraditus, aliaque passus, quæ propter sceleris exaggerationem terretur lingua proferre; sanctissimum quidem Proterium in ordine et choro sanctorum martyrum ponimus, et ejus intercessionibus misericordem et propitium Deum nobis fieri postulamus."—Epist. Episc. Europæ (Joannis sc. Heracleæ, Theophronii Aphrodis., Theoteeni Cyclensis, Babulæ novæ Theodosiopolis) apud Conc. Chalc. par. iii. cap. xxvii. —Conc. tom. iv. col. 907. D. E.]

[y] [Ὅτι οὐ δεῖ Χριστιανοὺς ἐγκαταλείπειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἀπιέναι, καὶ ἀγγέλους ὀνομάζειν, καὶ συνάξεις ποιεῖν· ἅπερ ἀπηγόρευται. Εἴ τις οὖν εὑρεθῇ ταύτῃ τῇ κεκρυμμένῃ εἰδωλολατρείᾳ σχολάζων, ἔστω ἀνάθεμα, κ. τ. λ. Conc. Laod. Can. xxxv. — Conc. tom. i. col. 1504. D.]

[z] [Theod. in Col. ii. 18. Op., tom. iii. 490. et in Col. iii. 17. ibid. p. 496.]

[a] ['Ο θλιβόμενος ἐπὶ τοὺς τεσσαράκοντα καταφεύγει, ὁ εὐφραινόμενος ἐπ'

Cardinalis, *Qui rursus lætatur, hos oret.* Nec enim ibi *præcipiendi modus.* Non dicit, *Hos oret.* Quid dico, modus? nec idem vocis significatum, nec similitudo significati ulla. Ne id quidem dicit, *Hos orat.* Nam, fidem Cardinalis! *ἐπ' αὐτοὺς ἀποτρέχει,* potestne verti, *Hos oret;* vel *Hos orat?* Ἀποτρέχειν, in ullone Lexico vestro, *orare* redditur? *Ad hos currit,* dicit Basilius, nempe ad *Martyres. Currit.* Primum, aliud est *narrare,* quid fiat: aliud *statuere,* quid faciendum sit; tum, *ad eos* dicit, id est, ad eorum memorias (scilicet), ubi Deum oret, ubi editis tum signis, exaudiri a se precantum vota monstravit. Quod ne cui dubium, subjicit statim, *ἐνταῦθα γυνὴ εὐσεβὴς,* id est, *eo loco, vota facere mulierem piam:* de *loco* ergo loquitur. Tum, ut omnem scrupulum tollat, paulo post, *μετὰ μαρτύρων γινέσθω τὰ αἰτήματα ὑμῶν,* non autem *πρὸς μάρτυρας,* non *Hos oret,* non ad Illos fiant preces vestræ: sed, *cum Illis. Cum His oret* vertit Cardinalis in *Hos oret.* Ita, modum *indicativum* in *imperativum* primo: post, *currere* vertit in *orare.* Græca si inspiciat lector, videbit factum hoc, *Græca fide.*

Eusebius . . . lib. [xiii.] de præpa. Evang. c. 17. [leg. 7.] . . . 'Hæc,' inquit, 'nos quotidie factitamus, qui vere pietatis milites, ut Dei amicos, honorantes ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus, quorum intercessione ad Deum, non parum juvari profitemur[b].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 14. [Op., tom. vii. col. 712. C. D.]

Neque vero, vere magis citatur Eusebius; similis per omnia in eo fraus. Eusebius dicit, *ἐπὶ τὰς θήκας παριέναι,* ad *thecas* seu *monumenta Martyrum* accedere; *καὶ τὰς εὐχὰς παρὰ ταύταις ποιεῖσθαι,* et apud illas (nempe *thecas,* et *monumenta*) vota precesque facere. Id Cardinalis sic vertit, (an pervertit) *vota ipsis facimus. Ipsis* (scilicet) *Martyribus:* sic intelligi vult verba, (sic enim ei opus ad rem suam:) quæ tamen Eusebius nunquam fieri dixit, *αὐτοῖς, ipsis* nimirum *Martyribus;* sed *παρὰ ταύταις, apud ipsas,* (ipsorum scilicet *thecas,* [Eusebius Cæsariensis.]

αὐτοὺς ἀποτρέχει· ὁ μὲν, ἵνα λύσιν εὕρῃ τῶν δυσχερῶν· ὁ δὲ, ἵνα φυλαχθῇ αὐτῷ τὰ χρηστότερα. Ἐνταῦθα γυνὴ εὐσεβὴς ὑπὲρ τέκνων εὐχομένη καταλαμβάνεται, ἀποδημοῦντι ἀνδρὶ τὴν ἐπάνοδον αἰτουμένη, ἀῤῥωστοῦντι τὴν σωτηρίαν. Μετὰ μαρτύρων γενέσθω τὰ αἰτήματα ὑμῶν.—S. Bas. Hom. in xl. Martyres. § 8. Op., tom. ii. p. 155. D.]

[b] [*Καὶ ταῦτα δὲ ἁρμόζει ἐπὶ τῇ τῶν θεοφιλῶν τελευτῇ, οὓς στρατιώτας τῆς ἀληθοῦς εὐσεβείας οὐκ ἂν ἁμάρτοις εἰπών, παραλαμβάνεσθαι· ὅθεν καὶ ἐπὶ τὰς θήκας αὐτῶν ἔθος ἡμῖν παριέναι, καὶ τὰς εὐχὰς παρὰ ταύταις ποιεῖσθαι, τιμᾶν τε τὰς μακαρίας αὐτῶν ψυχὰς, ὡς εὐλόγως καὶ τούτων ὑφ' ἡμῶν γιγνομένων.*—Euseb. Præp. Evang. lib. xiii. cap. 11. Viger. (al. 7) p. 663. C.]

seu *monumenta* tantum.) *Apud Martyrum thecas invocare*, et, *Martyres invocare*, quantum interest? Certe, si quid hic Eusebius de *invocatione* scribit, *thecas invocandas* scribit Martyrum, non Martyres ipsos. De quo viderit Cardinalis, an *Reliquias suas*, non *adorari* modo, verum etiam *invocari* velit.

S. Chrysost. . . . in orat. de SS. Juventino et Maximo. 'Sæpius,' inquit, 'illos invisamus, tumulos adoremus, magnaque fide reliquias eorum contingamus, ut inde benedictionem aliquam assequamur[c].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 14. [Op., tom. vii. coll. 712. D. 713. A.]

[S. Chrysostomus.] Sed neque Chrysostomus vere etiam; ubi geminam fraudem reperias: de Græco alteram, alteram de Latino. 1. Nam et Græce λάρνακος ἅπτεσθαι, est *capsulam tangere: tangere* autem *capsulam* (credo) non est *adorare*. Non *adoravit* filium viduæ Naim Servator noster, cujus *capsam tetigit*. 2. Et vero etiam Latine, fraus alia. Nam, cum Interpres vertis-
41 set, *Tumulos adornemus: adornemus* Cardinalis mutavit in *adoremus*. Deinde subjicit; *Quid hic, quæso, Rex dicet? Si Patres veteris Ecclesiæ clamant, Sanctorum tumulos adoremus, quomodo Rex veteris Ecclesiæ fidem retinet, et interim dicit, Reliquiarum adoratio intolerabilis idololatria est?* Videtur ergo causæ *Cardinem* in hoc testimonio ponere, cui sic applaudit, *Tumulos adoremus. Quid hic, quæso, Rex dicet?* Dicet, abesse *voci literam, Cardinali fidem.*

S. Ephrem in Ser. de laudib. S. Martyr. 'Precamur,' inquit, 'beatissimi Martyres, ut pro nobis miseris et peccatoribus Dominum interpellare dignemini, ut superveniat in nos gratia Christi[d].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 15. [Op., tom. vii. col. 713. A.]

[S. Ephrem.] 2. Proximi sunt his, qui ipsi opus habent, ut fidem de ipsis faciat, priusquam fidem quis faciat ex ipsis; ut qui non satis perspectæ fidei sint. Nec enim integræ satis auctoritatis Ephrem hic vester, nuper erutus e crypta, atque ita fidei *crypticæ:* nec Græce tamen editus, sed edoctus a vobis Latine loqui, quorum diu jam pertusam in his fidem experti sumus, atque *animos sub Vulpe latentes*[e]. Longe quidem aliter Tomo primo germanus Ephrem, (ubi orat ipse, non perorat) *Deum* solum in omni prece compellat, nec vel nomi-

[c] [Συνεχῶς τοίνυν αὐτοῖς ἐπιχωριάζωμεν, καὶ τῆς λάρνακος ἁπτώμεθα, καὶ μετὰ πίστεως τοῖς λειψάνοις αὐτῶν περιπλεκώμεθα, ἵνα εὐλογίαν τινα ἐπισπασώμεθα ἐκεῖθεν.—S. Chrys. Hom. de SS. Juvent. et Max. Op., tom. v. p. 536.]

[d] [Πρεσβεύσατε ἅγιοι ὑπὲρ ἡμῶν τῶν χαυνῶν, καὶ ἁμαρτωλῶν, . . . ἵνα ἔλθῃ ἐφ' ἡμᾶς ἡ χάρις τοῦ Χριστοῦ.—Ephr. Syr. Encomium in Martyres. Op. Græc. et Lat., tom. iii. p. 251. Romæ, 1746.]

[e] [Hor. Ep. ad Pison. lin. 437.]

nato *Sancti* ullius nomine. Etiam, ibi sic *Deum* affatur. *Ad te: ad, præter te, neminem orationem facio*[f]. At iste, (quisquis est,) in suo hoc *Sanctorum Encomiastico*, Rhetorem agit, in *prosopopœis* totus est; et Tyrannos etiam affatur[g], tum Martyres deniqne, oratorio more utrosque: unde exemplum forte elicias *Rhetoricæ*, at regulam nunquam figas *Theologiæ*.

S. Chrysost. Hom. 66. ad pop. Antioch. 'Nam,' inquit, 'et ipse qui purpuram indutus est, accedit illa complexurus sepulchra, et fastu deposito stat Sanctis supplicaturus, ut pro se apud Deum intercedant[h].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 14. [Op., tom. vii. col. 712. D.]

Jamdudum autem est, cum suboluit Erasmo[i], quam citas Homiliam, Chrysostomi non esse. Cujus autem sit, Garetius vester commode nos monuit[k]: Theodori nempe cujusdam Daphnopathi, qui sæculis nescio quot, post Chrysostomum. Versiones quidem sunt, (et apud vos, et a vobis editæ,) in quibus nil tale reperias, nec vel paginas integras, quæ clausulam illam, vel antecedunt vel sequuntur. Nec ad Populum Antiochenum habitæ sunt tot Homiliæ[l], (quod non nescit Cardinalis:) ne, Viginti quidem sex: Et, in iis, quæ habitæ, haud quicquam tale reperitur. Tum, si detur denique, quod isthuc sic narret Chrysostomus: non quid fecerit tum aliquis, sed quid ex *Patrum Statuto* fecerit, quid per id tempus *Patres statuerint*, a Rege quæritur. *Factum* hic narratur modo, *Statutum* nullum recitatur. *Factum* autem *voluntarium*, ut *liberæ devotionis*: non autem, ut *rei ad salutem* 42
æternam necessariæ: quod tamen probandum sibi suscepit Cardinalis. [S. Chrysostomus.]

[f] [Vide varias Lamentationes et Precationes ad calc. tom. i. Op., ed. Voss. Rom. 1584: præcipue vero pp. 265, 266, ubi hæc, sensu quidem, verbis non item, legi possunt.]

[g] [Vide Encom. in Martyr. tom. iii. pp. 246, 247, ed. Voss. Utrum vero auctor noster hæc recte intellexerit, dubium videtur.]

[h] [Καὶ γὰρ αὐτὸς ὁ τὴν ἀλουργίδα περικείμενος ἀπέρχεται τὰ σήματα ἐκεῖνα περιπτυξόμενος, καὶ τὸν τῦφον ἀποθέμενος ἕστηκε δεόμενος τῶν ἁγίων, ὥστε αὐτοῦ προστῆναι παρὰ τῷ Θεῷ.—S. Joan. Chrysost. in Ep. ii. ad Cor. Hom. xxvi. Op., tom. iii. p. 687.

[i] ["De commentariis in Acta Apostolorum deque commentariis in secundam ad Corinthios Epistolam, judicent me doctiores, ego prorsus in eis Chrysostomi phrasin pectusque desidero." —Desid. Erasmi Vit. S. Joan. Chrys. ad finem, ap. Op., S. Chrys. tom. i. Froben. Basil. 1580.]

[k] [Garetius de Invoc. Sanctorum sub nomine Theodori Daphnopati quædam ex ista homilia citat; in marg. autem legitur, p. 96. Gandavi. 1570. "Ex Chrysost. hæc sunt desumpta." Et p. 52. hæc ipsa verba citata sunt sub nom. S. Joan. Chrysost.]

[l] [De lix. spuriis ad populum Antiochenum Homiliis, quas constat nihil aliud esse, quam centones ex aliis S. Chrysostomi operibus Latine redditos, consule Front. Duc., Indic. in Chrysost. Op., tom. i. et in notis ad calc. tom. i. p. 2. Paris. 1621.; ubi singula fragmenta loco quodque suo assignat.]

S. Maximus in Serm. de (laud.) S. Agnete.... 'O splendida virgo, etc. ut nostri meminisse digneris, quibus possumus precibus exoramus [m].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 17. [Op., tom. vii. col. 714. B. C.]

[S. Maximus Taurin.]

Maximi autem Homiliæ, et reliquæ fere quæ de Tempore de Sanctis circumferuntur, *maximi* faciendæ non sunt. Quam enim, vel hic citat Cardinalis Maximi Homiliam, Ambrosii ea diu erat; jam, Maximi fecistis. Ita, nunc huic, nunc illi ascriptas legas Homilias hasce, prout vobis titulum affigere libuit. Nec fides certa, ubi auctor incertus.

S. [Greg.] Nazianz. Orat. in S. Cyprian. 'Tu,' inquit, 'e supernis nos respice, et populum hunc Sanctum dirige [n].' =

[S. Greg. Naz.]

Nec est, usque adeo liquidæ fidei oratio illa, quam affert, Nazianzeni. Nam quis fuit ille Cyprianus? Nemo nobis, (nec Cardinalis credo) nodum expediet. Ita, nunc *Afer*, nunc *Antiochenus, uterque, neuter*. Ita fluctuat res tota, ita perplexa ibi omnia: Ut non aliter excusare rem possit Billius [o], quam ut dicat, *cæcutiisse ibi* Nazianzenum, et illum, pro hoc, hunc pro illo sumpsisse. *Cæcutientem* autem quis sequatur libens? Non, quod multum in ea momenti sit tamen: Tota enim res exit ibi in *figuram sententiæ*, Oratoris nempe *Apostrophen*, non *Orantis Invocationem*.

= Et ibidem... 'Virginem,' inquit, 'Mariam rogavit, ut periclitanti virgini opem ferret [p].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 14. [Op., tom. vii. col. 712. B.]

At *puella ibi Virginem Mariam invocabat*. Sed, an factum puellæ Statutum Ecclesiæ? An ex puellarum factis, fidei nobis figenda regula est? *Sed enim factum non reprehenditur*. Imo, idem illud, cum ejusdem sexus multæ facerent, acriter reprehendit Epiphanius eodem sæculo in Collyridianis [q].

[m] ["Itaque O splendida Christo pulchra Dei Filio, et omnibus Angelis et Archangelis grata, ut nostri, etc. S. Max Taur. Hom. de S. Agnete.—Bib. Max. Patr., tom. vi. p. 32. E.]

[n] [Σὺ δὲ ἡμᾶς ἐποπτεύοις ἄνωθεν Ἵλεως, καὶ τὸν ἡμέτερον διεξάγοις λόγον καὶ βίον, καὶ τὸ ἱερὸν τοῦτο ποίμνιον ποιμαίνοις, κ. τ. λ.—S. Greg. Naz. Orat. xviii. in laud. S. Cypr. Op., tom. i. p. 286. B.]

[o] [Vide Billium in Orat. xviii. S. Greg. Naz. (Op., tom. ii. col. 686, 687.) qui rem totam ita concludit; "Illud dicemus, fieri fortasse potuisse, ut.... Gregorius in duobus ejusdem nominis viris, multarumque pulcherrimarum rerum similitudine conjunctis, Antiocheno nonnulla tribuerit, quæ Aphro conveniebant."]

[p] [Ταῦτα καὶ πλείω τούτων ἐπιφημίζουσα, καὶ τὴν παρθένον Μαρίαν ἱκετεύουσα βοηθῆσαι παρθένῳ κινδυνευούσῃ, τὸ τῆς νηστείας καὶ χαμευνίας προβάλλεται φάρμακον:—S. Greg. Naz. Orat. xviii. in laud. S. Cypr. Op., tom. i. p. 279. D.]

[q] [Χλεύης γάρ ἐστι τὸ πᾶν, καὶ γραῶν ὁ μῦθος, ὡς εἰπεῖν, τῆς αἱρέσεως τὸ διήγημα· ποία δέ τις γραφὴ διηγήσατο περὶ τούτου; ποῖος Προφητῶν ἐπέτρεψεν ἄνθρωπον προσκυνεῖσθαι, οὐ μὴν γυναῖκα λέγειν; ἐξαίρετον μὲν γάρ ἐστι τὸ σκεῦος, ἀλλὰ γυνή, καὶ οὐδὲν τὴν φύσιν παρηλλαγμένη, τὴν δὲ γνώμην, καὶ τὴν αἴσθησιν ἐν τιμῇ τετιμημένη.—S. Epiph.

Cyril. Ilierosol. . . . 'Cum hoc sacrificium . . . offerimus, facimus mentionem eorum, qui ante nos obdormiverunt. Primum Patriarcharum, Prophetarum, etc[r].' [Bell. Apol. pro Resp.] p. 15. [Op., tom. vii. col. 713. A.]

De Cyrillo quoque, injicit nobis scrupulum Augustana vestra Bibliotheca, ubi Catecheses illæ, alterius quam Cyrilli nomine inscriptæ[s]. Nec defugimus tamen, quæ dicit ibi. Quod enim *mentionem facimus*, dicit, *Patriarcharum, Prophetarum, etc. cum offerimus;* neque nos, *mentionem* de iis tum *factam* negamus, negamus *invocatos*. Negamus autem Augustini fide, qui *Martyres ibi ad aram nominari* affirmat, *invocari* diserte negat[t]. [S. Cyrill. Hier.]

Venio jam ad tertium, ubi etsi de veris, et veri, nihil ad rem tamen. 3. Neque enim eo dicuntur hæc, quasi, (si extra aleam omnem orationes illæ, et abesset suspicio omnis:) aliquid ex eo causæ nostræ decederet. Sint enim veræ vel maxime, sint ad unum omnes; At *Demegorica* hæc, *litis decretoria* non sunt[u]; quibus tamen, hic incumbit moles causæ totius: utpote, quæ *Declamationes* modo *Rhetorum* sint, non *Definitiones Theologorum*. Res vero sic se habet. Frequentes in *Patrum* scriptis *Panegyres* sunt *Martyrum* pro fide functorum; sunt et in recenti amicorum obitu *Orationes funebres*. In his vero (quis nescit?) nihil magis familiare, quam ut orationi vela dent, et *Oratoriæ facultatis* suæ *opes* omnes, omnes *figuras* explicent. Nec est inter *figuras* ulla, (in mortuorum quidem præconiis,) magis usitata, quam *Apostrophe;* orationis scilicet ad defunctos conversio, qua, illos quasi redivivos, et præsentes, compellare mos. Notum illud Oratoris ad mortuum. *O Marce Druse, te appello*[x]. Et illud Poetæ, ad alium,—*Audisne hæc Amphiarae Sub terram abdite*[y]*?* Ubi, cum Amphiaraum hic, Drusum ille, quasi præsens præsentem alloquitur: Rhetorum seu Poetarum id more facit, non autem, quod audire eos existimet, aut sensu verborum affici. Ecquis hæc jam afferat, quasi vere [Multa de hac re a Patribus rhetorice dicta,] 43

Hær. lxxix. (Collyrid.) cap. v. Op., tom. i. p. 1062. A.]

[r] [Εἶτα μνημονεύομεν καὶ τῶν προκεκοιμημένων, πρῶτον πατριαρχῶν, προφητῶν, ἀποστόλων, μαρτύρων· ὅπως ὁ Θεὸς ταῖς εὐχαῖς αὐτῶν καὶ πρεσβείαις προσδέξηται ἡμῶν τὴν δέησιν.—S. Cyril. Hier. Catech. xxiii. (Myst. v.) § 9. p. 328. A.]

[s] [Vide Catalogum Græc. Codd. qui sunt in Biblioth. Reip. August. Vindel. per D. Hæschelium, pp. 20, 21. Aug. Vind. 1595.]

[t] [S. Aug. de Civit. Dei. lib. xxii. cap. 10. Op, tom. vii. col. 1073. D.]

[u] [Οὐδὲ γὰρ κανόνα ποιοῦμαι τῶν δογμάτων τὰ πανηγυρικῶς ἐν ταῖς ἐκκλησίαις λεγόμενα.—Eranist. apud Theod. Dial. iii. Op., tom. iv. p. 202.]

[x] [Vide Cic. Orat. cap. 63.]

[y] [Vide Cic. Tusc. Quæst. ii. 25.]

illos et serio invocarent? Et serio tamen afferuntur a Cardinale, et fidem e *figuris* exstruit, et ex *Apostrophis* invocationem. Quasi ideo, *Pietatem, Pascha, Aquam Baptismi,* quis invocandam censeat: quod, alicubi Eusebius[z] Pietatem, Nazianzenus[a] Pascha, Ambrosius[b] Aquam Baptismi, alloquatur.

Nec ergo de fide Ecclesiæ fidem faciunt hæc: nec, si Nyssenus Theodoro, *Coge chorum Martyrum*[c]: Nazianzenus Cypriano, *Respice de cælo*[d]: Hieronymus Paulæ, *Vale o Paula*[e]: Maximus Agneti, *Itaque o splendida virgo*[f], *etc.*, Oratorum more, per *prosopopœiam* dixerint; id alio loco habendum, quam Oratoris illud, *O Marce Druse, te appello.* Nec, si Paulinus poetica licentia usus est; id aliter accipiat Lector, quam illud Poetæ: *Audis hæc Amphiarae sub terram abdite?*

[nec quasi res certa esset, et de fide.]

Nam, nec Illi ipsi, qui ita compellarunt, aliter se sinunt intelligi: fatentur enim subinde nescire se, an hæc audiant ii, quos ita compellant. In sua ad Constantii animam Apostrophe, Nazianzenus subjungit, *Audi tu, εἴ τις αἴσθησις, Siquis istorum tibi sensus sit*[g]. An esset ergo, nescire visus: dubius saltem, nec ulla ei ea de re *fides.* Tum in Gorgoniæ
44 sororis funebri *εἰ τῶν τοιούτων ἐπαισθάνεσθαι, si Sanctæ animæ hæc talia persentiscant*[h]. Quodsi, *de fide* foret hoc, vel ipse de eo certus, nunquam sic loqueretur Nazianzenus. Scias ergo, in iis indulgere affectui: Rhetorem agere magis quam theologum. Etenim, si serio ibi, (quisquis orationis illius auctor fuit) si Rhetorem non ageret, an quis, (ut ibi

[z] [Σὲ μὲν εὐσέβεια καὶ φιλανθρωπία προσκυνῶ.—Constantinus in Orat. ad Sanct. Cœt. apud Euseb.] de Vita Constant. lib. v. [cap. 21. p. 708.]

[a] [Ὦ πάσχα τὸ μέγα καὶ ἱερὸν, καὶ παντὸς τοῦ κόσμου καθάρσιον· ὡς γὰρ ἐμψύχῳ σοι διαλέξομαι.—S. Greg. Naz.] Orat. [xlii.] (in Pasch. ii.) [Op., tom. i. p. 696. D.]

[b] ["O aqua, quæ humano adspersum sanguine, ut præsentium lavacrorum figura præcederet, orbem terrarum lavisti; O aqua, quæ sacramentum Christi esse meruisti, quæ lavas omnia, nec lavaris," etc.—S. Amb.] in Luc. lib. x. cap. 22. [leg. 48. Op., tom. i. col. 1514. A. B.]

[c] [Ἂν χρεία γένηται τῆς πλείονος δυσωπίας, ἄθροισον τὸν χόρον τῶν σῶν ἀδελφῶν τῶν μαρτύρων, καὶ μετὰ πάντων δεήθητι.—S. Greg. Nyss. de S. Theodoro. Op., tom. iii. p. 586. A.]

[d] [Vide supra, p. 54. note [n].]

[e] ["Vale, O Paula, et cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva."—S. Hier. Ep. cviii. Vall. (al. xxvii.) ad Eustoch. Epitaph. Paulæ, sect. 33. Op., tom. i. col. 718. C.]

[f] [Vide supra, p. 54. note [m].]

[g] [Ἄκουε καὶ ἡ τοῦ μεγάλου Κωνσταντίου ψυχὴ, εἴ τις αἴσθησις, ὅσαι τε πρὸ αὐτοῦ βασιλέων φιλόχριστοι.—S. Greg. Naz. Orat. iii.] in Julian. i. [Op., tom. i. p. 50. A.]

[h] [Εἰ δέ τις σοὶ καὶ τῶν ἡμετέρων ἐστὶ λόγος, καὶ τοῦτο ταῖς ὁσίαις ψυχαῖς ἐκ Θεοῦ γέρας τῶν τοιούτων ἐπαισθάνεσθαι, δέχοιο καὶ τὸν ἡμέτερον λόγον.—S. Greg. Naz. Orat. xi. in laudem sororis suæ Gorgoniæ. Op., tom. i. pp. 189. D. 190. A.]

ille apud Cyprianum,) apud Sanctos in cœlo, de *pomis*, de *flosculis*, de *apio* verba faceret[i]? Hæccine seria sunt? dic ingenue: et, an Theologiam ibi docere presse, an vero rhetoricari putes? At, de Theodoro suo Nyssenus adeo non certus, ad quam se regionem vertat, (dum cum eo loquitur,) ut tanquam *per opaca locorum*[k], ita, eum dubia voce compellet, *ubicunque tandem fueris*[l]. Adeo fluctuant hic omnia, fides nulla de his, securum nihil. Tum, mens eadem Hieronymo: Sic enim in Nepotiani funebri: *Cum quo loqui non possumus, de eo loqui nunquam desinamus*[m]. Non igitur se magis loqui cum Paula putavit, quam cum Nepotiano; cum neutro, ut Christianus: cum utroque, ut Rhetor. Et de Nepotiano: *Felix Nepotianus, qui hæc non videt,* [*felix*] *qui hæc* [leg. *ista*] *non audit*[n]: nempe, Barbarorum incursiones. Quodsi incursiones Barbarorum non audivit, certe nec Orationes Rhetorum.

[Cultum Sanctorum Patres rejiciunt.]

Mirum autem, cur hæc, sic inter Acclamationes et Declamationes, Cardinalis quæritet. Si via recta ad quæstionem insistere, si fide sincera rem gerere voluit; nunquam ad *Demegorica* hæc se reciperet, vel *Panegyrica;* nunquam ad λόγους ἐπιταφίους. Illi ipsi, quos affert Patres, ex professo libros scripserunt de *Oratione,* quibus, quæ tum Ecclesiæ de *Invocatione* doctrina publica, complexi sunt. Inde aliquid nobis promeret, inde vero petendum, quid de *Invocatione* sentiant, ubi serio incumbunt in rem, quod in *Demegoricis* illis ad populum raro faciunt. Si inde noluit; saltem, ex *Polemicis:* unde enim quis sciat ista melius, quam ex Origene contra Celsum[o];

[i] [Αὗταί σοι τῶν ἐμῶν λόγων αἱ ἀπαρχαί, ὦ θεῖα καὶ ἱερὰ κεφαλή. τοῦτό σοι καὶ τῶν λόγων γέρας, καὶ τῆς ἀθλήσεως, οὐ κότινος Ὀλυμπικὸς, οὔτε μῆλα Δελφικὰ παίγνια, οὐδὲ Ἰσθμικὴ πίτυς, οὐδὲ Νεμαίας σέλινα, δι' ὧν ἔφηβοι δυστυχεῖς ἐτιμήθησαν.—S. Greg. Naz. Orat. xviii. in laud. S. Cypr. Op., tom. i. p. 286. A.]

[k] [Virg. Æn. ii. 725.]

[l] [Σὺ δὲ δεῦρο δὴ πρὸς ἡμᾶς, ὅπου ποτ' ἂν ᾖς, τῆς ἑορτῆς ἕφορος, καλέσαντα γάρ σε ἀντικαλοῦμεν.—S. Greg. Nyss. de S. Theodoro. Op., tom. iii. p. 585. B.]

[m] [S. Hier. Ep. lx. Vall. (al. iii.) ad Heliod. Epitaph. Nepot. sect. 19. Op, tom. i. col. 345. B.]

[n] [Ibid. sect. 17. col. 343. C.]

[o] [Τούτους δὴ ἀγγέλους ἀπὸ τοῦ ἔργου αὐτῶν μεμαθηκότες καλεῖν, εὑρίσκομεν αὐτοὺς, διὰ τὸ θείους εἶναι, καὶ θεοὺς ἐν ταῖς ἱεραῖς ποτε ἀνομαζομένους γραφαῖς· ἀλλ' οὐχ ὥστε προστάσσεσθαι ἡμῖν τοὺς διακονοῦντας, καὶ φέροντας ἡμῖν τὰ τοῦ Θεοῦ, σέβειν καὶ προσκυνεῖν ἀντὶ τοῦ Θεοῦ. πᾶσαν μὲν γὰρ δέησιν, καὶ προσευχὴν, καὶ ἔντευξιν, καὶ εὐχαριστίαν ἀναπεμπτέον τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ, διὰ τοῦ ἐπὶ πάντων ἀγγέλων ἀρχιερέως, ἱμψύχου λόγου καὶ Θεοῦ.—Orig. contr. Cels. lib. v. sect. 4. Op., tom. i. pp. 579. F. 580. A. Εἰ δὲ καὶ ἄλλους τινὰς βούλεται μετὰ τὸν ἐπὶ πᾶσιν ἐξευμενίζεσθαι Θεὸν, κατανοησάτω, ὅτι ὥσπερ τῷ κινουμένῳ σώματι ἀκολούθει ἡ τῆς σκιᾶς αὐτοῦ κίνησις· τὸν αὐτὸν τρόπον τῷ ἐξευμενίζεσθαι τὸν ἐπὶ πᾶσι Θεὸν, ἕπεται εὐμενεῖς ἔχειν πάντας τοὺς ἐκείνου φίλους ἀγγέλους, καὶ ψυχὰς, καὶ πνεύ-

Cyrillo, contra Julianum[p]? Ubi, perinde a Christianis haberi Martyres suos ac pari cultu, objiciunt Celsus et Julianus, ac Heroas a Gentibus; quod Origenes et Cyrillus exserte negant. Sin mallet: ex Athanasio contra Arianos[q]: 45 ubi, ideo Christum convincit esse Deum, quod invocetur. Præter Deum enim, a Christianis neminem invocari. Nervos *hinc* causæ suæ adderet, *hinc* erueret aliquid in rationem suam. Sed in rem suam corrasit hic Rhetorum figuras aliquot, et Oratorum nobis Encomia obtrudit, quæ nihil habent enucleatæ Theologiæ. Quid faceret? Suppetebant hæc sola, aliquid Rhetorice dictum forte, nihil hac de re *statutum* repetit: frigebant penitus Theologorum dogmata.

S. Ambros. in lib. de Viduis. 'Obsecrandi,' inquit, 'sunt Angeli [pro nobis], qui nobis ad præsidium dati sunt, Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis nostris rogare, qui proprio sanguine etiam siquæ [qua] habuerunt peccata laverunt, etc.[r]'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 15. [Op., tom. vii. col. 713. C. D.]

Examinantur æstimonia S. Ambrosii,] Poterat tamen Cardinalis ab illo Ambrosii loco abstinere, nec tam avide citare: nisi quia, (ut videtur,) non invitus sinet *Christi sanguinem* superfluum haberi, potius quam *Sanctos* a se non invocari. Superfluus enim certe *sanguis Christi, si sua possunt peccata Martyres proprio sanguine lavare.* Quo ex loco facile deprehendet Lector, Ambrosio adhuc Neophyto scriptum fuisse librum illum, (uti fuit imprimis[s]:) nec mirabitur (credo) si, qui *lavisse dixerit Martyres sua peccata proprio sanguine,* idem dicat *Martyres obsecrandos.* At Ambrosio alibi mens alia, magis provecto jam, melius edocto;

ματα. συναίσθονται γὰρ τῶν ἀξίων τοῦ παρὰ τοῦ Θεοῦ εὐμενισμοῦ· καὶ οὐ μόνον καὶ αὐτοὶ εὐμενεῖς τοῖς ἀξίοις γίνονται, ἀλλὰ καὶ συμπράττουσι τοῖς βουλομένοις τὸν ἐπὶ πᾶσι Θεὸν θεραπεύειν, καὶ ἐξευμένιζονται, καὶ συνεύχονται, καὶ συναξιοῦσιν· ὥστε τολμᾷν ἡμᾶς λέγειν, ὅτι ἀνθρώποις, μετὰ προαιρέσεως προτιθεμένοις τὰ κρείττονα, εὐχομένοις τῷ Θεῷ, μυρίαι ὅσαι ἄκληροι συνεύχονται δυνάμεις ἱεραί. Orig. contr. Cels. lib. viii. sect. 64. Op., tom. i. p. 789. D. E. F.]

[p] [Τούς γε μὴν ἁγίους μάρτυρας, οὔτε θεοὺς εἶναι φαμὲν, οὔτε προσκυνεῖν εἰθίσμεθα, λατρευτικῶς δηλονότι, ἀλλὰ σχετικῶς καὶ τιμητικῶς. στεφανοῦμεν δὲ μᾶλλον ταῖς ἀνωτάτω τιμαῖς, ὡς τῆς ἀληθείας γενναίως ὑπεραθλήσαντας.—S. Cyr. Alex. contr. Jul. lib. vi. Op., tom. vi. B. p. 203. D. E.]

[q] [Διὸ καὶ διηκόνουν αὐτῷ οἱ ἄγγελοι, ὡς ἄλλῳ παρ' αὐτοὺς ὄντι· καὶ προσκυνεῖται παρ' αὐτῶν, οὐχ ὡς τῇ δόξῃ μείζων, ἀλλ' ὡς ἄλλος παρὰ πάντα τὰ κτίσματα, καὶ παρ' ἐκείνους ὤν, μόνος καὶ τοῦ πατρὸς ἴδιος ὢν κατ' οὐσίαν υἱός . . . οὐκοῦν Θεοῦ ἐστι μόνου τὸ προσκυνεῖσθαι, καὶ τοῦτο ἴσασι καὶ αὐτοὶ οἱ ἄγγελοι, ὅτι κἂν ἄλλων ταῖς δόξαις ὑπερέχωσιν, ἀλλὰ κτίσματα πάντες εἰσὶ, καὶ οὐκ εἰσὶ τῶν προσκυνούντων τὸν Δεσπότην.—S. Athan.] Orat. ii. [contra Arian: sect. 23. Op., tom. i. p. 491. A. C.]

[r] [S. Ambr. de Vid. cap. ix. (sect. 55.) Op., tom. ii. col. 200. E. F.]

[s] [Hic liber fuit scriptus, c. A.D. 377. sec. ed. Bened.]

Cujus nota sententia, *Ad Deum suffragatore non est opus*[t], Certe nec *obsecratore*. Et illa, *Tu solus Domine invocandus es*[u]: Ut, non sit unanimis hic vel unius Ambrosii consensus. In eo tamen (ut par est) *secundæ cogitationes sapientiores*[x]. Etiam, scriptus illi de Oratione liber, in quo, (ubi tamen locus ad hanc rem idoneus) nulla usquam de Sanctis mentio.

Ruffinus . . . de Theodosio . . . sic loquitur. 'Circuibat . . . omnia orationum loca, ante Martyrum et Apostolorum thecas jacebat cilicio prostratus, et auxilia sibi fida Sanctorum intercessione poscebat[y].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 16. [Op., tom. vii. col. 714. A B.]

Locus autem Ruffini, nimis angustus ad rem. Theodosius ibi Sanctorum *invocator* non est. Aliud enim est, poscere a Sanctis auxilium, quod proprie *Invocare* est: aliud, *a Deo poscere, Sanctorum intercessione*. Neque enim efficiet, ut ex *intercessione* sequatur *invocatio:* quando, utcunque illi pro nobis *intercedant*, nisi nobis tamen certis esse detur, audiri nos ab eis: et (etiamsi constet illud adeo) nisi præceptum ad id Domini habeamus, *intercedent* illi pro nobis ultro, *nec vocati;* a nobis tamen, ut *intercedant*, non *invocandi*. [et Ruffini de Theodosio.]

Sanctos ἐν προθύροις esse, in *Receptaculis*[z] *et Custodiis*[a] animarum, in *Atriis*[b], Dei nondum visione frui, senserunt e Patribus non pauci. Sensit vero etiam Pontifex Joannes XXII.[c] (et periculum erat, ne de fide faceret sensum hunc sententiamque suam.) Non ergo per *κατοπτρικὴν in speculo* [Post mortem Sanctor. status] 46

[t] ["Ad Deum autem, quem utique nihil latet, (omnium enim merita novit) promerendum, suffragatore non opus est, sed mente devota."—Hilarius Diac.] in [Ep.] ad Rom. [cap.] i. [apud S. Ambr. Op., tom. ii. Append. col. 33. A. B.]

[u] [S. Ambr.] in obit. Theodos. [sect. 36. Op., tom. ii. col. 1207. D.]

[x] [Αἱ δευτέραι πως φρονтίδες σοφωτέραι.—Eurip. Hipp. 436.]

[y] [Ruffin. Hist. Eccl. lib. ii. (al. xi. ad calc. Euseb. Hist. Eccl.) cap. 33. p. 259.]

[z] ["Hoc bonum (Deo adhærere sc.) quibus commune est, habent et cum illo cui adhærent et inter se societatem sanctam, et sunt una civitas Dei, eademque vivum sacrificium Ejus, vivumque templum Ejus. Cujus pars quæ conjungenda immortalibus Angelis ex mortalibus hominibus congregatur, et nunc mortaliter peregrinatur in terris, vel in iis, qui morte obierunt, secretis animarum receptaculis sedibusque requiescit, eodem Deo creante, quemadmodum exorta sit, sicut de Angelis dictum est, jam video esse dicendum."—S.] August. lib. xii. de Civ. Dei. cap. 9. [sect. 2. Op., tom. vii. col. 494. A. B.]

[a] ["Nec tamen quisquam putet, animas post mortem protinus judicari: nam omnes in una communique custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus judex meritorum faciat examen."]—Lactant. [Div. Institt.] lib. vii. [De vita beata.] cap. xxi. [Gall. Bib. Pat. tom. iv. p. 360. col. 1. C.]

[b] ["Inde sine dubio, quod jam multi ex nobis in atriis stant, exspectantes donec recipiant corpora sua." — S.] Bernar. Serm. iii. de omn. Sanct. [sect. 1. Op., vol. i. (tom. iii.) col. 1033. D.]

[c] [Vide Gerson. Serm. in Pasch. Op., tom. iv. col. 491. C. D.; Joan. xx. (al. xxii.) Epist. i. (Conc. tom. xi. col. 1629. A. D.); et Bened. xi. (al. xii.) Epist. i. ibid, col. 1793. D.]

intueri res nostras. Mortuos autem rebus nostris non intervenire, sensit Augustinus[d]. Quis hoc refert? Cardinalis[e]. Quod si jam, nec ipsi intersint, (ut Augustinus) nec in Dei διαφανείᾳ videant, (ut Patres fere reliqui) constare illis non potest, quid nobis in votis sit. Qui sciant enim, quibus nec *in speculo* intueri detur, nec res ipsas in *seipsis*[f]? Quid ergo factum? Cum Sanctos tamen (ubicunque demum essent,) sollicitos esse pro nobis, (suo modo) et bene nobis precari, persuasum haberent: saltem, ut eorum συνεργίᾳ hac, utque eorum ἐυχαῖς καὶ πρεσβείαις juvari possent; non id, a Sanctis ipsis, sed semper a Deo contenderunt. Rogare autem Deum, ut rogatu illorum nobis bene velit: hoc, illos rogare, illos *invocare* non est, sed Deum. Hoc autem, nec præterea quid, fecit ibi Theodosius.

S. Paulinus . . . Epist. 12. . . .

'Hæc peccatorum bonus accipe vota rogantum,
Ut sis Paulini Therasiæque memor[g].'

[Bell. Apol. pro Resp.] p. 17. [Op., tom. vii. col. 714. D.]

Testimonia S. Pauini,] Postquam autem, ultimo loco res ad Poetas redit, non dubium, quin, *quidlibet illis audendi potestas æqua sit*[h]. Nec hoc scilicet nescit Cardinalis, qui Prudentium interdum, quasi *nimis poetam notat, et poetico more lusisse*[i]. Quidni autem, eundem lusum lusisse et Paulinum?

Augustinus, ser. 17. de verb. Apostol. 'Habet,' inquit, 'Ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum Martyres eo loco recitant[ur] ad Altare Dei, ubi non pro ipsis oretur, pro cæteris autem [commemoratis] defunctis oretur. Injuria enim est orare pro Martyre, cujus nos debemus orationibus commendari[k].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 18. [Op., tom. vii. col. 715. A.]

S. Augusini.] At, id nunquam effecerit Cardinalis, ut Augustinum a se habeat, aut, ut ille noster non sit. Nam ex aliquo Augustini rivulo quicquid refertur, unica ejus sententia tanquam sole siccatur, quam habet, in opere suo palmari de Civitate Dei.

[d] ["Si autem parentes non intersunt, qui sunt alii mortuorum qui noverint quid agamus, quidve patiamur?"—S. Aug. de Cur. pro Mort. gerend. cap. x ii. Op., tom. vi. col. 881. A. Confer tamen quæ postea dicit, "Intelligendum est quod per divinam potentiam martyres vivorum rebus intersunt, quoniam defuncti per naturam propriam vivorum rebus interesse non possunt."—Ibid cap. xvi. col. 884. A.]

[e] [Bell] De Sanct. Beat. lib. i. col. 20 [Op., tom. ii. p. 436. G.]

[f] [De modo, quo Sancti cognoscunt, quid in terris agatur, vide Bell. de Sanct. Beat. lib i. cap. 20. Op., tom. ii. p. 437. A. B.]

[g] [S. Paulin. Ep. xii. ad Sever.—Bib. Pat. Max. tom. vi. p. 192. C.]

[h] [Hor. Ep. ad Pison. lin. 10.]

[i] ["Ad Quintum, nihil aliud dico, nisi more poetico lusisse Prudentium, (sc. in Hymno V. de incensu lucernæ, lin. 125. apud. Bib. Pat. Max. tom. viii. p. 528. col. 1. A) Bell] de Purg. lib. ii. [cap] 18. [Op., tom. ii. p. 415. G.]

[k] [S. Aug. Serm. clix. Bened. Op., tom. v. col. 1106. C.]

Ad quod Sacrificium, Martyres, (*sicut homines Dei qui mundum in ejus confessione vicerunt*) *suo loco et ordine nominantur: non tamen a Sacerdote qui sacrificat invocantur*[l]. *Non invocantur Martyres a Sacerdote,* totidem verbis. Qui minus autem *a Sacerdote,* quam a populo? aut extra *Sacrificium* cur liceat, *quod ad Sacrificium* non licet? Quod non ad Missam, cur ad Matutinas? Quod alioqui licitum est, ecqua in Sacrificio vis, vel Altari, ut reddat illicitum? Quare, apud illum, *commendari nos illorum orationibus, invocare* non est: Illud modo est, Christi Capitis, totius etiam Corporis sui mystici interpellationi commendatos cupere nos. Ac Christum quidem compellamus, Ille ut nos audiat: Non autem Sanctos, ut audiant nos; sed id a Deo petimus, ut ab Illo, et cum Illo, pro nobis audiantur. 47

Expedio jam locum alterum de *Reliquiis,* verbo autem expedio. Nec Sancti ipsi adorandi sunt, nedum *Reliquiæ* eorum. Non Sancti: *Solus enim adorandus est Deus,* (totidem verbis) Origenes[m]. *Solum Deum adorare didicimus,* Euscbius[n]. *Una* enim *natura Deitatis est, quam solummodo adorare oportet,* Cyrillus[o]. *Neque adorandum quicquam præter Deum legimus,* Ambrosius[p]. Εἰ δὲ *προσκυνητὸν, πῶς οὐ σεπτὸν; εἰ δὲ σεπτὸν, πῶς οὐ θεός; Si vero adorandum, quomodo non religiose colendum? si vero et religiose colendum, quomodo non Deus?* Nazianzenus[q]. Ægre vero hi cum Cardinale, Sanctos; magis adhuc ægre *Reliquias* adorassent. [Neque Sancti, neque Reliquiæ eorum adorandi.]

Basilius, Orat. in xl. Martyres, . . . 'Hi sunt,' inquit, 'qui nostram regionem administrant, et veluti turres quædam cohærentes securitatem ab hostium incursu exhibent, . . . multas patrias exornantes[r].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 13. [Op., tom. vii. coll. 711. D. 712. A.]

---

[l] [S. Aug. de Civ. Dei.] lib. xxii. cap. 10. [Op., tom. vii. col. 1073. D.]

[m] [*Μόνῳ γὰρ προσευκτέον τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ, καὶ προσευκτέον γε τῷ μονογενεῖ, καὶ πρωτοτόκῳ πάσης κτίσεως.*—Orig.] cont. Celsum. lib. viii. [sect. 26. Op., tom. i. p. 761. D.]

[n] [*Ὅθεν ἡμεῖς μόνον τὸν ἐπὶ πάντων σέβειν δεδιδαγμένοι Θεὸν, τιμᾶν τε κατὰ τὸ προσῆκον καὶ τὰς ἀμφ' αὐτὸν θεοφιλεῖς τε καὶ μακαρίας δυνάμεις.*—Euseb.] de Præpar. Evan. [lib.] iv. [cap.] 5. [(10. Viger.) p. 148. D.]

[o] [S. Cyril. Alex.] Thesaur. lib. ii. [cap.] 1. [tom. ii. col. 30. Op., Latine. Basil. 1546. *Μία γὰρ θεότητος φύσις, καὶ ὅτι ταύτῃ μόνῃ δεῖ προσκυνεῖν ἀκούσῃ πάλιν.* — Thesaur. Assert. ix. Op., tom. v. p. 69. C.]

[p] [S. Ambr.] de Spiritu, lib. iii. [cap.] 12. [11. Ben. (sect. 78.) Op., tom. ii. col. 680. F.]

[q] [S. Greg. Orat. xxxvii.] de Spir. Sancto. [Op., tom. i. p. 609. D.]

[r] [*Οὗτοί εἰσιν οἱ τὴν καθ' ἡμᾶς χώραν διαλαβόντες, οἱονεὶ πύργοι τινὲς συνεχεῖς, ἀσφάλειαν ἐκ τῆς τῶν ἐναντίων καταδρομῆς παρεχόμενοι· οὐχ ἑνὶ τόπῳ ἑαυτοὺς κατακλείσαντες, ἀλλὰ πολλοῖς ἤδη ἐπιξενωθέντες χωρίοις, καὶ πολλὰς πατρίδας κατακοσμήσαντες.*—S. Basil. Hom. in xl. Martyres § 8. Op., tom. ii. p. 155. B.]

[Examinantur de hac re testimonia S. Basilii,]

Pari autem fide exequitur ibi rem. Nec enim quæ affert illic, fere vel illius causam juvant, vel nostræ nocent. Basilii locum affert, de quo verbo monuisse sat erit. *Reliquias* nullas ibi Lector reperiet Martyrum, sed Martyres ipsos. *Hi sunt,* (inquit:) vox ipsa *Hi* ad *Reliquias* referri nequit. Genus enim non patitur, ut de *Reliquiis* sensus sit, neque Latine, ubi dicendum *Hæ:* neque Græce, ubi dicendum *Hæc:* ut ad neutrum λείψανα referatur. Et ecqua tamen ejus consequentia? *Divisæ per totam regionem sunt, eam exornant, turrium instar sunt,* ergo *adorandæ.* Num et *turres* Romæ, et ædes *ornatæ adorari* solent?

Idem in Psal. 115. 'Qui contingit,' inquit, 'ossa Martyrum quandam sanctificationis societatem assumit ex gratia corpori insidente[s].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 13. [Op., tom. vii. col. 712. A.]

Sed *participare* alibi dicit, *Sanctitatem quandam, qui Ossa Martyrum contingunt. Quandam:* termino diminuente: non plene ergo, vel proprie *Sanctitatem.* Quid tum? Qui aquam lustralem, qui agnos Dei, et grana tangunt apud vos, *quandam* (ut vultis) *sanctitatem* inde participant: nec tamen Cardinalis (puto) aquam illam, vel grana, vel Agnos *adorandos* dixerit. Certe quæ Sancti Pauli corpus contigerunt, et virtutes operata sunt *semicinctia*[t], a nullo tamen *adorata* legimus.

Quidni igitur veneremur Sanctorum reliquias, unde tanta bona nobis proveniunt?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 13. [Op., tom. vii. col. 712. A]

Nec, ratio quam ibi subdit de suo, melior. Eo *adorandos, quod inde bona nobis proveniant.* Quo argumento, adoraret
48 solem et pluviam: inde enim bona illi (credo) proveniunt. Adoravit olim agrum suum Atheus ille, τὸ γὰρ τρέφον με τοῦτ' ἐγὼ καλῶ θεὸν[u], cujus Theologiam resipere videtur hic Cardinalis.

Nyssenus, 'Corpus,' inquit, 'venerandum ... cum multo honore ... compositum in augusto ... loco situm est[x].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 13. [Op., tom. vii. col. 712. B.]

[s] [Νυνὶ δὲ ὁ ἁψάμενος ὀστέων μάρτυρος, λαμβάνει τινὰ μετουσίαν ἁγιασμοῦ ἐκ τῆς τῷ σώματι παρεδρευούσης χάριτος.—Hom. in Ps. cxv. § 4, apud S. Basil. Op., tom. i. p. 375. A. in Append. Hanc Homiliam Garnerius, (in Præf. ad tom. i. cap. 39. p. xxxiv. edit. Bened.) ut spuriam rejicit; Maranus vero, in Vita S. Basilii (cap. xli. sect. 5. p. clxxviii.) Basilio restituit.]

[t] [Act. Apost. xix. 12.]

[u] [Hic locus haud comparuit. Observat autem Plutarchus, (Sympos. lib. vi. Quæst. 10. Op., tom. ii. p. 685. B.) οἱ γὰρ ἄνθρωποι τὰ κοινὰ καὶ διήκοντα ταῖς χρείαις ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἐκθειάζουσιν, ὡς τὸ ὕδωρ, ὡς τὸ φῶς, τὰς ὥρας· τὴν δὲ γῆν οὐ μόνον θεῖον, ἀλλὰ καὶ Θεὸν ὑπολαμβάνουσι.]

[x] [Σῶμα δὲ τὸ σεμνὸν καὶ ἀκηλίδωτον ἐκείνης ὄργανον, εὐδαμοῦ τοῖς ἰδίοις πά-

Nyssenus, (si tamen Nyssenus is est) vult *componi cum honore corpus Martyris, et in augusto sacratoque loco poni.* Idem hoc vult, et Rex[y], (si veri *Martyris,* si verum corpus) *honorifico loco solenniter inferri:* Sed nunquid *adorari?* [S. Greg. Nyseni,]

Qui etiam addit, 'Pulverem ipsum, qui circa conditorium Reliquiarum reperitur pro magno munere a piis peregrinis rapi consuevisse.'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 13. [Op., tom. vii. col. 712. B.]

At, aliqui *pulverem, qui circa sepulcrum, pro magno munere rapuerunt.* Sed neque *pulvis* prope sepulcrum, *Reliquiarum* pars ulla: et *rapere,* non est *adorare.* Et cum populus sæpe (populi more) multa, etsi impetu cæco, non mala tamen mente facerent, indultum est fortasse. Aliud enim *docebant* Patres, aliud *sustinebant*[z]. Nam, et *omnia* tum *plena erant præsumptionibus*[a], et tolerare multa coacti sunt Patres, quæ tollere non potuerunt. *Scio esse quosdam Sepulcrorum adoratores*[b], ait Augustinus. *Esse quosdam.* Sed *hoc Christiani meliores non faciunt*[c].

Nazianz. . . . Orat. i. in Julian. . . . 'Hæc,' inquit, 'non colis, sed contemnis et aspernaris, qui Herculis rogum . . . admiraris[d].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 14. [Op., tom. vii. col. 712. C.]

θεσι βλάψαν τῆς ἐνοικησάσης τὴν ἀφθαρσίαν, μετὰ πολλῆς τιμῆς καὶ θεραπείας περισταλὲν, σεμνῶς ἐν ἱερῷ τόπῳ κατάκειται, ὥσπερ τι κειμήλιον πολυτίμητον τῷ καιρῷ τῆς παλιγγενεσίας τηρούμενον. . . . . εἰ δὲ κύνιν τις δοίη φέρειν τὴν ἐπικειμένην τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς ἀναπαύσεως, δῶρον ὁ χοῦς λαμβάνεται, καὶ ὡς κειμήλιον ἡ γῆ θησαυρίζεται.—S. Greg. Nyss. de S. Theodoro. Op., tom. iii. pp. 579. A. B. 580. A.]

[y] Præf. Monit. p. 43. [p. 54.]

[z] [S. Aug. contr. Faust. lib. xx. sect. 21. Op., tom. viii. col. 546. A.]

[a] ["Sed hoc nimis doleo, quod multa quæ in divinis saluberrime præcepta sunt minus curantur; et tam multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, ut gravius corripiatur qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia sepelierit."—S.] Aug. Epist. [lv. Ben. (al.] cxix. [)Sect. 35. Op., tom. ii. col. 212. B.]

[b] ["Nolite mihi colligere professores nominis Christiani, nec professionis suæ vim aut scientes aut exhibentes. Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint quid promiserint Deo. Novi multos esse sepulcrorum et picturarum adoratores: novi multos esse qui luxuriosissime super mortuos bibant, et epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos scipsos sepeliant, et voracitates ebrietatesque suas deputent religioni."—S. Aug.] de Morib. Eccl. Cathol. [cap. xxxiv. Op., tom. i. col. 1153. B. C.]

[c] ["Quæcunque igitur adhibentur religiosorum obsequia in martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum tanquam Deorum. Quicunque etiam epulas suas eo deferunt, quod quidem a Christianis melioribus non fit, et in plerisque terrarum nulla talis est consuetudo; tamen quicunque id faciunt, quas cum apposuerint, orant, et auferunt, ut vescantur, vel ex iis etiam indigentibus largiantur, sanctificari sibi eas volunt per merita martyrum in nomine Domini martyrum. Non autem esse ista sacrificia martyrum novit, qui novit unum quod etiam illic offertur Sacrificium Christianorum.—S. Aug.] de Civ. Dei. [lib.] viii. [cap.] 27. [sect. 1. Op., tom. vii. coll. 349. C. D. 350. A.]

[d] [Ταῦτα οὐ σέβεις ἀλλ' ἀτιμάζεις· ὁ τὴν Ἡρακλέους θαυμάζων πυρὰν τὴν ἐξ

[S. Greg. Nazianzeni,] Neque Nazianzenus quicquam ei rem juvat. Juliano succenset *admiranti rogum Herculis, Martyrum monumenta aspernanti.* Recte autem id. Nam quis *aspernari* ea docet? Sed nec Julianus *rogum adoravit* (qui poterat, cum nusquam tum rogus esset?) Nec *meliores Christiani* monumenta *Martyrum.*

Chrysost. . . . cont. Gent. . . . 'Quotidiana a Martyrib. eduntur miracula[e].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 14. [Op., tom. vii. col. 712. D.]

[S. Chrysostomi,] Ad *Martyrum memorias edita* olim *miracula* credimus Historiæ: a Deo tamen, non ab ipsis. Sic fides habet. Agnoscantur pro Dei servis, ad quorum ea memorias edidit Deus: *adoretur* autem Deus, qui edidit.

B. Cyrill. . . . Catech. 18. . . . 'Ut autem non solum animæ, etc.[f]' qui inde probat corpora Sanctorum honoranda esse, et non solum animas.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 15. [Op., tom. vii. col. 713. B.]

[S. Cyrilli Hier.] Nec solum *animas Sanctorum honorandas, corpora etiam honorifice habenda,* ait Cyrillus. Quis negat? Sed inter *honorifice habere,* et *adorare,* longum iter, latum discrimen. Τιμᾷν dabimus, et *ἀγαπᾷν*: *προσκυνεῖν* non damus. *Elizæi* quidem *cadaver,* quod ibi memorat, (cujus contactu revixit mortuus,) *adoratum* tamen est a nemine, vel, ut *Reliquiæ* vestræ, ei rei asservatum.

Ambr. . . . Serm. 14. de Sanctis, 'Honoro memoriam viventis, in cineribus semina æternitatis, etc.[g]'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 15. [Op., tom. vii. col. 713. C.]

[S. Ambrosii,] *Honorare nos* vult Ambrosius *Martyris memoriam viventis, corpus mortui, et semen in eo æternitatis.* Facimus non illibenter. Quid porro quærit? Sed *pallium breve*[h] est, *honos* non pertingit ad *adorationem.*

ἀτυχήματος, καὶ τῶν περὶ γυναῖκας ἀδικημάτων.—S. Greg. Naz. Orat. iii. (in Julian i.) Op., tom. i. p. 77. A.]

[e] [Ἱκανὰ μὲν τὸν λόγον πιστώσασθαι καὶ τὰ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ὑπὸ τῶν μαρτύρων γινόμενα θαύματα.—S. Chrysost. Hom. ii. in S. Babyl. et contra Gentiles. Op., tom. v. p. 456. lin. 26.]

[f] [Ἵνα δὲ μὴ μόνον τιμηθῶσι τῶν δικαίων αἱ ψυχαὶ, πιστευθῇ δὲ ὅτι καὶ ἐγκεῖται ἐν τοῖς τῶν δικαίων σώμασι δύναμις· ὁ ῥιφθεὶς ἐν τῷ μνημείῳ τοῦ Ἐλισσαίου νεκρὸς, τοῦ νεκροῦ σώματος τοῦ προφήτου ἁψάμενος, ἐζωοποιήθη, καὶ τὸ σῶμα τοῦ προφήτου τὸ νεκρὸν ἀπετέλεσε ψυχῆς ἔργον· καὶ τὸ τελευτήσαν καὶ κείμενον ζωὴν παρέσχε τῷ τελευτήσαντι· καὶ παρασχὸν τὴν ζωὴν αὐτὸ ὁμοίως ἔμεινεν ἐν νεκροῖς.—S. Cyr. Hier. Catech. xviii. § 16. p. 293. A. B.]

[g] ["Honoro ergo in carne martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices, honoro viventis memoriam perennitate virtutis, honoro per confessionem Domini sacratos cineres, honoro in cineribus semina æternitatis, honoro corpus, quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere." —S. Ambr. supposit. Serm. lv. (al. Serm. xiv. de Sanct.) sect. 11. Op., tom. ii. Append., col. 467. E. F.]

[h] [Es. xxviii. 20.]

Hiero. . . . advers. Vigil. . . . 'Dolet,' scilicet, 'Martyrum reliquias pretioso operiri velamine, non projici in sterquilinium.' In Epist. ad Marcell. . . . 'Posse . . . Elisæi atque Abdæ cineres adorare.'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 16. [Op., tom. vii. col. 714. A.] 49

Non probat Hieronymus Vigilantium, qui *projici volebat in sterquilinium Martyrum Reliquias*[i]. Et nos *improbamus.* Utrinque enim a medio disceditur. Peccant non modo qui adorant, sed et qui contemptim habent. At vult Marcellam in *Bethlehem Prophetarum cineres adorare,* vult ibi etiam et *pulverem lingere*[k]. At nec vos *pulverilingi* estis. Quare ut hoc, ita illud non proprie, sed figurate. Ubi vero proprie ei loquendum erat, apud Vigilantium scilicet Adversarium, qui instaret acriter, nec laxe loqui sineret, negat Hieronymus, negat exserte: *Nos autem, non dico Martyrum Reliquias, sed nec Solem vel Lunam, nec Angelos, nec Archangelos, nec Cherubim, nec Seraphim colimus et adoramus*[l]. Quid hic quæso dicet Cardinalis, si Patres veteres Ecclesiæ clamant, *Non adoramus Martyrum Reliquias?* Tenetur vero hic, ut elabi non possit. [S. Hieronymi.]

Non . . . Idololatriam, sed pium cultum esse sentiebat adorationem Reliquiarum, quia non ignorabat adorationis esse multa genera, et aliam Deo soli, aliam rebus sacris deberi.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 16. [Op., tom. vii. col. 714. A.]

Necesse habet jam *adorationis multa genera* comminisci, et *aliam Deo soli, aliam rebus sacris deberi,* ut ita res jam tota nobis in λογομαχίαν excat: dum novam nescio quam in religione *adorationem* concinnat nobis, quæ toto genere distet a vera, atque ita inferior quidam cultus sit, cujus et *res Sacræ* capaces sint: et (quod satis innuit Cardinalis) *veneratio* quædam verius, quam *adoratio.* Atqui *adorationis,* de qua Rex, *genera multa non sunt;* nec potest *illa* ad vel res, vel personas sacras adhiberi. Non *illa* scilicet, quæ in *mandato* est, quam *soli Deo propriam dicavit*[m] Christus, et (præeunte Christo) [Quot adorationis genera.]

[i] ["Dolet martyrum reliquias pretioso operiri velamine; et non vel pannis, vel cilicio colligari, vel projici in sterquilinium."—S. Hier. contr. Vigilant., sect. 5. Op., tom. ii. col. 391. C. D.]

[k] ["Et martyrum ubique sepulcra veneramur, et sanctam favillam oculis apponentes, si liceat etiam ore contingimus."—Ep. Paulæ et Eustochii ad Marcellam, apud Epist. S. Hieron. Ep. xlvi. Vall. (al. xvii.) sect. 8. Op., tom. i. col. 203. E.; et infra, sect. 12. col. 207. A. B. "Quando nobis liceat . . . Samariam pergere, et Joannis Baptistæ, Elisæi quoque et Abdæi pariter cineres adorare?"]

[l] ["Ne solem quidem et lunam, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim . . . colimus et adoramus."—S. Hier.] Epist. [cix. Vall. (al. liii.)] ad Riparium, [sect. 1. Op., tom. i. col. 720. A.]

[m] Matt. iv. 10.

Rex. Nec enim Angelum, quem adorare voluit, Joannes (saltem, non secunda vice) Angelum nescivit esse; nec personam Triadis ullam, aut Deum, per errorem putavit, ut (qui soli Deo debetur) honorem ei deferre vellet. Adoravit modo, nec alio *adorationis* genere, quam *quæ rebus sacris debetur* (ut Cardinali placet:) at vetuit tamen *Angelus* ne faceret, bis vetuit, bis ingeminavit, *Vide ne feceris: Deum adora*[n]. Nec enim nota fortasse Angelo, nec D. Joanni nota (quæ Cardinali tam explorata sunt) *adorationis genera multa:* Ut monere potuisset Joannes Angelum, Sine vero te *adorem:* Equidem non *adoro* te, ea quæ Deo soli, sed alio *adorationis* genere, *quæ et rebus sacris,* earumque *Reliquiis* debetur. Nec hoc
50 tum distinctionis emplastrum adhibuit Joannes, nec acquievit ei Angelus: inculcavit ei, (quod et nobis hæret,) *Vide ne feceris: Deum adora.* Nec est Angelorum ratio alia, alia Sanctorum: nec est *Reliquiarum* ratio potior, quam quorum *Reliquiæ* sunt. Nec ita valde laborarent Ambrosius[o], et Augustinus[p], quomodo *scabellum Dei adorari* posset; nec id, nisi in corpore Christi, (quod de terra est) fieri posse statuerent; si posset lepido hoc Cardinalis commento eludi res, si possent *res sacræ* sic passim *adorari.* Saltem, Cardinalis jam *adoratio* per *κατάχρησιν* forte, proprie autem *adoratio* non est. Tandem autem eo forte recidet, ut non alium eis honorem congruere dicturus sit, quam libro *Evangelii,* vel vasis *Sacramentorum:* de quo, neque nos habebit valde repugnantes. Sed hoc, quantum illi abest ab instituto? quantum ab *adoratione?*

Ruffinus.... lib. ii.... c. 33.... 'Ante Martyrum et Apostolorum thecas jacebat (Theodosius) cilicio prostratus[q].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 16. [Op. tom. vii. col. 714. A.]

---

[n] Apoc. xix. 10; xxii. 9.

[o] ["Non mediocris igitur quæstio, et ideo diligentius consideremus, quid sit scabellum. Legimus enim alibi: *Cœlum mihi thronus, terra autem scabellum pedum meorum,* (Esa. lxvi. 1.) Sed nec terra adoranda est nobis quia creatura est Dei. (§.) 79. Videamus tamen ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus Jesus in carnis adsumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligitur; per terram autem caro Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu, ut supra diximus, adorarunt; neque enim divisus est Christus, sed unus: neque cum adoratur tanquam Dei Filius, natus ex Virgine denegatur... (§.) 80. Ac ne quis hoc derivat ad Mariam Virginem: Maria erat templum Dei, non Deus templi. Et ideo ille solus adorandus qui operabatur in templo." —S. Ambr. de Spir. Sancto, lib. iii. cap. 11. Bened. (al. 12.) sectt. 78, 79, 80. Op., tom. ii. col. 680. F. 681. A. B. C.]

[p] [S. Aug. Enarr. in Ps. xcviii. sect. 9. Op., tom. iv. col. 1520. B. seq.]

[q] [Ruffin. Hist. Eccl. lib. ii. (al. xi. ad calc. Euseb. Hist. Eccl.) cap. 33. p. 259.]

Theodosium vero Rex, ut nec ante, *Sanctorum invocatorem*: ita neque hic jam, *Reliquiarum adoratorem* concedet, cum nec hoc Ruffinus asserat. *Jacere* enim *ante Martyrum sepulcra*, non magis hic, apud Ruffinum, *adorare* est, quam, ante jam apud Eusebium fuit, *orare*. Nec enim poterat in locis orationum prosternere se, ut ante *Martyris* alicujus *sepulcrum* non jaceret; addo etiam, ut ante parietem aliquem vel columnam in propinquo non jaceret. Sepulcrum tamen ipsum, non magis quam parietem adorabit vel columnam. Nec enim commeant ista inter se, vel synonyma sunt, *jacere ante Sepulcrum*, et *adorare*. Sed neque *edoctum* concedet *a Sacerdotibus veteris Ecclesiæ*, ut vel *Reliquias* adoraret, quas Hieronymus disertis verbis negat *adorari*[r]: vel ut Sanctos *invocaret*, quos Augustinus[s] æque disertis verbis negat *invocari*. [Testimonium Ruffini de Theodosio,]

S. Maxim. . . . de SS. Octav. Adv. etc. . . . 'Sed ii præcipue venerandi, . . . quorum reliquias possidemus[t].' — [Bell. Apol. pro Resp.] p. 17. [Op., tom. vii. col. 714. B. C.]

Sed neque cum Maximo pugnare animus est, ut Sancti, quorum certo quodam in loco corpora requiescunt, (atque id certo constet) *peculiari in pretio sint, præut ii, qui alibi sunt sepulti*. Nihil enim hoc pietatem impedit. At *adorare* impedit. [S. Maximi Taurin.]

Gaudentius . . . de ded. Basi. . . . 'Ut venerandas . . . Sanctorum Reliquias haberemus, Deus noster tribuit, deinde ut hanc honori earum Basîlicam fundare valeremus, ipse largitus est[u].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 17. [Op., tom vii. col. 714. C.]

Atqui ne valde gaudeat de Gaudentio suo, qui tanti *Reliquias* facit, ut *Basilicas* earum honori fundari velit. Augustino enim hoc non placeret, qui tanti *Reliquias* non facit; cujus illud est: *Nos . . . Martyribus nostris, non Templa, sicut Diis: sed Memorias tanquam* [leg. *sicut*] *hominibus mortuis, (quorum* 51 *apud Deum vivunt spiritus) fabricamus*[x]. Melius autem id multo, magisque ad pietatem. *Apud Martyris* enim *memo-* [Gaudentii,]

[r] [S. Hier.] Epist. [cix. Vall. (al. liii.)] ad Riparium adver. Vigil. [sect. 1. Op., tom. i. col. 720. A.]

[s] [S. Aug.] de Civ. Dei, [lib.] xxii. [cap.] 10. [Op., tom. vii. col. 1073. D.]

[t] ["Cuncti igitur Martyres devotissime percolendi sunt, sed specialiter ii venerandi sunt a nobis, quorum reliquias possidemus, illi enim nos orationibus adjuvant, isti etiam adjuvant passione."—S. Max. Hom. in Nat. SS. Octav, Avent. et Solutor. —Bib. Pat. Max., tom. vi. p. 41. E. F.]

[u] [Gaudent. Tractat. xvii. Die dedic. Basilic. Sanct. xl. Martyr.—Bib. Pat. Max., tom. v. p. 968. G.]

[x] [S. Aug de Civit. Dei, lib. xxii. cap. 10. Op, tom. vii. col. 1073. C.]

riam Templa fundantur, sed non nisi honori tamen fundantur Dei, et *Martyrum*, et *nostri*.

Neque vero *ex sepulcris Apostolorum* Romæ honorem aliquem accrescere iniquo animo patimur, ut gratificemur ita Poetis, Paulino[y] et Prudentio[z], si non vana fides de *sepulcris* illis. Nec de *Sanctorum* ibi *plenitudine*, sed de *veritate*, nonnihil interdum hæremus.

S. Augustin. . . . Epist. 103. . . . 'Portant'... inquit 'Reliquias Beatissimi . . . Martyris Stephani, quas non ignorat Sanctitas vestra, sicut et nos fecimus, quam convenienter honorare debeatis[a].' Idem . . . de Civ. Dei [lib.] xxii. [cap.] 8.[b] fusissime commemorat miracula, quæ Deus suo tempore demonstrabat per invocationem Sanctorum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 18. [Op., tom. vii. col. 715. B. C.]

[S. Augustini,] Augustino autem assentimur, *Convenienter honorandum corpus Protomartyris*, postquam ad illud miracula quædam Deo visum operari. Sed ea tamen miracula *per invocationem Sanctorum* operatum esse, id Cardinalis adjecit de suo. Nam Augustino, *Martyres non invocantur*[c].

Atque hæc illa Cardinalis, partim non vere citata, partim de non veris; quæ vero de veris et vere, ea *nihil ad rhombum*[d], vel ut *Sancti invocentur*, vel ut *Reliquiæ adorentur*. *Longe* autem abesse, ut de iis *statutum* hic aliquid referat: *longius* autem, *tanquam de rebus ad salutem necessariis*, (ut nisi quis *Sanctos invocet*, nisi *Reliquias adoret*, salus ipsa illum servare non possit:) *longissime* vero, ut duo hæc capita fuerint *in fide Veteris et Primitivæ Ecclesiæ*. Nam isthuc ne egit quidem: et quia non egit, nihil egit. Tentatum tum forte aliquid: *Statutum* nihil. Et quod tentatum, libero et voluntario cultu, non *necessario*. Nec tam *fidei* res fuit, quam *credulitatis*.

In promptu autem esset similia testimonia adscribere de cæteris dogmatibus, quæ Rex negat aut damnat; sed quia hæc habentur... in nostris libris Controversiarum, . . . parco labori et lectorum et meo.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 19. [Op., tom. vii. col. 715. C.]

Nec dubium, quin illi, *in promptu sit*, *similia*, cum volet, de reliquis *adscribere*, de suo (scilicet,) *satis noto Promptuario*.

[y] ["Nam prius Imperio tantum et victricibus armis,
Nunc et Apostolicis terrarum est prima sepulcris."
S. Paulin. Nat. iii. S. Felicis —Bib. Pat. Max. Op., tom. vi. p. 273. C.]

[z] [Vide Prudent. περὶ στεφ. Hymn. iii. in S. Steph. lin. 529.—Gall. Bib. Pat. tom. viii. p. 441. col. 1. C.]

[a] [S. Aug. Ep. ccxii. Bened (al. ciii.) Op., tom. ii. col. 1195. B.]

[b] [S. Aug. Op., tom. vii. coll. 1057. D.—1072. B.]

[c] Ubi supra. [de Civit. Dei. lib. xxii. cap. 10. Op., tom. vii. col. 1073. D.]

[d] [Vide Juv. Sat. iv. 119.]

Parcit tamen *labori* suo, *quod habeantur illa in Controversiis* suis, quasi hæc ipsa, quæ hic jam adduxit, ad unum omnia, illic, atque illinc, non habeantur. *Parsisset* ergo, et in his, Lectoris tædio, non *labori* suo. Nam Amanuensi ejus, hæc exscribere, non longus labor. Verum, alia illa, forsan strigosa magis. Hæc (ut videtur) ita arriserunt illi, ut manum continere non posset, quin tam lauta suppellectile sua bearet nos, quæ tamen (ut videt jam) curta est ad probandum quod instituerat, fuisse (scilicet) hæc, *de fide Veteris et Primitivæ* 52 *Ecclesiæ*.

At (inquiet) multa docentur in Anglia et Scotia a ministris, quæ sunt communia veteri Ecclesiæ, atque ea potissimum, quæ in Symbolo fidei, et Decretis quatuor primorum Conciliorum continentur. Ita est.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 19. [Op., tom. vii. col. 715. C. D.]

Vi veritatis victus, tandem fatetur *in Anglia doceri multa quæ veteri Ecclesiæ communia sunt, atque ea potissimum, quæ in Symbolo fidei, et Decretis quatuor primorum Conciliorum continentur*. Subjungit, *Ita est*. Verissimum hoc verbum, *Ita est:* atque hoc interim habemus ex ore Cardinalis proprio. Ea vero *multa*, quæ in *Symbolis*, quæ in quatuor *Conciliis*, satis multa ad fidem nobis. Neque, siquid exin hic vel ille Pontifex, siquid Innocentius Tertius in Decretalia, siquid Pius Quartus referre voluit in Tridentinæ fidei professionem, id tanti putamus, ut ad fidem nos obligare debeat. At idem ille Cardinalis, qui hic *in multis convenire nobis* fatetur *cum Ecclesia veteri;* vix una, vel altera mox interjecta clausula, ejusdem paginæ, eadem facie, (vide senis memoriam,) *in paucis modo convenire* asserit. *Multa ab eis docentur, quæ sunt communia veteri Ecclesiæ:* Et *Cum veteri Ecclesia in paucis conveniunt*[e]. Quis hæc concilet? Quid ei facias, qui sic ait una, negat statim altera periodo? [Fides nostra cum Ecclesia veteri convenit,]

Nos autem in uno principali dogmate controverso demonstravimus, receptum et probatum fuisse ab Ecclesia veteri, ut a nobis recipitur et probatur. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 19. [Op., tom. vii. col. 715. D.]

Nam, quod a *fide* delapsus, ad *recepta dogmata* se confert; *dogmata* non pauca *recepit* Ecclesia vetus, extra *fidem* tamen. Tum de *dogmatibus* δόξα est, atque adeo orthodoxia; *fides* (credo), nisi laxe loqui libeat, de plerisque non est. At de *fide* agitur, deque iis, quæ *de fide statuta* sunt. Quis vero

[e] [Vide pag. seq.]

etiam de *Reliquiis* hoc, ponat inter *dogmata* principalia? in quibus tot tam egregiæ imposturæ, non dicam nostris, sed vel primis illis temporibus, et notæ, et notatæ[f]. Ad rem vero, regerimus ei: in quibus dissentimus, (ut sunt, *Preces non intelligere: Calicem populo interdicere: Ad imagines se prosternere: Eucharistiam sine aliquo Communicante celebrare: Episcopum Romanum id juris habuisse, ut possit Regum subditos ab eorum fide et obedientia liberare:*) et similia, a veteri Ecclesia *rejecta et improbata,* ut *a nobis rejiciuntur et improbantur.* Adjicimus; per primos illos, et a Christo recentes, annos quingentos, nullam Ecclesiam, sed nec ullum hominem uspiam exstitisse Christianum, qui, quæ vos jam singula Romæ creditis, ea crediderit: quæ vos, quasi *dogmata principalia*
53 recipitis et probatis, ea vel probarit vel receperit: imo rejecta a Patribus vestra plurima, vestro quidem sensu: et siquæ recepta, aliter ea multo ab iis, quam ut a vobis recipiuntur.

Itaque nos cum Ecclesia veteri in omnibus articulis convenimus. Protestantes vero in paucis conveniunt, in plurimis dissident.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 19. [Op., tom. vii. col. 716. A.]

[Nec dissidet a Patribus.] Tum, ubi *dissidere nos* ait *a Patribus in plurimis, plurima* hæc ejus, non alia sunt, quam in quibus a Cardinale dissidemus, scilicet, τὸ ἐξ ἀρχῆς. Quis ei hoc nostrum dederit? Imo nullum est *dogma principale,* in quo, nos cum Patribus, illi nobiscum, non consentiant. Testor hic Augustinum, *Martyres non invocantur*[g]. Testor Hieronymum: *Nos reliquias non adoramus*[h]. Et in quo nos a vobis, vos a Patribus dissentitis.

Et idem in libris nostris de cæteris controversis dogmatibus manifestum fecimus.... Non est fides veteris Ecclesiæ, sed hæresis ... novatorum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 20. [Op., tom. vii. coll. 715. D. 716. A.]

Deinde, iterum narrat nobis Controversias suas, et quam ibi omnia hæc *manifesta.* Nos contra narramus ei, dudum jam *manifestum* fecisse nostros homines, de multis, quam nihil ibi *manifestum* fecerit: Nec, ullam in nostris, *hæresin Novatorum: Veteratorum* potius *fraudem* in suis non infrequentem esse.

[f] Conc. Cartha. v. Can. 14 et 15.—["Nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ sint, etc. Concil. Cartha. v. can. 14.—Conc., tom. ii. col. 1218. A. Canon autem 15. Gentilium superstitiones tantum respicit.]

[g] [S. Aug. de Civ. Dei. lib. xxii. cap. 10. Op., tom. vii. col. 1073. D.]

[h] [S. Hier. Ep. cix. Vall. (al. liii.) ad Riparium. sect. 1. Op., tom. i. col. 720. A.]

Et quidem ubi Rex fidem propagaverit, vel Evangelium annunciaverit ignorare me fateor.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 20. [Op., tom. vii. col. 715. A.]

JAM, ubi *fidem* Regi ademit omnem, quam vel *propagare* posset, vel *defendere:* non sinit nudo titulo gaudere, vel *Propagatoris,* vel etiam *Defensoris.* Non *Propagatoris.* Nam, *Ubi Rex fidem propagavit?* Quasi, *propagare, locum* modo spectet: nec *fidem* quis *propaget,* nisi qui cum Mercatorum onerariis misellos aliquot fraterculos, in Japoniam exponat, quo inde, altero quoque anno, perscribant huc (scilicet) Luciani veras narrationes, quas vestri quoque homines vix solent credere, sed credere tamen malunt, quam quærere[i]. *Propagare* vero, etiam ad *media* refertur; etiam ad *tempus.* Media: *propagavit calamo* Rex, quo non multi medio Reges *propagant.* Tempus: *propagavit* et ad posteros, ac memoriam omnem. Utroque hoc sensu, *fidei Propagator* est. Etiam, si vel *locum* spectes: quam procul se porrigit in Occidente Christianus orbis, tam procul, quam et fides sua vera, et estra perfida, *Apologia* sua *propagavit;* ut opus vobis fuerit emendicatis suffragiis agere alicubi, ne scripta ejus inspici possent: ne et ad eos veritatis vis *propagari* necesse foret; cujus vos *propagines* omnes succisas, et *propagationes,* impense cupitis. [Rex vere fidei propagator,]

Haud aliter vero, *propagavit fidem* Rex Henricus VIII. quam scripto libello; is, qui de eo facto, salutatus statim est *Fidei et Propagator et Defensor.* Quo sensu si cedat etiam Rex titulo hoc, gratificari tamen eo non posses Pontifici, nec Pontifex eo ornari, qui nec scripto, nec voce ita valde annunciat Evangelium, ne potest quidem, cum *Canonista* modo sit. 54

Titulum defensoris fidei, quem majusculis literis hoc loco scribi video, ... non ignoro, neque ullus [est], qui ignoret a Leone X. Pontifice Max. delatum Henrico VIII. Angliæ Regi, ob librum ab eodem Rege scriptum de vii. Ecclesiæ Sacramentis adversus Lutherum[k]. ... Quodsi quæratur, quid nomine fidei in eo titulo significetur, nihil aliud responderi poterit, nisi fidem illam significatam esse, quam prædicabat, qui titulum dedit, et quam profitebatur, qui titulum accepit, et quæ defendebatur in libro, cujus gratia titulus datus et acceptus est.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 20. [Op., tom. vii. col. 716. A. B.]

At, ad *Defensoris* titulum, et *majusculas* ejus *literas* magis etiam pungitur. *Delatum enim Henrico VIII., a Leone X.* [et Defensor,]

[i] [Vide Literas annuas Soc. Jesu.]

[k] [Vide Bullam xlv. Leon. X. 'Ex supernæ.' — Bullar. Rom. tom. i. pp. 620, 621. Luxemb. 1727.]

delatum: delatum propter scriptum ab eo librum de septem Sacramentis, nec, aliam in eo titulo fidem intelligi posse, quam Pontificis qui dedit: Regis qui accepit: quæque eo libro defensa est, nempe de septem Sacramentis, propter quem accepit. Lis longa non erit. Quorsum hic tumultuetur Cardinalis? Si ad aliam *fidem* nullam, *fideive defensionem* quadrat titulus iste Leonis, præterquam eam, quæ est de *Septem Sacramentis:* habeat sane sibi Pontifex titulum illum; renunciat ei Rex, cujus de *Septem Sacramentis* fides nulla est: quem numerum, per aliquammulta sæcula nescivit Ecclesia: nec eo tamen minus *fidelis.* Postquam, ea vocis *fidei* glossa est, (*fidei,* id est, *de Septem Sacramentis:*) non est cur Regi de titulo irascatur Pontifex, illius *fidei* Rex *Defensor* non est, nec rei titulum, nec tituli rem sibi vindicat. Rex enim, *Catholicæ fidei Defensor est. Certe autem, per annos plus mille, ne numerus quidem* Septenarius Sacramentorum *auditus est. Quomodo ergo Catholica est* de septem Sacramentis *fides, id est, semper credita, si ante annum supra millesimum audita non est?* Agnoscit enim Cardinalis (spero) stylum suum.

Quæ cum ita sint, non possum non vehementer admirari, cur hunc titulum sibi desumat, qui Romanum Pontificem, a quo titulus datus est, non agnoscit: qui eam fidem damnat, quam profitebatur, qui titulum primus accepit: qui denique non vii. Sacramenta, ob quorum defensionem titulus datus est, sed duo, vel tria tantum esse contendit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 20. [Op., tom. vii. col. 716. B. C.]

[Quamquam non agnoscat Pontificem.]

Invadit eum post *vehemens admiratio, cur desumat sibi titulum Rex, cum non agnoscat Pontificem, a quo datus: nec credat septem Sacramenta, propter quæ datus.* Dicam vero, ut *nil admirando, beatus fiat*[1]. Scripsit Pilatus titulum; Pilatus, qui infidelis, titulum, qui sensu quidem Pilati falsus, verus tamen a se: Mirati tum sunt Judæi, ut nunc Cardinalis. Sed commodum mihi in mentem venit de Pontifice, ut Pontificem cum Pontifice collidamus. Edidit de Christo vaticinium Caiphas, idem maximus, pessimusque Pontifex; verissimum autem vaticinium, sensu Spiritus sancti: falsissimum, suo. *Mirum,* cur Christus Pilati titulum, seu characterem
55 gesserit; Caiphæ vaticinium in Evangelium referri voluerit: cum, nec Pilatum tamen, nec Caipham agnosceret: nec ad eorum mentem esset sensus, vel tituli vel vaticinii. Nec

[1] [Vide Horat. Ep. i. 6. 1, 2.]

enim Christum Pilatus, ita Regem scripsit, ut erat; nec ita *pro gente mortuus* est, ut Caiphas ei, *pro gente moriendum*[m] definiverat. Vel *miretur* hæc quoque Cardinalis: vel Regem, Regisque titulum *mirari* desinat. Titulus a Pilato datus; quo, ab eo datus sensu, non verus: nec eo minus tamen a Christo usurpatus: nec eo minus relatus in Evangelia. Verus enim, verior longe, sensu Christi, quam Pilati: Caiphæ quoque prophetia verior.

Quadrant hæc omnia in Regem. Caiphæ similis Pontifex Regem Angliæ *Fidei Defensorem* dixit. Quo sensu dixit, id verum non fuit: sed, *cum Pontifex scilicet esset anni illius*[n] (nec enim sic fuit sequente[o]) *prophetavit*, Regem Angliæ *Fidei Defensorem fore*. Is autem ipse Rex, qui titulum accepit, superstitionis et tyrannidis depulsor, exuto Pontifice, verus veræ *Fidei Defensor* statim esse cœpit. Quid quæris? Titulus sibi constat: cesset *admiratio*. Leo X. Caiphas fuerit. Is titulum dederit; *Septem Sacramenta* in animo habuerit: *fidem* illam haud aliam senserit: Sera nimis *fides* illa sæculi undecimi, ut vera sit: vera alia, prisca magis. Rex jam noster, etsi *Fidei* ejus, quam voluit Leo, (quippe quæ *fides* non vera) *Defensor* non sit: quia *fidei* tamen veræ, veriore sensu, *Defensor est*: eodem, imo meliore sibi jure titulum vindicabit. Meliore jure, Jacobus verum jam, quam Henricus initio falsum. Nihil hic *mirabile in oculis nostris*[p], nihil novum. Miramur, *mirari Cardinalem*. Nihil enim *Christo Dei*, Regi, quod non idem *Christo ipsi* contigit.

Quæro præterea, Qui titulo isto tam honorifico, Regem Angliæ cohonestavit, Christi Vicarius, an Christi Adversarius fuit? Si Christi Vicarius, cur defensor Christianæ fidei Christi Vicarium non audit? non recipit? non veneratur? ... Quomodo enim ista cohærent, ut quis Romanum Pontificem Antichristum esse credat, et titulum honoris ab eo datum non exhorreat? Ergo Rex, si sapit, originem hujus tituli apud se diligenter cogitet, et facile intelliget eum ad se minime pertinere, et apud homines sapientes plus vanæ ostentationis habere, quam solidæ dignitatis. [Bell. Apol. pro Resp.] pp. 20, 21. [Op., tom. vii. col. 716. C. D.]

Hic idem cuneus dissilire ei faciet et nodum alterum. *Qui* enim titulo illo Regis *tam honorifico* Christum *cohonestavit*, fidelis erat, an infidelis? *Caiphas, Christusne Dei*, an *Christi adversarius?* Si *Christus Dei, cur eum* Christus *non*

[m] [Joan. xi. 50.]
[n] [Joan. xi. 49.]
[o] [Leo X. Bullam dedit prid. Non. Oct. A.D. 1521, et obiit Kal. Dec. anni ejusdem.]
[p] [Ps. cxvii. (Vulg.) 23.]

agnoscit, recipit, veneratur? Si adversarius, cur prophetiam *a Christi adversario,* pessimo Pontifice, editam, ita referri voluit in Scripturas? *Quomodo vero ista cohærent, ut quis* Caipham Pontificem pessimum *credat,* et prolatum ab eo
56 vaticinium *non exhorreat? Ergo* Christus, *si sapit, originem tituli illius, prophetiæ hujus, apud se diligenter cogitet: et facile intelliget, apud homines sapientes plus vanæ ostentationis habere, quam solidæ dignitatis.* Viden', ut quæ in Regem strinxisti, ea in Christum ipsum quadrent omnia?

Titulum sic accipit Rex, sic gerit, quasi hæreditarium sibi, cum Corona sua, quasi Officii sui *μνημόσυνον*: qua vero a Pontifice, haud aliter, quam quasi vaticinium ex ore Caiphæ. Una autem hic opera, *Christum* accusat, et *Regem,* Cardinalis: eademque opera qua *Christum, Regem* quoque culpa eximet.

Dicendum hic jam aliquid erat tandem, de *Civili fide,* de civium in Regem fide, de qua hic sola incubuit Cardinali dicere: sola enim in quæstionem venerat. Illa vero etiam civilis fides *Christiana* est, *Catholica, Apostolica, Ecclesiæ veteris et Primitivæ.* Illam ante cæteras, saltem inter cæteras, expectavit Lector. At Cardinalis nec attigit. Scire vis causam? *Cum ego pungar*[q], pungeretur ea. Vere enim *Christianæ* hujus, *Catholicæ, Apostolicæ, Primitivæ fidei* de civili fide, de *fide* in Principes, Tortus, Cardinalis, Pontifex, nec Propagator, nec (vel *minusculis literis*) *defensor* est.

[q] [Vide supra, p. 1. note [d].]

Quod non sit communis causa Regis Anglorum, cum Regibus, et Principibus, Orthodoxis, et Catholicis.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 21. [Op., tom. vii. 716. D.]

Quod communis sit causa Regis Anglorum, cum Regibus, et Principibus, Orthodoxis, et Catholicis.

Sed frustra laborat Rex, ut causam istam communem faciat.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 21. [Op., tom. vii. col. 717. A.]

SERIONE vero hæc? *Frustra laborat Rex, ut causam suam communem faciat,* dum pro *Juramento* pugnat, quod Regibus in universum præstari debet? Imo vero, *frustra Cardinalis, ut propriam.* Quasi, quod præstari debet omnibus, *proprium* id unius, non *omnium commune,* habendum sit. Quasi vero etiam *Juramenti solius* ibi res foret. Et est quidem *Juramenti,* non tamen *solius.* Sed fac esse. Nonne, ad Reges id in *commune* spectat, ubi justa incidit occasio, an, in officio constantes esse velint subditi, per novam, et e re natam *Juramenti* formulam explorandi; eam condendi jus non esse? Nec in posterum Cæsar, Regumve quis, quacunque demum occasione, suis Juramentum deferat, nisi consulto primum, et ante omnia, Pontifice: nisi vel dictante eo, vel annuente: nisi Romæ denique causam probare possit: quam, nisi probet, statim Brevi aliquo Papali, de Christianis subditis, Pharisæos fieri, de quibus Josephus[a] scribit, quod soli fidem suam jurejurando Cæsari obligare renuerint. [Causa communis Regum hic agitur,]

Cur autem communis causa agatur, unico verbo attingit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 21. [Op., tom. vii. col. 716. D.]

Quamquam vero Rex, sic *unico verbo causam attigit;* at unico illo, quæ in *Juramento* insunt capita, complexus est. 1. *Reges de soliis deponere,* aut (ut cum Cardinale loquar) *omni potestate exuere.* 2. *De Regnis ipsorum pro arbitrio statuere.* 3. *Ditiones eorum invadendi hostibus potestatem*

[a] [Joseph.] Antiq. Jud. lib. xvii. [cap.] 3. [al. 2. tom. i. p. 830.]

facere. 4. *Subditos autem a fide et subjectione absolvere.* 5. *Arma eis, contra Regem cuique suum, ferendi licentiam indulgere.* 6. *Vim etiam ipsi Regis personæ sacræ inferendi facultatem permittere.* 7. *Postquam intonuit semel* Romanus Salmoneus, *nec subditis in officio perstare, fas esse,* 8. *Regisve vel coronam vel personam defendere.* 9. *Nec initas contra Rempub. conjurationes detegere.* 10. *Sed imo, impune fas sit, subdito in Principem manus inferre,* et, quod nuper in Gallia
58 bis factum est, *tertio etiam facere.*[b] An, *decem hæc, propria* Regi nostro, reliquis *communia* non sunt? *Decem* autem *hæc,* si penes *Papam* sint, nihilne ad reliquos?

[non solius Britann. Regis.] Utinam ergo Cæsari quis referat hoc, et Principibus reliquis, unum ista modo Magnæ Britanniæ Regem nonnihil attingere; ad Cæsarem, ad reliquos Principes, horum nihil attinere. Licere hæc, tuto, tum opinari, tum (ubi signo hoc Pontifex innuit) in praxin deducere: verum, nusquam hoc, nisi in Britannia. Referat (inquam) hoc Cæsari, Regibusque reliquis; credat hoc Cæsar? credant Reges? Cardinalem, qui ita credulos eos credat, delirare non credant?

Tum si jurare velit Cæsar, si eorum quis, subditos suos in capita hæc, (nec alia *Juramenti* Regii capita sunt) nec id juris habere *Papam, ut decem hæc* faciat; intercedat autem *Papa* non esse vel Cæsari illisve potestatem deferendi, vel subditis præstandi; sibi vero auctoritatem plenam esse, (ne jurent) eis prohibendi, vel ut sensu æquivoco jurent indulgendi; vel, ubi jurarunt jam, juramenti nexu liberandi: ne hoc quidem quicquam ad Cæsarem, ad Reges reliquos?

Regi quidem nostro, nullum hic jus *singulare.* Ideo, hæc in illum Pontifici non licere juramus, quia in nullum licent. Et, adeone infelici genio vel ingenio Cæsarem et omnes putat, ut eis persuadere possit, *propriam* Regis causam, causam hic omnium *communem* non agi? Scilicet, subditorum fidelitas ad Reges *in commune* non spectat? *Decem hæc* ad *fidelitatem* non spectant? *Juramentum,* quo caventur hæc, *fidelitatis juramentum* non est; nec salva conscientia, a quovis fideli subdito, præstari potest?

[Dogmata Pontificia Regibus contraria.] Audi vero: ad fidelitatem spectat, non Britannici solum, sed cujusvis subditi, non ferre quenquam, qui 1. *Principem*

[b] [De cæde Henrici III. vide Thuan. Hist. lib. xcvi. cap. 8. tom. iv. *pp. 763, 764.*, et de morte intentata Henrici IV. ibid. lib. cxi. cap. 18. tom. v. pp. 445—449.]

de Regno deponere, 2. *Principis de Regno disponere moliatur*: 3. *Cuivis invadenti objicere corpus suum*: 4. *A fide in Principem exsolvere nolle se, vel a quoquam exsolvi*: 5. *Non contra Regem loricam induere*: 6. *Vim ab illius persona propulsare*: 7. *Tonitru Pontificio nunquam ita attonitum fieri, quin ut perstet in officio*: 8. *Coronam, personam Principis tutetur*: 9. *Perditorum civium conspirationes efferat*: 10. *Christum Domini a quoquam occidi posse, nefas putet*: *ita nefas, ut insons haberi nequeat, qui tentet modo* (*quicunque tandem hoc jusserit*:) quin, eum qui jusserit, (sive Comensis Cardinalis[c] 59
fuerit, sive Pontifex Sixtus[d]) intimis animi sensibus execretur. In *fidelitate* hæc omnia insunt: imo *fidelitatem* constituunt hæc: cujusquam vel vi, vel fraude, divelli ab ea nequeunt. Quo caventur hæc, *Juramentum fidelitatis* erit, atque id, quantumvis reclamante non uno modo Cardinale, sed (si velis etiam) toto Romæ Consistorio. Subditus fidelis non sit, qui nolit hæc, (cum ita opus) præstare; qui (interim dum opus) profiteri nolit, nolit sponsione, etiam *Jurdmento* cavere, se præstituturum. Non sit (inquam) fidelis, imo perfidus sit, qui, vel, cum jurat, mentem injuratam gerat[e]; vel, ubi juraverit, ejerare se posse putet, vel nexu Religionis exsolvi.

Excrea vero semel, virum te præsta; nega, *fidelitatis* hæc [Quantum sibi vindicet Pontifex,]
esse, *fidelitatem* ex his constare, aut sine his consistere: nega, vel id *fidelitatis juramentum* fuisse, quo hæc solum, nec quicquam præter hæc, exigitur. Si hæc jurare renuant subditi, laxa eos et lubrica fide non fore: si laxa et lubrica fide subditi sint, si stabili et inconcussa non sint, *communem* in eo Principum, et dignitatem et salutem, non periclitari: si periclitentur hæc, causam *communem* non agi. Fieri quidem non debere hæc temere; sed fieri tamen, si velit jubeat hoc Pontifex: eam vim esse fulminis Pontificii, ut *filio* post illud, *patrem non honorare*[f] fas; subdito, *quæ Cæsaris sunt, Cæsari non reddere*[g]. Admone vero, hic, unum aliquem sibi ut caveat, reliquos omnes jube ut securi sint. Nihil agis si jusseris; non audient jubentem, non obtusa adeo gestant pectora[h] Cæsar et Principes, ut *fidelitatem*, ut *Juramentum*

[c] [Vide Camdeni Rer. Angl. et Hibern. Annales regn. Elisab. ad ann. 1585. par. iii. p. 393. Lugd. Bat. 1639., et Actionem in Gul. Parrium apud 'State Trials,' tom. i. p. 25. Lond. 1730.]

[d] [Vide Camden. Annal. ad ann. 1588. par. iii. p. 517.]

[e] [Cic. de Off. iii. 29.]

[f] [Matt. xv. 6.]

[g] [Matt. xxii. 21.]

[h] [Vide Virg. Æn. i. 567.]

ejus, quod omnibus præstari debet, *omnium* non putent interesse. Vident de vestris, inviti, etiam qui nolunt videre, *communem* hic causam agi; scripturos, quæ nos jam scribimus, facturos, quod *proximus* fecit *Ucalegon*[i], ubi *sua res agetur, suus paries ardebit*[k].

[in directo sibi dominio statuendo,] Verum non *unius Juramenti* res est; dolose id dictum a Cardinale: sunt et extra juramentum alia hic, et quidem multa, Cæsari, Regibusque cum *Rege* nostro *communia.* Penitius igitur doctrinæ hujus adyta introspiciamus, et a Cardinale percontemur; Quod si (quod nuper Venetiis tentavit) jubeat Pontifex *refigi leges, dimitti maleficos,* nec in eos animadverti sinat? tantumne ea res Regem Britanniæ attin-
60 git? nihil Cæsarem, nihil Reges reliquos? Quæ *vestri homines* passim jam *scriptitant,* (nec eos Pontifex compescit) quibus id agitur, ut *unus* per orbem terrarum, idemque *summus,* cum *Hierarcha,* tum *Monarcha* sit, qui directum dominium habeat in *Reges* universos et Regna: Quod, vectigalia jam illi de jure sint omnia Regna per Europam, (Steuchus hoc olim[l], nuper Marta[m] *cum privilegio* Pontificis, orbi spectandum proposuit) atque ita, primatus *Apostolici* prætextu, *Monarchiam* sibi ac *Regnum de hoc mundo*[n] moliatur, quod et ante stet, et, nisi ante, contra stet Regnis reliquis a Deo constitutis: Quod, spiritualem potestatem totam, temporalis etiam partem summam optimamque invadat: nec in rebus modo spiritualibus personas Regum, sed extra illas, ipsas quoque potestates Regum, sibi subjiciat, idque in temporalibus: Quod, *Anabaptismum* quasi novum introducat, per Regnum Ecclesiæ spirituale, Regna terrena enervando; jura eorum, Magistratus, vim omnem denique, ubi videtur, elidendo; reliquæ omnes ut jaceant, sola regnet ubique potestas Pontificia: *propriane* hæc Regis nostri? Nonne *communia* sunt *Cæsaris,* et *Principum* reliquorum?

[in regnis mutandis,] Quod, postquam *Dictaturam* diutius jam gerere non potest Pontifex; *Tribunus* fiat: nec Reges a Deo solo potestatem suam habere, sed, nescio quid, de plebeia potestate habituali mutire, atque ita populum cum Rege committere: Quod, quæ successivi juris sunt Regna, electiva faciendi potestatem

[i] [Vide Virg. Æn. ii. 311.]
[k] [Vide Horat. Epist. i. 18. 84.]
[l] [Vide Aug. Steuch. Eugub. contra Laurent. Vallam de Donat. Constant. lib. ii. Op., tom. iii. p. 236. F. Venet. 1591.]
[m] [De Jurisd. par. i. cap. 18. p. 37. Aven. 1616.]
[n] [Vide Joan. xviii. 36.]

sibi vindicet (quod factum in Gallia a Cardinale Placentino ex Diplomate Clementis VIII.[o]: tentatum etiam in *nostro*, ex binis Clementis ejusdem Brevibus merito in ultrices flammas abjiciendis, merito abjectis[p]; ad solumne Britanniæ Regem hoc, non et ad Gallum et Hispanum pertinet?

Quid, quod in Cæsarem, Principesque, quam in privatos plus sibi juris arroget; cum, nec plebeio homini per Censuram suam agellum adimat, Regnum Principi adimat; etiam, (qui nihil peccavit) Hæredi; sic autem adimat, ut etiam pœnitenti reliquus jam locus nullus, nec spes recuperandi denuo; ut jam, quæ præterea nemini, boni sui et proprii privatio est, censura; *Principi* sit tamen, et *soli Principi:* si deteriore jure regnetur jam apud Christianos, quam olim regnatum est apud Judæos, minorque Cæsari Regibusque nostris sit, quam illorum Regibus fuit auctoritas: si deteriore quam olim apud Ethnicos, (cum Pontifex, etsi Ethnicis subditus fuerit, in temporalibus, at Christianis tamen nunquam fuerit:) si multum legitimæ potestatis suæ decessit Constantino Cæsari, quam prius Ethnicus habuerat, multum etiam *reliquis Principibus*, ex quo, datis Christo nominibus in Ecclesiæ fidem transierunt: nc hæc quidem ad *reliquos* quicquam pertinent? [in regibus jure privandis.] 61

De subditis vero. Si, non *Fidei illorum dominari*[q] solum velit, sed et *fidelitati:* si Regem quemque, multos habere in Regnis suis magnos, potentes, divites, quibus leges ferre tamen, in quos animadvertere nequeat, ne læsa quidem Majestate: atque ita, eximi absolute partem subditorum tertiam; reliquam etiam totam, (ubi id ita vult Pontifex) omni officio, fide, subjectione laxari: si *Charactere Baptismi*, non eximi *Christianos*, *Charactere* tamen *Ordinis* eximi Clericos necesse sit subjectione sua[r]: nec *charactere* quidem modo, sed vel *tonsura ipsa prima*, idque (si Bonifacio credimus) etiam conjugatos[s]; *propria*ne hæc *Nostri*, nihilne cum *reliquis commune?* [in subditis eorum fide laxandis.]

De *Cæsaris*, *Principumve* beneficiis. Privilegia nulla a *Cæsare Regibusve* indulta Ecclesiæ, nulla ipsi Pontifici: nec gratiam illis factam, jus modo redditum fuisse: nihil quic-

[o] [Vide Bochell. Decret. Eccl. Gall. lib. v. tit. iii. cap. 3. pp. 723–725.]

[p] [Vide Action. in Hen. Garnetum, pp. 107. 108. Lond. 1607.]

[q] [2 Cor. i. 24.]

[r] [Vide Bell. de Clericis, lib. i. capp. 28—30. Op., tom. ii. pp. 326—329.]

[s] [In Sext Decretal. lib. iii. tit. ii. 'De Clericis Conjugatis,' cap. 'Clerici.'—Corp. Jur. Can., tom. iii. col. 425, 426.]

quam donatum illis unquam, tantum quod illorum jam ante fuerat, id quod ita fuerit modo declaratum: Quæ jure humano habent, quæque nisi humano jure haberi non possunt; tamen a *Cæsare* illa, *Principibusque* non habere. Quid? An hæc etiam *Cæsarem reliquosque Reges* nihil attinent?

De Censuris. Si, debito æris, (quo quis excommunicato tenetur ex pacto suo) etiam lata sententia debitorem non solvi constet: obedientiæ autem et fidei debito (quo ex præcepto Dei tenetur,) solvi quemlibet posse, ne Principi teneatur: si Censuras ipsas ad peccati medicinam, et salutem animæ a Christo institutas, ibi vel maxime vel solum adhibere, mos jam diu fuit, ubi de finibus regundis, vel de jure aliquo temporali agitur; Denique, si *Martyrii* nomen profanare fas, et qui proditionis nomine infames, quique juridice damnati sunt, consecrare, atque ita, scelera in sacrificia transubstantiare: Numquid hoc Regi nostro *peculiare*, non cum *reliquis Regibus commune* est?

62 [Nupera quædam de hac re Bellarmini dogmata.]

Quid quæ nuperrime jam habemus, quæque adhuc calent a Cardinale, an nec illa in *commune* spectant ad *Cæsarem* et *Reges omnes?*

1. *Christum hominem, in terris, tempore mortalitatis suæ, habuisse potestatem in Imperatores temporalem,* et de *eorum Regnis disponere potuisse.* (Quod probatur, *per porcos*) *Eamque potestatem sine dubio Pontifici concessisse* [t].

2. *Liberasse Apostolos suos Christum ab omni subjectione Principum terrenorum, eosque proinde, facto tantum, non jure Principibus subjectos fuisse* [u].

3. *Defuisse Apostolis Reges, quos deponerent, non autem deponendi potestatem* [x].

4. *Potuisse Apostolos a subjectione Principum infidelium populum Christianum eximere, si id utile censuissent, eisve vires non defuissent* [y].

5. *Populum Christianum, in periculo amittendæ fidei, excutere potuisse jugum Principum infidelium* [z].

6. *Tolerasse tum Persecutores suos, non propter conscientiam, sed propter defectum virium, quod non haberent, qui eos armare posset, vel armatos educere* [a].

[t] [Bell. de Excus. Barclaii, cap. xxiv. Op, tom. vii. col. 944. B. seq., et cap. xxvii. col. 955. A.]

[u] [Ibid. cap. iii. col. 854. C, et cap. xxxv. col. 977. C.]

[x] [Ibid. col. 859. C., et cap. xxv. col. 949. B.]

[y] [Ibid. cap. xxi. col. 933. A.]

[z] [Ibid. cap. xxi. col. 937. D.]

[a] [Ibid. cap. vii. col. 875. D.]

7. *Potuisse autem et debuisse, si vires adfuissent, Imperium illis abrogare. Atque id si non fecissent, expositam ab iis religionem evidentissimo periculo, cum nollent adhibere remedium, quod habebant in promptu* [b].

8. *Tempus fuisse Martyrii, tum, cum nemo auderet resistere: cum auderet autem, cumque ægre ferrent populi, ac prompti essent ad excutiendum Principis jugum, tum demum potuisse Ecclesiam exserere potestatem suam (quando scilicet non frustra exsereret,) ac Principes de Regnis deponere* [c].

9. *Pontifices, etiam in temporalibus, non fuisse subjectos Imperatoribus Ethnicis. Quod si autem Ethnicis, at non Christianis tamen* [d].

10. *Reges, nullam in Episcopos, vel clericos habere potestatem* [e].

11. *Exemptos fuisse Clericos, etiam jure divino, ab omni jurisdictione Principum, etiam priusquam privilegiis eximerentur. Illa, quæ concesserunt Imperatores, privilegia, ex ignoratione juris concessisse* [f].

12. *Potuisse, adeoque posse Pontificem eximere Clericos potestate Principum, nec id Principes impedire posse. Et quod potuit, fecisse, Clericosque absolute ab eorum potestate exemisse* [g].

13. *Papam, ex eo quod factus est Pastor, a Christo mandatum expressum habere, mutandi regna* [h]. 63

14. *Etiam, sine excommunicatione, disponere posse Papam de regnis Principum, pro utilitate Ecclesiæ* [i].

15. *Etiam auctoritatem habere in Principes infideles, privandi eos dominio suo, non tamen qua infideles, sed qua fidelibus dominantur* [k].

16. *Facere Pontificem, ut qui Rex est, subditis suis Rex deinceps non sit: Omninoque superiorem esse Cæsare et Rege quovis in temporalibus, ubi salus subditi in periculum adducitur, propter obsequium temporale* [l]: (adducitur autem omnino, cum Superior ille adduci dixerit.)

[b] [Ibid. cap. xx. col. 929. B., et cap. xxii. col. 938.]
[c] [Ibid. cap. vii. col. 874. A–D.]
[d] [Ibid. cap. xvi. col. 916. B.]
[e] [Ibid. cap. xv. col. 913. C.]
[f] [Ibid. cap. xxxiv. coll. 970. D. 971. A.]
[g] [Ibid. cap. xxxvi. col. 983.]
[h] [Ibid. cap. xxvii. col. 955. A.]
[i] [Ibid cap. iv. coll. 864. D. 865. A.]
[k] [Ibid. cap. xxi. col. 936. C]
[l] [Ibid. cap. xxxi. coll. 959. B., et 964. B.]

17. *Papam dispensare contra obedientiam subditorum: facilius autem id, quam contra obedientiam Monachorum* [m].

18. *Posse eum Principes cogere, ad legem aliquam politicam ferendam, nisi velint anathematis vinculo alligari* [n].

19. *Non esse Principes a Deo secundos de jure, nec nisi de facto solum; nec a solo Deo potestatem suam illis dari, nec immediate: ut (scilicet) eam habet Pontifex* [o].

20. *Non conjunctas esse Ecclesiam et Politiam vinculo benevolentiæ, sed subjectionis, ut Ecclesia Reipublicæ præsit: Nec convenisse in unum, ut duas Respublicas, sed ut spiritum et carnem* [p], nempe ut Politica membra ab Ecclesiastica potestate motum omnem, et sensum recipere debeant: nec aliter quam baculos et cadavera ab ea moveri. Quid habet in his *peculiare* Rex *noster?* quid non *cum reliquis conjunctum* et *commune?*

Nam neque Summus Pontifex in Brevibus suis ad Catholicos Anglos, neque ego in Epistola mea ad Archipr. Angliæ, Juramentum quodcunque fidelitatis improbavimus;=

[Quale Juramentum improbat Pontifex.]

1. *Frustra* autem *laborat* Cardinalis, dum contendit, *Non improbari Papæ quodcunque juramentum;* imo *quodcunque* Regiæ potestati favet, *improbari, quodcunque* non ita modificatum, ut nihil in eo caveatur, contra *Romanam Tyrannidem,* quo minus pro arbitratu suo, Cæsarem et Reges potestate exuat. Hæc eam vim habent: probari aliquod forte, dum ne Papæ in eo manus ligentur, sed ut ei semper integrum sit, cum volet, cum visum fuerit, grassari in Principes: ubi vero ad omnia imperata præsto non sint, impingere statim eis hæresis notam aliquam, Ecclesia primum, post imperio exuere, quod factum Friderico II.[q], Ludovico Bavaro [r], Cæsaribus: Joanni Navarreno [s], Ludovico XII.[t] Galliæ Regibus. Nec enim *improbum* quid in tali Juramento.

[m] [Ibid. cap. xxvii. col. 952. D.]

[n] [Ibid. cap. xxxix col. 988. D.]

[o] [Ibid. cap. viii. coll. 879. C., et cap. v. coll. 868. D. 869. A.]

[p] [Ibid. cap. ii. col. 850. B., cap. viii. col. 882. D., cap. xiii. col. 906. A. D., cap. xvii. col. 919. A–C., cap. xxx. coll. 958. D. 959. A.]

[q] [De Excommunicatione Frid. II. vide Bull. xiii. Greg. IX. 'Rationalis.' Bullar. Rom. tom. i. pp. 79, 80. De damnatione et depositione ejusdem, Bull. iii. Innoc. IV. 'Ad Apostolicæ.' ibid. pp. 85, 86; quæ quoque habetur, non tamen integra, in vi. Decretal. lib. ii. Tit. xiv. 'De sent. et re judic.' cap. ii. Corp. Jur. Can. tom. iii. coll. 376—380.]

[r] [Vide Raynald, Cont. Annal. Baron. tom. xv. ad ann. 1323, Num. xxx. seq.; et Bullam Joan. XXII. apud Goldast. Const. Imper. Par. i. p. 98. Francof. 1607.]

[s] [Æl. Ant. Nebriss. de Bello Navar. lib. i. cap. 3. fol. lxxvi. a.]

[t] [Spond. Cont. Annal. Baron. in ann. 1512. Num. xxv. tom. ii. pp. 297, 298.]

= sed ... quod sub specie civilis fidelitatis abnegationem Pontificiæ auctoritatis continebat.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 22. [Op., tom. vii. col. 717. A.] 61

1. Illud *improbum* est, illud *improbandum*, ubi *sub specie civilis fidelitatis* delitescit *abnegatio Pontificiæ auctoritatis.* Verum irrito conatu hoc: In Juramento enim Regio aperte res geritur, delitescit nihil: *auctoritas Pontificis* nulla *abnegatur;* nulla (inquam) quæ vere Pontificis sit, quæve ad illum de jure spectet: negatur autem, quod *ad decem illa* (quæ recitavi modo) potestas Pontifici ulla sit, de jure (inquam) sit: nisi si ei jus sit, sibi ipsi jus vel faciendi, vel dicendi: ubi Cæsar quid contradicat, vel Princeps, tonandi, fulminandi, Christianum orbem permiscendi [u]. Arrogasse eam sibi jamdudum sciunt omnes, at ubi exseruit unquam, intercessum esse a Cæsare et Regibus: ubi unquam exseret, semper itidem intercessum iri. [Quale Reges exigunt.]

Neque Reges, et Principes Catholici ita sibi jurari volunt a populis fidelitatem, ut Summi Pontificis auctoritas abnegetur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 22. [Op., tom. vii. col. 717. A.]

2. *Volunt* vero *ita sibi jurari Cæsar* et *Reges omnes*, ut *hæc in Juramento potestas* Pontifici denegetur, *hæc* (inquam) *potestas*, quæ facit, ut Cæsari, ut ipsis potestas nulla sit, nisi ad placitum Pontificis, nisi tantisper dum illi se ad omnia morigeros præbeant. Et hic conserenda fuerat manus Cardinali.

Quæ duo si demonstrare potuero, nemini dubium relinquetur, quin causa Regis Angliæ propria ipsius sit, neque aliquid commune habeat cum causa Regum, et Principum Catholicorum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 22. [Op., tom. vii. col. 717. A. B.]

Nam, nisi *decemplicem* eam potestatem Pontifici suo asseruerit: etiamsi *duo illa demonstraverit*, quæ sibi finxit, ne sic quidem quicquam egerit. Potestas, quæ *propria* Pontifici sit, vel *sua*, haud ulla ibi *negatur*. Nam quæ *negatur*, ita plane de extravagantibus est, extra jus et juris regulas, præsertim *Ecclesiastici*, ut nec Cardinalis ipse Pontificis esse eam adhuc ausus sit affirmare: Exorari, urgeri, adigi nondum potuit, necdum potest, ut oppositum asserat ullius *de propositionibus iis*, quæ nativa membra sunt *Juramenti Regii*, et quibus omnem potestatem eam complexus est, quam a suis vult abnegari. *Potestatem Pontificiam abnegari*, inculcat semper,

[u] [Cf. Aristoph. Acharn. 505.]

sed indefinite: atque, ut *dolosus ambulat semper in generalibus*, revoca, ut quæ illa potestas sit, et ad quid, ut de *decem illis* unum aliquod diserte dicat penes Pontificem esse, mutus illico.

Quod igitur juramentum, quod Rex Angliæ fidelitatis, et civilis obedientiæ vocat, non sit juramentum simplicis fidelitatis, neque solius civilis obedientiæ, perspicuum est, ex titulo Edicti: ... 'Hic enim est Titulus: Ad detegendos ... Papistas.'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 22. [Op., tom. vii. col. 717. B.]

[Quid in Juramento Fidelitatis abnegatur.]

Abnegari juramento auctoritatem Pontificiam, id vero *perspicuum* facere vult, iterum jam, *Ex ipso Edicti titulo*. Verum id (quod et ante docui[x]) perversa satis consequentia. *Edicti titulus est, Ad detegendos Papistas*. Ergo *in juramento, abnegatur potestas Pontificis*. Ab *Edicto* ad *Juramentum*, nulla necessitas est consequentiæ. Multa præter *Juramentum*, in *Edicto* sunt. Sed neque a *Papistis* ad *Pontificiam potestatem* sequitur: Præter *potestatem* enim *Pontificis*, multa hallucinantur *Papistæ*.

Sed quid agat? Hærendum etiam illi in *titulo*, qua laborat penuria. Aliunde enim non habet, quo fucum Lectori faciat. Fecit hoc cum Tortus esset, et retortus est. Nec enim ea contineri in *Titulo* omnia, quæ in *Edicto* multa sunt, et varia. De *viginti duobus* Paragraphis, *tres* ad summum vel *quatuor Juramentum* tangunt: cæteri aliis rebus sunt. Tum, quadrare satis *Titulum, Ad detegendos Papistas. Papistæ* enim multi in recenti scelere, pessime, ut videtur, animati: ad *Papistas* itaque *reliquos detegendos*, an eadem illis mens: (quo, quibus non eadem, dimitti, quibus eadem, mature reprimi possent.) Ex *Titulo* autem, siquid volebat, ita colligere debuit: fraudem quotidie *Papistis* crescere, ex quo facti nuper *æquivoci*, ut *detecti* forte antea, de novo jam *detegendi* iterum: Et cum fraude, malam mentem: ut proin magis etiam sollicite reprimendi. Fraus autem et mala mens liquebant e responsis eorum turpissimis: *Sacerdos non sum*, puta, *Apollinis. Mare non transii*, nempe, *glaciale. Romæ non fui*, nimirum, *hodierno mane. Nunquam vidi Parsonium*, scilicet, *nunquam in Japonia*[y].

[x] [Vide Tortur. Torti, pp. 19—22. Edit. nostr.]

[y] [De hujusmodi Æquivocationibus, vide Oration. Edv. Coke, apud Action. in Garnetum, pp. 34—36; et Tractatum ipsum 'De Æquivocatione,' qui habetur MS. apud Bibl. Bodl.]

Neque finis (Juramenti) est, continere populos in ea obedientia, quæ Regibus, et Principibus debetur, sed reprimere Papistas, qui civilem obedientiam Regibus exhibent, sed nolunt Regem agnoscere Caput vel supremum Gubernatorem Ecclesiæ in spiritualibus, neque volunt Primatum Apostolicum Summi Pontificis abnegare.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 22. [Op., tom. vii. col. 717. B. C.]

Et Cardinalis sensus ille, quem affingit, adeo sensus *Edicti* non est, ut ne possit quidem esse, nisi plumbeus esse velit: nempe, ut *reprimeret* eos, qui *nolunt Regem agnoscere supremum Gubernatorem in Spiritualibus, neque volunt Primatum Apostolicum Summi Pontificis abnegare.* Primatum Apostolicum Pontificis; qui potest? cum Pontifex *Petro ut Apostolus est, proprie non succedat*[s], non Apostolicum igitur: quin primatum Pontificium, nec eum tamen *primæ Sedis, tituli,* vel *ordinis,* sed *juris,* quod sibi præter jus vindicat *τοῦ κατακυριεύειν τῶν ἀδελφῶν*[s], quique (si eam vocem usurpare detur, quæ ipsius Legis est,) *Suprematus* potius est, quam *Primatus.* Sed neque hac de re cavetur quicquam in *Edicto Regio.* Erat enim antea, jam quoque est Juramentum aliud, quo cavetur hoc, quodque qui præstare renuit, capitali id ei pœna luendum est. Atqui novum hoc et nuperum *Juramentum,* ne, si recuset quis suscipere, capitale id ei est. Ecquis vero tam sine cerebro, ut persuadere cuiquam se posse putet, cum esset antea *Juramentum* huic rei, sub pœna capitali; consultum videri potuisse vel Regi, vel Regni Ordinibus, aliud eidem rei 66
Juramentum sancire, cujus pœna citra capitalem subsisteret; ut, cum severi (scilicet) esse vellent, et *Papistas reprimere,* quos ante acriore poterant, jam mitiore plecterent? Hæccine *reprimendi* via vobis; quem *capite* possis, ut magis terreas, capiti parcere, *fortunis* vel *carcere* mulctare? Læso cerebro sit, qui credat; læso non minus, qui credendum proponat. *Titularis* ergo hæc probatio est, et mere quidem *titularis,* rei nihil subest.

Ne bis eadem repetendo, et me, et Lectorem frustra fatigem.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 22. [Op., tom. vii. col. 717. C.]

2. Qua cum semel jam *fatigarit Lectorem,* et (ut fatetur) *frustra,* bene facit, quod non *bis frustra fatiget.* Remittit ille te (Lector) ad Tortum; ego ad Librum, quo Torto respondetur.

[s] Bellar. de [Rom.] Pont. lib. iv. [cap.] 25.—[§ 'Respondeo.' Op., tom. i. p. 230. G.]

[s] [Κατακυριεύοντες τῶν κλήρων. 1 Pet. v. 3.]

Vidimus enim tota spectante Roma, Legatos Reipubl. Lucensis, . . Genuensis, ac denum Venetæ, . . . Ducem Feriæ Regis Hispaniæ, Ducem Nivernensem Regis Francorum, splendidissimo comitatu ad urbem advenire, Summi Pontificis pedes deosculari, Latina et pereleganti oratione reverentiam, et obedientiam nomine totius Reipublicæ exhibere,

[Qualis reverentia Paulo V. a regibus præstita;]

Ut jam constet de secundo; *Ita sibi Reges jurari velle, ut sua Pontifici obedientia conservetur,* id vero, docere se putat, ab exhibita nuper Paulo Quinto obedientia: ubi commemorat nobis quid *Roma tota spectante,* nuper viderit. Atque hic invitat nos ad spectaculum, inque eo, *Legati Lucenses, Genuenses, Veneti, Dux Feriæ Regis Hispaniæ, Dux Nivernensis Regis Francorum, Legati;* quam *Roma tota spectante, Pontificis pedes* suaviter *deosculati sint,* quam *splendido comitatu fuerint,* Et *Latinas orationes perelegantes habuerint* μετὰ πολλῆς φαντασίας [b].

Vidistin' vero hæc? At si Petro ibi sedente, non vel *Feriæ Dux* vel *Nivernorum,* sed (qui Centurio modo erat,) Cornelius Romam venisset, atque eadem hæc Petro præstare voluisset, vidisses *tota spectante Roma,* Petrum a pedum osculo, a pedibus repellentem. Cæsareæ quidem id fecit Centurioni[c]: credo idem et Romæ Ducibus facturus.

= quæ S. Petro Apostolorum Principi ejusque Successoribus jure debetur.— [Bell. Apol. pro Resp.] p. 23. [Op., tom. vii. coll. 717. D. 718. A.]

[major quam Petro ipsi.]

Omnino ergo id, male a te positum, *Eam præstitisse Illustrissimos Legatos, quæ S. Petro Apostolorum Principi ejusque successoribus jure debetur.* O ergo juris sui vel ignarum, vel negligentem Petrum! vel potius, o *Successores* ejus cupidos juris non sui! Non enim *successoribus* debetur hæc jure, nisi jus hoc Petro constitisset, nisi ab aliquo aliquando Petro præstita fuisset. Quare non *eam* dicere debebas *quæ Petro,* sed *ea, quæ Petro,* longe multisque partibus majorem. Verum, reddidit tum rationem Petrus, cur rejiceret a pedibus Centurionem, *Nam et ego homo sum*[d]. Eam *Successor* ejus reddere non potest, qui plusquam Petrus, plusquam homo est, nec *Deus,* nec purus *homo,* sed *inter utrumque*[e]. Laudo tamen

[b] [Act. Apost. xxv. 23.]
[c] [Act. Apost. x. 26.]
[d] [Act. Apost. x. 26.]
[e] ["Nec Deus es, nec homo, quasi neuter es inter utrumque."— Gloss. in Procem. ad Clement. col. 4. apud Corp. Jur. Can. tom. iii., e Poetria Nova Galfridi de Vino Salvo. Hæc verba (una cum summario in marg. 'Papa nec Deus est, nec homo,') deleri jussit Pius V. (vide Thom. Manrique Censur. in Glossas Juris Canonici, pp. 13. b. 14. a. Colon. 1572.) Ea vero Greg. XIII. postea restituit, cautione tantum in marg. addita. Vide Sixti Fabri Collat. Censur. in Glossas Jur. Can. p. 360., ad calc. Ind. Expurg. Argent. 1599.]

Legatos: Cornelium imitati sunt, etiam vicerunt: non laudo *Successorem Petri*, qui in pari causa, Petrum imitari noluit. In pari causa dixi? Imo longe dispari: Dispar enim hic longe, ubi scilicet, et ratio minor *propter quam:* ubi et persona major *a qua*, et minor, *cui:* ubi, *quæ exhibita est* autem multo major fuit submissio. *Ratio* minor: Romæ enim his nuper *Ceremoniæ* res modo: at *Cæsareæ* ibi, *Centurioni salutis* causa agebatur. Est vero *Satrapæ*, quam Centurionis *persona major, a qua*, ac multo magis Regum, quos Satrapæ referebant. Pontificis autem, quam Petri, *persona minor*, cui: Ibi, non Cornelius Joppam ad Petrum, Petrus ipse Cæsaream ad Cornelium venit, nec piguit venisse: Hic, non *Petri Vicarius* ad *Reges:* Ipsis ad illum in Legatis suis Romam usque veniendum fuit. Ac calceos deosculari, quam ad pedes procidere, abjectio longe major. Et hoc tamen, (*Roma tota spectante*) in causa tam dispari, et ubi ventosa tantum *Ceremonia*, passus sibi fieri a Satrapis bonus Petri Successor, in eo quidem Petri non bonus imitator. 67

Sed, non *reverentiam* solam quæ in potestate exhibentis est, etiam *præstitisse* dicis *obedientiam*. At alicubi memini legere me, Regem et Imperatorem aliquem, *reverentiam* modo *Pontifici; obedientiam*, non nisi *Ecclesiæ* præstare voluisse[f]. Tum, ubi certatum aliquandiu, non pervicisse tamen *Pontificem*, nisi tantum, ut obsequium quidem *Pontifici* (quod, uti scis, amicos parit[g], et inter pares est, nec ullo nisi urbanitatis jure debetur), *obedientiam*, ne tum quidem, polliceri vellet, nisi *Ecclesiæ*.

Si tamen vera narras, et *obedientiam* (ut dicis) *exhibuerunt:* at qualem, quousque, et in quibus? An ad depositionem usque Regum suorum de Regnis suis? An ad *obedientiæ* interdictionem usque in subditis? An in temporalibus suis, ut de iis statuere posset, pro arbitrio suo, et nisi morigeros haberet, exauctorare, et per *Decretalia* sua tollere illis *Regalia?* Non puto: Discessisti ergo extra callem: nam hæc illa est falsi nominis *obedientia*, nec alia præter hanc, quam nostri in *Juramento* ejerant. [Ea obedientia]

Denique, quæ hic nobis recitas, ad *pompam* magis sunt, quam *palæstram:* imo, ad *pompam* plane sunt, non ad *palæstram*. Venetos appello, (quos ibi nominas,) quos ais *exhibuisse* [specie magis, quam rei veritate.]

[f] Continuat. ad Hypomnema Petr. de Vineis. [i. e. Schardii Hypomnema ad calc. Epistolarum Petri de Vineis, tom. ii. pp. 307, 308. Basil. 1740.]

[g] [Terent. And. i. 1. 41.]

demum *obedientiam* hanc. At, eo ipso tempore Papa, an ut legem suam refigerent, an ut inclusos in carcere laxarent, an
68 ut Jesuitas ad se reciperent, an ut in his *obedirent* sibi, impetrare poterat? Quod igitur de *obedientia* dixisti, ad *pompam* modo fuit, et in *pompa:* Duc in *palæstram,* aliter animatos sentics. Faciat, quod Francorum Regi fecit Gregorius XIV.[h], statim quam *exhibuit obedientiam* Dux *Nivernensis,* (credo) modificabit nonnihil: nec, tum, sivit deponi Regem suum (non obstante bruto ejus fulmine,) nec jam (scio) sineret, deeritque (credo) officio in *Papam,* ne desit in *Regem.* Faciat, quod Hispaniarum Regi hujus Patri facturus fuerat Sixtus V., nec dubito, quin eadem *Illustrissimo Duci Feriæ* mens futura sit. Eo si loco semel res sint, *osculi* illius tam suavis sandalii inaurati obliviscentur illico. Quod fecit Bonifacio VIII. Francorum Rex[i], quod Clementi VII. Hispaniarum idem, simili casu, vel huic facturi sunt. Ad urbem advenient, cum comitatu longe magis splendente, utpote armato: Scribent in eum, si non *Orationes,* at *Epistolas* non minus elegantes: qualem legas Caroli tum[k], ad Clementem Papam, atque in ea, (quod te dabit ad ruborem) objectum Clementi a Carolo, *transmissum* ab eo *nuncium ad Marchionem Piscariæ,* Caroli tum subditum, et Neapolis proregem, *offerentem sub Apostolici Brevis credentia, Regni Neapolitani investituram et possessionem,* si a Principe suo ad Pontificis partes descisceret. Cumque conscientia teneri se Marchio fingeret, ne id faceret, quod *sine incursione criminis læsæ Majestatis* fieri non posset: per-

[h] [Vide Thuan. Hist. lib. ci. capp. 14. 16. 18. tom. v. pp. 66. 68. 70.]

[i] [Vide Plat. Vit. Bonif. VIII. p. 248.]

[k] ["Qualia autem fuerint ea, quæ Marchio Pischariæ in nostri status detrimentum jactare et tractare dicebatur . . . comprobanda res erit per ipsius Marchionis literas, quæ penes nos servantur . . . Quibus satis aperte detegitur ipsum Pischariæ Marchionem non ita proprii honoris ac conscientiæ immemorem fuisse quod quicquam in status nostri detrimentum moliri cuperet . . . Marchio ipse ad eam tragœdiam vocatus, simulata fide in eam conspirationem cum cæteris illius auctoribus convenit . . . cum in his Vestræ Sanctitatis principalis esset auctoritas, audivissetque Marchio nuncium ad id per Vestram Sanctitatem transmissum, eidem sui parte, ut ait, offerentem sub cujusdam Apostolici Brevi credentia Regni nostri Neapolitani investituram, et possessionem, si is in ejusdem Sanctitatis atque fœderatorum cum copiis nostri exercitus, eidem Marchioni magis affectis, transiret atque transfugeret . . . Finxit Marchio se contentum his annuere, si id cum honore, sine incursu læsæ majestatis exequi liceret . . . Ad hanc fictionem magis colorandam habuit ex urbe consilium peritorum, quo eidem Marchioni persuadebatur, eundem licite posse, ac sine honoris seu fidelitatis præstitæ læsione, seu præjudicio, sineque crimine læsæ majestatis in partes Vestræ Sanctitatis tanquam supremi domini illius terræ transire."] —Apol. pro Carolo Quinto. [Car. V. Rescript. ad Clem. VII. Criminationes, sect. 20. apud Gold. Const. Imp., tom. i. p. 486.]

suasum ei fuisse, *id eum licite ac sine honoris seu fidelitatis præstitæ læsione seu præjudicio exequi potuisse.* At, non *præstitit* tamen *obedientiam* Marchio, nec *Dux Feriæ* (scio) in simili *præstiturus. Pompatica* hæc vestra, *volatica* tunc erunt. Noluerunt enim unquam ulli, noluerunt huic jam, ita vel *jurare* vel *præstare* Pontifici *obedientiam,* ut *Regibus* suis, vel *fides* inde, vel *obedientia* periclitetur.

Ne tu igitur hic nimium te oblectes, neque nobis *obedientiæ professionem* obtendas, nisi et illud, quatenus ea se porrigat, una dixeris. *Est* enim *aliquo prodire tenus, sed non datur ultra*[1]. Si quando enim *Pontifici* bilem moverint, et is Reges solio dejicere, subditos eorum ab eis deficere voluerit: non sunt professi se, eo casu, *obedientes* fore. At is casus noster est: quem nec *professi* sunt, nec, si *professi, præstarent,* scio: quin tanquam injustæ *professioni* iterum post renunciarent. Exemplo hoc, præierunt sæpe populis suis, 69
populique sui, præeuntes eos, secuti sæpe sunt, etiam cum idem inciderit, denuo secuturi.

Quid habet commune causa Regis Anglorum cum cæteris, cum ipse hoc imprimis contendat, ut populos suos ab obedientia Summi Pontificis avertat, =

Habet ergo *commune* saltem *hoc, causa Regis cum cæteris,* [Hæc ergo causa regum omnium.]
quod ut ille non, ita nec illi a Pontifice, vel Regnis suis, vel subditorum fide privari debeant, ne velint quidem; ac hoc, quantumvis *frustra laboret* Cardinalis, *commune* semper habitura est. Semel et simul excutiant jugum ejus si volunt, quod fecit Rex: alioquin, quantumvis ad tempus ferant, ubi jugum suum eo usque aggravabit; tum demum, refractarios sentiet, saltem tum singuli, alter post alterum illud excussuri sunt. Osculo forte, vel titulo non abstinebunt: vim tamen Imperii mordicus et jura sua retinebunt, atque illud jus eripi sibi a Pontifice haud unquam impune patientur. *Communis ea Regum causa est,* etiam qui ab Ecclesia separantur: *Commune fidelitatis debitum* a subditis suis.

= atque eo modo a Christi corpore, quod est Ecclesia, separet, =

Neque tamen, a Pontificis hac falsi *nominis obedientia* aver- [Subditos suos a Pontifice, non ab Ecclesia Rex studet avertere.]
tere quenquam, id demum est, *a Christi corpore, quod est Ecclesia, separare,* nec *ab Ecclesia, quæ Christi corpus est,* haud quenquam Rex *separat.* Obsoleta jam hæc calumnia

[1] ["Est quadam prodire tenus."—Horat. Ep. i. 1. 32.]

est. Jamdudum mundus didicit distinguere inter duo hæc: *A Curiæ Romanæ fastu avertere*: et, *Ab Ecclesia Christi separare*. Et illud quoque didicit, nihil pensi esse Pontifici, quam ille multos *ab Ecclesia separet*, (non si Græciam, non si Orientem totum,) dum fastui suo, dum pedum suorum osculis satis prospiciat. At et illis, nobisque adeo, *osculari filium*[m] dabitur, spero, ut *pedes ei* nunquam nostrum quis *osculetur*.

= ac secum in inferna demergat!—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 24. [Op., tom. vii. col. 718. B.]

Merguntur autem *in Infernum*, nulli citius, etiam *in inferni profundum*, quam, qui imitantur illum, qui *similis esse voluit Altissimo*[n], ad quem nonnihil accedit is, qui *pedes* suos Regibus præbet *osculandos*, Regum cervices *pedibus calcat*[o], ludit coronis *Cæsarum*, *pede* induit, *pede* decutit[p]: et *extollitur super omne, quod dicitur Deus*[q].

Vera est enim sententia illa M. Leonis in Epistola ad Episcopos Provinciæ Viennensis. 'Quisquis huic Sedi Principatum existimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiæ, semetipsum in infernum demergit.'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 24. [Op., tom. vii. col. 718. B.]

Nam Leonis[r] hic *sententia*, loco non suo est, et a qua bene poterat abstinere Cardinalis. Leonis (credo) *pedibus Legatus Cæsaris* non fixit *osculum*, nec *juravit* ei *obedientiam* ullam. Non adeo Leoni illustris fuit *Principatus*, ut qui non Synodum ipse cogere, non ut intra Italiam cogi, non ut ad tempus differri[s], posset impetrare, qui ipse *provolutus ad pedes*
70 *Cæsaris*[t], non Cæsar ad illius. Ut *Leonis* catuli, *Magno* ipso *Leone* longe *majores*. Dixi, loco suo non esse Leonis sententiam, et est tamen loco suo, (sensu alio,) nec alia verior de Sede prophetia. Sedes enim illa, postquam *inflata est spiritu superbiæ*, nemo illi magis, quam ipsa sibi, nec ullo modo magis, quam isto, dignitatem sibi minuit: quo ipso *superbiæ spiritu mergenda erit usque in Infernum*, si ita pergat ad cœlum usque seipsam attollere. Verus autem Sedis primatus,

[m] [Ps. ii. 12.]
[n] [Es. xiv. 14.]
[o] [De Friderico I. ab Alex. III. calcato, vide Bardi Vittoria Navale, Venet. 1584, et auctores ab eo citatos.]
[p] [De Coronatione Henrici VI. a Cœlestin. III. vide Baron. Ann. Eccl. ad ann. 1191. Num. x. tom. xii. col. 841.]
[q] [2 Thess. ii. 4.]
[r] [S. Leon. Ep. x. (ad Episc. Vienn.) cap. 2. Op., tom. i. col. 635.]
[s] [S. Leon. Ep. xliii. (ad Theodosium) Op., tom. i. coll. 901—906;—Ep. xlv. (ad Pulcheriam) capp. 2, 3. ibid. coll. 921—924;—Ep. liv. (ad Theodos.) ibid. coll. 955—958.—Ep. lix. (ad Pulch.) cap. v. ibid. col. 981.—Ep. xc. (ad Marcian.) ibid. coll. 1063-1065.]
[t] [Vide Brev. Liberati, cap. xii.—Conc. tom. v. col. 759. C. D.]

potius in Petri humilitate talia respuentis, quam in *fumoso* successorum *typho*[u], fieri hæc sibi, *tota spectante Roma*, ita cupide ambientium, ita gloriose triumphantium, ita ambitiose prædicantium.

Quæ cum ita sint, poterat Rex ab illis verbis abstinere, quæ in injuriam omnium Catholicorum Principum protulit: 'Expergiscimini igitur, etc.' Quasi unus Rex Anglorum vigilet, unus sapiat; cæteri dormiant et desipiant universi:=—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 24. [Op., tom. vii. col. 718. B. C.]

Poterat autem Cardinalis, *a verbo* Regis *illo* manum *abstinere*, nec ita ad calumniam trahere, quo monuit *expergisci* Reges: sine tamen cujusquam injuria. Nec enim ideo *desipiunt* statim, qui de uno aliquo in rem suam monendi sunt. Neque vero ita necesse est ibi dictum accipi, quasi reliqui *dormiant: Expergiscere*[x], vel Deo dicitur, qui nec *dormit* tamen, nec *dormitat*[y], sed quia, quantumvis advertat, cesset tamen ab opere, (atque in eo *dormientis* instar est.) *Expergiscere*, vel *Deo* dicitur. Quod vel *Deo* dici potuit, idem illud dixisse *Regibus*, cur turpe sit? Qui dixit olim, *Et nunc Reges intelligite*[z], non id ita dixit, quasi, præter eum, cæteri *Bruta animalia* essent universi: *unum* modo Propheta ibi intelligere Reges voluit, de Christo, scilicet, non negligendo: *unum* modo hic monere voluit Rex, de jure Regio non negligendo: præterquam, quod ad hoc lenti sint, cætera vigiles satis scit et perspicaces. Nihil autem eis decedit de sapientiæ opinione, nihil de vigilantiæ, si ad alia tam multa oculati, ad unum aliquod minus forte quam par est attenti sint. [Reges debent expergisci.]

Nec enim Reges privilegio gaudent *Pontificis*, ut humani aliquid pati, ut errare, nulla in re possint, neque quicquam usquam omittere, de quo commode monendi sint: præsertim, si æqualis id eorum faciat; magis adhuc, si mutuas vices non defugiat, sed quam monere illos, hac in re, tam ab illis moneri in alia, paratus sit. Nec, unus tamen, hac in re, *sapit* Rex noster. Est Deo gratia, sunt et Reges alii, qui et ipsi idem cum illo sapiunt, et Pontificis in Regnis suis jugum excusserunt.

Tum, si *satis experrecti* etiam, (ut Cardinalis autumat) 71
Reges reliqui, (utinam autem sint) ne sic quidem injuria eis fit: non magis quam *Sacrorum Regi*, cui Vestalis, *Vigilasne*

[u] ["Ne fumosum typhum sæculi in Ecclesiam Christi . . . videamur inducere." — Epist. Conc. Afric. ad Cœlestin. I., apud Conc. Afric. — Conc. tom. ii. col. 1676. A.]

[x] Ps. xliv. 23.; lxxviii. 65.

[y] [Ps. cxx. (Vulg.) 4.]

[z] [Ps. ii. 11.]

Rex? Vigila[a]. Monendo enim laudat, qui ut faciant monet, quod jam faciunt. An et eum monitionis usum, atque adeo laudem, docendus est Cardinalis?

= neque possint Reges auctoritatis suæ nervos integros servare, nisi auctoritatis Pontificiæ nervos ipsi præcidant.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 24. [Op., tom. vii. col. 718. C.]

[Quidquid concedunt, Pontifici accrescit.] *Præcidi* autem, non *nervos*, sed *strumas* potius, quibus luxuriatur interdum potestas Pontificia, incommodi nihil est. Idem hoc Reges sæpe factitarunt Pragmaticis suis[b]. Ni fecissent, *subnervata* jamdiu esset auctoritas eorum Regia. Si porro etiam fecerint, plus adhuc *nervorum* habitura. Quod enim decedit illis, accrescit Pontifici: qui quasi lien jamdudum est rei totius Christianæ.

Expergiscatur potius Rex Anglorum, et verbum Domini diligenter expendat. 'Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo[c].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 24. [Op., tom. vii. col. 718. C.]

[Rex ipse satis expertectus.] Nam, quod *expergisci* vis *Regem*, (nec ab ea, quam culpas ipse vocem, abstines) vide, quam *Rex* vocem hanc non invitus ferat, præsertim cum *verbum Domini* etiam nomines. Ad tubam illam, quis non *evigilet?* quis non arrectis auribus sit? Quod vero verbum? *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari. Expergiscatur vero potius hic Cardinalis*, quidni autem et *Pontifex?* Hoc enim agitur hic, hinc ex jure manu consertum[d] vocatur, quod *Cæsari, quæ Cæsaris*, sustulerit, sublata non *reddat* jam, nolit etiam *reddere*: quin (quod caput injuriæ est) defendat non *reddenda*, tollere ea potuisse se, posse etiam jam, cum volet, quoties volet, atque apud se detinere, ad se enim ea, non ad Cæsarem pertinere. Audiat *Quæ Cæsaris Cæsari?* Πολον σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων[e], quale hic verbum excidit Cardinali? quam non tempestivum? quasi, qui alios *experrectos* vult, *bonus* ipse *Homerus*, in media monitione sua *dormitet*[f]. Non enim (opinor,) quod ibi sequitur, *Et quæ Dei Deo*, id ita glossabit Pontifex, *Quæ Dei*, id est, *quæ Caiphæ* tum, vel *Papæ* jam; ne ita se *Deum* faciat, ne sic impingat in Magnum Leonem, et *inflatus spiritu superbiæ, semetipsum in inferna demergat*[g]. Qui verbum Servatoris

[a] [Vide Servium in Virg. Æn. x. 228.]
[b] [Vide Pragm. Sanction. Ludov. IX., (apud Conc. tom. xi. coll. 907, 908.) et Caroli VII., in Conc. Bituric. —Ibid., tom. xii. col. 1429. seq.]
[c] [Matt. xxii. 21.]
[d] [Ennius apud Aul. Gell. Noct. Att. lib. xx. cap. 10.]
[e] [Hom. Il. ix. 409.]
[f] [Vide Horat. Epist. ad Pis. lin. 359.]
[g] [Vide supra, p. 90.]

illud expendet, intellectum suspendet saltem, ne de Papa id unquam intelligat. Nihil enim ibi interrogatus est Servator de *Pontificis auctoritate,* sed de *Censu Cæsaris; Verbum* ergo illud *Domini,* sed quod, *Regiæ* quidem aliquos, *auctoritati* vero *Papali nervos* nullos adjiciat.

Audiat et Apostolum Christi, qui quemadmodum ad Rom. xiii. admonet populos, ut subjecti sint et obediant temporalibus potestatibus, = 72

Apostolus vero *utrumque* habet, quod et *utrumque* Rex audit: Cardinalem quoque lætus audit, dum *recognoscit* ipse se, et *Apostolum ibi* jam *loqui* dicit, *de temporalibus potestatibus:* quibus ergo, *omnis anima subdita esse* debet. Et est aliqua *Pontificis anima,* inter *omnes* illas: quæ proin se, si *Apostolum* modo audiat, *potestatibus* illis *subjectam* fateatur.

= ita eosdem monet ad Heb. xiii., ut obediant spiritualibus præpositis et subjaceant eis, qui pervigilant, quasi rationem pro animabus ipsorum reddituri.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 24. [Op., tom. vii. col. 718. C. D.]

Audit nihilominus et alterum, et ex parte Pontificis dolens audit, *Obedite Præpositis.* Pluralis enim ibi numerus: *plures,* quibus *obediendum,* non *unus* aliquis, *præpositus* reliquis omnibus Pontifex Maximus; ut par erat, si de Papa Paulo ibi sollicitus fuit Paulus Apostolus. Plures enim *Papas* (puto) non feret. Habet vero Rex *Præpositos* spirituales, agnoscit eos, et quasi *pro anima ipsius rationem reddituros,* non invitus πείθεται, oratione flectitur, consilio paret. At illud tuum, Et *subjacete illis,* male ominata vox, quasi si jaceret Fridericus sub Alexandro Tertio [h]: nescit vero unde in textum irrepserit, ὑπείκειν enim *subjacere* non est: vos fecistis ut esset, non credo, ut *Cæsari, quæ Cæsaris sunt, redderetis,* sed quod ita misere cupitis, *subjacere* etiam *pedibus Papæ Cæsares* ipsos. Merito ergo, (præter vestrum,) Interpretes omnes id verbum expunxerunt, nos quoque expungimus: Et πείθεσθαι volunt *Principes,* etiam ὑπείκειν *Præpositis,* id est, nimirum *persuaderi sibi ab illis ratione:* sin ea non usque suppetat, saltem *auctoritati* cedere: non *prosternere se* tamen: et, vel *imminere* sibi ita Pontificem, vel ipsi, sic Pontifici *subjacere.*

[h] [Vide supra, Not. [o], p. 90.]

De Comparatione Regis, et Pontificis.

[Rex nulla ex parte Pontifice inferior,] *Subjacere* suum, urget etiam, *subjacere* vult Reges Pontifici: nec, Pontificis cum pace, dici sustinet, *Regem se ulla ex parte inferiorem non credere*[a], non vel eo nomine, quod ad Reges non minus spectet, *Edicta* potius quam *libros* scribere, quam ad Pontificem. *Jacta est alea,* Reges *subjacere* oportet *omnes,* et Episcopo Romano *inferiores* esse. Puto autem, in hac causa Regi nostro *peculiare* nihil: *communem in eo causam agi Cæsaris, et Regum omnium,* an æquali Majestate componi possint cum *Pontifice* jam, post cum *Cardinale;* tandem etiam cum *Presbyterorum* seu *Diaconorum novissimis.*

Censores Apologiæ non dixerunt, Non esse Pontificis libros scribere, aut de rebus Theologicis disputare: Scimus enim Pontifices aliquos magna cum laude libros doctissimos edidisse; [sed Paulum V. Pontificem, cum Brevia illa ad Anglos misit, non librum, sed Epistolam hortatoriam misisse, quæ vicem edicti gereret. Addiderunt etiam, imprudentem fore principem, qui iniquam actionem prohibere se non posse crederet, nisi librum integrum, more philosophorum, conscriberet[b].—Bell. Apol. pro Resp.] p. 25. [Op., tom. vii. col. 719. A.]

[ne quidem in libris scribendis.] Ut vero, ne pereat Pontifici laus ulla, (ne in *libris* quidem *magna cum laude* scribendis) sed, ut primas teneat in omnibus; Summus Monarcha, Summus Hierarcha, Disputator etiam egregius, et *librorum Scriptor;* nec in *Theologicis* modo, sed (quod mireris) etiam in *Philosophicis;* (et, quod Canonistæ dicunt, saltem *auctoritate Doctor* sit, si non *scientia*[c]:) de eo monitos nos vult, *Libros doctissimos a quibusdam magna cum laude conscriptos.* Quorsum hæc? Credo equidem, ut *libro* locum faceret, quem habet jam sub incude Pontifex, in quo, *rationes* et *argumenta* depromet, quæ in *Vic' edicto* suo

[a] Præfat. Monit. p. 4. [p. 5.]

[b] [Vide Resp. Torti, p. 25.; et Bell. Op., tom. vii. col. 648. C. D.]

[c] ["Nota hic, quod Papa est doctor utriusque juris eo ipso quod est Papa; et non est dubium, quod est doctor auctoritate sed non scientia, quia multi sunt qui jus civile ignorant."—Bald. Ubald. Perus. super Decretal. lib. ii. Tit. 'De Confessis.' cap. i. 'Cum monasterium.' Num. 6. fol. 196. col. 2. Venet. 1595.]

complexus non est. *Principum* tum *more, Breve* scripsit: *Philosophorum more* jam, *librum* forte scripturus: magnam ab orbe toto initurus gratiam, si *actionem* ibi *iniquam* subtili disputatione doceat, quam ita strictim in *Brevi* damnavit. Nec enim id nos habuit male, quod *Vic' edictum* suum *Vic' edicti more* scripserit: sed quod *libro* vel *scripto* aliquo *iniquam actionem* non *probarit*, quam, *Principum more*, tanquam *iniquam, Brevi prohibere* visum est.

Iniquum autem petit, si id petit, ut qua auctoritate utitur Princeps in Subditorum suorum, eadem Papæ uti liceat in Principum actiones: eodem per omnia stylo, eadem *Edicti* brevitate. Faciunt tamen eousque hæc ad rem, ut cum Reges *Edicta* scribant, Papæ *Epistolas hortatorias*, quæ *vicem Edicti* gerant: hac saltem ex parte, Papis *inferiores* non sint: cui rei a Rege æqualitas hæc adducta est. Tam Regi *librum* non scribere, *Edictum* scribere licet, quam Papæ: nec ad hanc quidem rem, *Pontifice se ulla ex parte inferiorem credere.* 74

Certe enim, si ad ovile Christi se pertinere credit, non potest se non inferiorem illo indicare, cui dictum est a Domino, 'Pasce oves meas:' nisi forte oves Pastore inferiores esse negare voluerit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 26. [Op., tom. vii. col. 719. B.]

Pontifici suo ut *par* sit Rex ullus, non fert Cardinalis: *humero impingit, cornu ventilat*, ut cedant omnes de via. *Ovis* enim *Pastore inferior*. Rex autem *ovis*. Ovis certe, verum non Petri tamen, sed Christi: quem *Pastorem* suum, quo se *inferiorem* agnoscit. Nec, si Petro id dictum, *Pasce*, Petri se tamen *ovem* agnoscet. Nec enim Petro dictum, *Pasce oves tuas*, sed *Pasce oves meas*. Ovis ergo, sed Christi: et *Pastorem* habet, sed Christum, quem agnoscit, cui se *submittit* lubens. [Rex ovis Christi, non Papæ.]

Verum, etsi *Ovis* Christi, a Petro tamen, vel (quod perinde est) Petri *successore* pascendus. Non sane opus est, ab alterutro, si, quod Petro *ibi dictum, dictum omnibus* [d], si, *Et ille nobiscum, et nos cum illo, oves illas pascendas suscepimus* [e]: si quam hæc ad Petrum, tam ad Augustinum et Ambrosium: certe nihilo magis ad Episcopum Romanum, quam vel Hipponensem in Africa, vel Mediolanensem in ipsa Italia.

[d] [S.] August. de Agon. Chr. cap. 30. [Op., tom. vi. col. 439. C. Vide supra, p. 20. Not. [m].]

[e] [Pseud.] Ambros. de Sacer. Dignit. cap. 20. [leg. 2. Vide supra, p. 20. Not. [n].]

Sed neque, si de Petro convenit, cui dictum est a Domino, *Pasce oves meas:* de *Pontifice,* quod is in eo dicto factove Petri *successor* sit, statim conveniet. *Ad ovile Christi pertinere se Rex credit,* sed *credit Ovile Christi,* (ut male jam in religione sentit Pontifex,) nihil ad eum *pertinere.* Tum, si Orthodoxus esset, non ad *Illum* magis, quam *alios pertinere crederet.* Successorem Petri ullum, vel in *Apostolatu,* vel in *Apostolica potestate* non *credit,* Romanum Episcopum neutro modo successorem. Neque tamen de *Cathedra* litem movebit, quin de *Doctrinæ* successione. Non enim ad Petri, ad alia jam pascua, abduci *oves* Christi a Romano Episcopo, et quidem nociva: ad alias aquas, et quidem turbidas: ut, si Petro se pascendum, at *Opilionibus* hisce (qui se *successores* ejus dici volunt) tuto se non audeat committere: Velit esse Petri: nolit esse, neget esse se, vel Clementis VIII. vel Pauli V. Et juste quidem neget: Clementis, qui nondum Angliæ, et Hiberniæ Regem, Regno privare voluit[f]: Pauli, qui Regem jam subditorum fide. Regnum ille, hic populi obedientiam depascere voluit: ut, si *Pastorum* se *Ovem* agnoscat, at *De-*
75 *pastorum* neget. Vel unum hoc argumento sat erit: non aliter *succedere* Petro istos, quam morbum sanitati. Ab exemplo primum, quod Ille Centurionem sibi noluit, hi jubeant Cæsarem sibi *subjacere.* A præcepto etiam, quod Ille Regi *Gentem sanctam*[g] *subjectam* esse jubet, ὡς ὑπερέχοντι, *tanquam præcellenti*[h]: hi *Gentem sanctam* suam, (*presbyteros* nimirum et *Diaconos,* omnes,) *supereminere* Regi, tanquam *infra* se posito.

Ille vero, et *pertinere se credit ad ovile* Christi, et ab aliquo, qui Christi loco sibi sit, pascendum. At nullum a Pontifice pabulum, nullam pastionem, aut habuisse unquam, aut porro, ut habeat (quo sunt hodie Pontifices ingenio) seu petere, seu expectare. *Pastorem* non esse eum, certe non suum: esse *Alienum,* cujus *vocem non agnoscit*[i], utpote a Christi, a Petri voce, alienam longe atque dissonam.

Tum si se pascendum præberet Pontifici: et, qui se præbent pascendos, non *inferiores* illo tamen: non magis, quam *Gubernatore,* si navigare: quam *viæ Duce,* si iter ignotum

[f] [Vide Action. in Garnetum pp. 73, 74.]
[g] [1 Pet. ii. 9.]
[h] [Ibid. 13.]
[i] [Joan. x. 5.]

carpere: quorum utrisque parent Reges, (ubi ita res feret) nec tantisper tamen dum parent, *inferiores* habendi sunt: Nihilo vero magis, Christianus Rex ullus, Pontifice (vel si *Pastor* esset) esset *inferior;* quam Reges olim Israelis, qui, etsi sacra omnia perciperent a Sacerdote summo, erant ex eo tamen Sacerdote nihilo *inferiores.*

Postremo, (supra monui) Reges ipsi *pastores* sunt, et ποιμένες λαῶν [k], apud *Gentes, Judæos, Christianos.* Quare, si *pascuntur,* etiam *pascunt.* Certe, Gregem Pastoris vestri *Fur intret et mactet* [l], *Lupus veniat, et dispergat* [m], nec *oves* modo, sed *Pastorem* ipsum: (Gotthi, nisi Justinianus, Longobardi, nisi Carolus,) nisi *Pastores* isti, strenue se opponerent. Vel sic ergo, in æquilibrio nobis res, ut *pares* saltem sint. Pontifices enim ipsi, *oviculæ,* ubi *Cæsar* ac *Reges Pastores:* atque, ea parte, *non potest se non inferiorem illis judicare* Pontifex qui *gladium portant* [n]: nisi forte *oves Pastore inferiores esse negare voluerit.* [Reges sunt Pastores.]

Uter vero *superior,* Rex, an Pontifex, qui funem hunc velit ducere, discat e sacris literis, ubi sic Pontifex Regem affatur. *Præsto sum* Domine. *Absit hoc a me, ut suspicetur Rex adversus* servum suum *rem hujusmodi. Non enim scivit* servus tuus *quicquam super hoc negotio* [o]. Ne vero causetur quis, ab Achimelecho dicta hæc, parum cordato Pontifice, et ad Saulem Tyrannum: audiat eosdem terminos a Davide ipso, Zadokum Pontificem, et Nathan Prophetam, ita compellante, *Tollite vobiscum* servos Domini *vestri* [p]. Certe enim, si Regem *Dominum* Pontifex appellet, se *servum:* si Rex ipse se *Pontificis Dominum: non potest se Pontifex non inferiorem illo judicare, quem Dominum agnoscit, nisi forte servum Domino inferiorem esse negaverit.* Discat vel ab Apostolo ipso, qui, quem *honorem tribui Regi* vult, vult *tanquam ὑπερέχοντι* [q], adeoque, quasi ipsius *præcellentiæ* nomine. Discat e Patribus: a Tertulliano, *Cæsarem a Deo primum, post Deum secundum, solo Deo minorem* [r]. Non ergo Zephyrino etiam *Papa minorem.* Ab Optato, *Super Imperatorem non esse, nisi Deum qui fecit* [Rex Pontifice superior.] 76

[k] [Hom. Il. ii. 85.]
[l] [Joan. x. 10.]
[m] [Joan x. 12.
[n] [Rom. xiii. 4.]
[o] 1 Sam. [al. 1 Reg.] xxii. 12, 15.
[p] 1 [al. 3.] Reg. i. 33.
[q] [1 Pet. ii. 13.]
[r] ["Colimus ergo et Imperatorem sic, quomodo et nobis licet, et ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum, et quicquid est a Deo consecutum, et solo Deo minorem"—Tert.] ad Scap. [cap. ii. Op., p. 69. C.]

Imperatorem[s]: non ergo Papam Liberium, qui *non fecit Imperatorem*. A Chrysostomo, *Omnium, quantum erat in terra hominum, Caput verticemque Theodosium*[t]. Discat vel a compatre suo Jesuita. *In veteri Testamento sub Lege Naturæ, vel Mosis, Summi Sacerdotes Regibus subdebantur*[u].

Neque ad rem facit, . . . quod a nobis hæreticus censeatur, Julianoque Apostatæ sequetur, extra caulam . . . Pontificis; proinde eodem jure cum Ethnicis Principibus censendus, in quos nihil posse Pontificem fatemur. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 26. [Op., tom. vii. col. 719. B. C.]

[Rex Jacobus non hæreticus.] Neque vero sine *calumniæ* crimine est, quod dicit post Cardinalis, uti hac exceptione Regem, quod vel *censeatur hæreticus a vobis, vel ad Apostatam conferatur*. Non utitur: qui et Orthodoxus est; nec mutavit unquam: uti tamen posset, cui ita animus esset. Christum audimus? Christo ulterius Censuræ se vis non porrigit: quam ut sit, quicunque tandem *Ecclesiam non audit*, (sive Hæreticus sive Apostata) *tibi sicut Ethnicus*[x]. *Sit tibi sicut Ethnicus:* Vox hæc *ad rem facit.*

Sunt quidem Hæretici extra caulam de facto, et in favorabilibus, ut Jurisconsulti loquuntur, sed de jure, et in pœnalibus ad eam pertinent.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 26. [Op., tom. vii. col. 719. C.]

Quid Cardinalis? Glossam apponit de suo. Sit tibi Ethnicus *de facto: de jure ne sit:* sit *in favorabilibus* Ethnicus, ne sit *in pœnalibus*. Quæ quidem et *de facto*, et *de jure*, viperea glossa est. *Sit*, enim, exponit per, *ne sit*, (id est) *Statuimus*, per *Abrogamus*[y]: facit, ut sermo Christi sit, *est* et *non*[z]. Qui *de jure* non est, certe *de facto* ne sit *extra caulam*[a]. Nam, ut *facto* excludas eum, qui *de jure* exclusus non sit, fieri cuiquam non potest absque injuria.

Siquidem Hæresis et Apostasia . . . non privat Pontificem auctoritate, quam in eos habet.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 26. [Op., tom. vii. col. 719. C.]

[Exemptus tamen a Pontificia potestate.] *Non privat* (ais) *Hæresis, non Apostasia Pontificem auctoritate, quam in eos habet.* Non sane *quam habet:* nec enim

[s] [S. Opt.] Lib. iii. [cap. 3.] cont. Parmen. [De Schismate Donatist. Op., p. 56.]

[t] [*οὐ γάρ ἐστιν ὁ ὑβρισθεὶς δμότιμόν τινα ἔχων ἐπὶ τῆς γῆς· βασιλεὺς γὰρ κορυφὴ καὶ κεφαλὴ τῶν ἐπὶ τῆς γῆς ἐστιν ἁπάντων* (marg. *ἀνθρώπων*). —S. Chrys.] Hom. ii. ad pop. Ant. [Op., tom. vi. p. 463. lin. 40.]

[u] Salm[eron.] lxiii. Tract. de Pot. Ecc. et Sæc. [Op., tom. xii. p. 428. col. 1. vide supra, p. 32.]

[x] [Matt. xviii. 17.]

[y] [Cf. Gloss. ad Decret. Par. i. Dist. lxxvi. cap. ii. 'Constituimus.'—Corp. Jur. Can. tom. i. col. 364.]

[z] [2 Cor. i. 19.]

[a] [Conf. Bell. de Eccl. Milit. lib. iii. cap. 4. Op., tom. ii. p. 271. D. E.]

ullam *habet*, quam ultro jam abdicavit, cum deinceps *sicut Ethnicum* a potestate sua ablegavit. Perinde enim erat, ac si diceret, *Incidat in lupos, qui non vult regi a Pastore.* Punire autem eos aliter, quam *Censura*, non potest: nec restat ei post *censurum* pœna, quam infligat ulterius. Sed 77
neque ut redeat compellere potest, (nisi *censura*, quæ Ecclesiæ est) qui Pastor Ecclesiæ est. Potest ille alter *Pastor*, Rex, qui Vicariam sæpe operam hic præstat, et pœna civili adigit. Ecclesia vero ad *censuram* progressa, ultra quod faciat, non habet. Redeunti tamen condonare potest, et supplici. *Auditurum* enim se post spondet *Ecclesiam*, ultro se de novo subjicit. Ecclesia autem *nemini gremium claudit*[b]: neminem, qui de *Ethnico* baptizari, qui de *sicut Ethnico* absolvi vult, rejicit unquam; neque vero potest rejicere, Sponsum suum imitata. *Qui ad Me venerit, non ejiciam foras*[c].

Quanquam, quid Christus sibi velit, cum dixit, *Sit tibi sicut Ethnicus*, Paulus interpres optimus, (id est) *nihil tibi et illi sit*, nominatim autem *judiciale nihil*, nihil quoad *actum Judicandi. Quid enim mihi*, ait, *de iis quæ foris sunt judicare*[d]*? Eorum qui intus, penes nos: qui foris, penes Deum judicium est.* Potuitne magis aperte? De re judiciaria expresse loquitur. *In pœnalibus, de jure*, Ecclesiæ jus nullum, ut *de iis qui foris sunt judicet*: nihil ei plus, quam ut *auferat a se, tradat Satanæ*[e], a Domino post judicandos.

> Sequimur . . . doctrinam S. Thomæ, qui in 2. 2. q. 10. a. 10. affirmat, posse infideles Principes per sententiam Ecclesiæ privari [in certis casibus] dominio, quod habent super fideles[f].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 26. [Op., tom. vii. col. 719. C. D.]

[Principes infideles haud privandi imperio.]

At, *nos*, (inquit) *sequimur doctrinam Thomæ, qui certis in casibus* (omissis, scilicet, a Paulo,) *infideles Principes affirmat dominio privari posse, idque per sententiam Ecclesiæ.* Affirmat ergo posse *de iis, quæ foris sunt, judicare*, quod Paulus

[b] [Vide Decretal. Greg. lib. v. Tit. vii. 'De Hæreticis.' cap. xv. 'Excommunicamus,' in Gloss. ad voc. 'Deprehensi.'—Corp. Jur. Can., tom. ii. col. 1686.]

[c] Joan. vi. 37.

[d] 1 Cor. v. 12.

[e] [1 Cor. v. 5.]

[f] ["Potest tamen juste per sententiam vel ordinationem Ecclesiæ, auctoritatem Dei habentis, tale jus dominii vel prælationis tolli; quia infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei."—S.Thom. Aquin. Sum. Theol. Sec. Sec. Quæst. x. Art. x. Concl. §. 'Respondeo dicendum.']

negat. Sequatur Thomæ doctrinam qui vult, nos Pauli sequimur: cui nulla est Ecclesiæ sententia *in eos qui foris.*

Ut, (1.) si terras Christianorum vi occupaverint, (2.) vel subditos fideles a fide avertere satagant.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 26. [Op., tom. vii. col. 719. D.]

Casus autem notati a Cardinale duo sunt. 1. Prior, *si terras Christianorum vi occupaverint.* At quid opus Christianis ad hunc casum *Ecclesiæ sententia* contra Infideles, cum, absque illa, jure ipso Gentium experiri liceat? Quid opus (inquam?) Perinde enim est, Ethnicus Ethnici, an Ethnicus Christiani *terras per vim occupet:* Perinde, ex Jure Gentium remedium est, atque vindicta justa, Christiani in Ethnicum, atque Ethnici sive Infidelis unius in alterum, si in ditiones alienas impetum faciat. Nec igitur opus ullum. Quis usus autem? an enim Ecclesiam audient Infideles? Et quanti putas apud illos *Sententia Ecclesiæ?* quanti Anathema, si *Sententiæ* non pareatur? Annon et, quæ tulit, *Ecclesiam,* et, quam tulit,
78 *Sententiam,* risu simul excipient? Nec usus igitur ullus. Sed neque Jus. Non enim æquum, ut privet Dominiis *Ecclesia,* quæ non *fundavit:* ut tollat, quæ non posuit. Sed neque, ut *propter infidelitatem Dominia tollat,* quæ non *fundantur in fide*[g]: quæque alio quam Ecclesiæ jure possidentur, alia quam Ecclesiæ sententia repetuntur. Alterius ergo juris hæc, alia hic *sententia opus* est: *Ecclesiasticæ* nec *opus,* nec *usus,* neque vero (ad hoc) *jus* ullum. 2. Posterior, *Si subditos fideles a fide avertere satagant. Sategit* autem Nero id facere, persecutione nimirum gravi *avertere subditos fideles a fide;* idque, vivente et vidente Petro, et *tota Roma spectante.* Nec Petri tamen sententia ulla exstat in Extravagantibus, qua Nero Imperator *dominio privatus est, quod habuit super Romanos fideles.* Nec id Petrus molitus unquam. Satis enim durum ei visum, ut *pascere,* de quo mandatum habuit, *privare dominio* significaret. Nec Petrus, nec, qui eum per trecentos annos secuti sunt, tot Urbis Episcopi, qui Domitianum, Trajanum, Decium, Diocletianum, *satagentes* eodem modo, *ut a fide averterent subditos fideles, dominio* tamen privarunt. *Doctrina* illa *Thomæ;* hæc praxis *Hildebrandi* prima fuit[h]: *Sequatur Thomæ doctrinam, Hildebrandi* praxin,

[g] [Bell. de Rom. Pont. lib. v. cap. 2. Op., tom. i. p. 231. G.]

[h] [Vide Gotf. Viterb. Chron. Par. xvii. p. 499., apud Pistor. Rer. Germ.

qui vult: nos *doctrinam Pauli,* praxin *Petri* sequimur: cumque iis *doctrinam* atque *praxin* totius Ecclesiæ Primitivæ.

Adde, quod cum Summus Pontifex multa maximaque Regna, atque adeo totum Christianum orbem, et ipsos etiam Reges et Principes, ut filios pater, [atque ut oves Pastor] gubernet et regat: mirum est, quod is qui in angulo Septentrionis duas insulas subjectas habet, ita de se præsumat, ut dicat, 'Nulla ex parte me Pontifice inferiorem esse credo.'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 26. [Op., tom. vii. col. 719. D.]

[De potestate Pontificis jactantia Bellarmini,]

Nec arbusta jam juvant Cardinalem, paulo majora canit[i]. Addit enim Cothurno grandiore. *Cum Summus Pontifex ipsos etiam Reges regat, et regna multa, et maxima, atque adeo totum Christianum orbem, mirum est, quod is, qui in angulo Septentrionis duas insulas subjectas habet, ita de se præsumat, ut dicat, Nulla ex parte me Pontifice inferiorem credo.* Quid ergo dicendum illi? Ego, *qui insulas habeo subjectas non nisi duas, idque in angulo modo Septentrionis, longe me inferiorem credo, Paulo Quinto, qui Reges ipsos regit, et Regna multa, maxima, atque adeo totum orbem Christianum.* Optime: Stylo et spiritu plane *Apostolico,* ut *Petri Sucessorem* possis agnoscere, ita *Petrum* ad vivum refert. *Petrum* autem! an illum? *Hic ego illum contempsi præ me*[k]. Mirum *quod is, qui in angulo, ita de se præsumat ut dicat?* Imo mirum quod is, qui erepsit nuper e veste fibulata, ita de se præsumat, ut scribat hæc, tam contemptus et contumeliæ plena de Rege, de Regnis potentissimis. *Mirum,* si Reges hoc reliqui non recondant animis, quibus eadem vox audienda, *de angulo,* de *præsumptione,* nisi loco stent atque ordine suo, *infra* Pontificem. 79

At, ampullæ tamen sunt hæ, quas hic projicit, de *regnis multis, maximis. Maxima* enim Regna quæ narrat, *multa* non sunt; sed et *multa* illa quæ sunt, Reges habent non *multos:* In iis etiam, quæ ita non *multa,* pars *multa* neque *Filios* se, neque *Oves,* hunc neque *Patrem,* neque *Pastorem* vocant. *Totum* vero *orbem Christianum?* ut nihil pudet! Novem vidisse se memorat *Christianorum* sectas *Hierosolymis* Bellonius[l]: de novem illis, octo *Neptuni nepotem* hunc vel nesciunt,

Script. tom. ii. p. 341; Sigeb. Gemb. Chronogr. ad an. 1088; ibid. tom. i. p. 847; et Otton. Frising. Chron. Lib. vi. cap. 35. ad an. 1088. p 127. Basil. 1569.]

[i] [Virg. Ecl. iv. 1, 2.]

[k] [Terent. Eun. II. 2, 8.]

[l] ["Hinc fit, ut duodecim varia et inter se differentia Christianæ religionis idiomata numerentur; verum tamen octona duntaxat comperimus." —Bellon. Observat.] lib. ii. cap. 85. [p. 142. Rapheling. 1605.]

vel non curant: Nona, vix agnoscit ex semisse. Quorsum vero addidit Orbem *Christianum?* Quidni et *Ethnicum? Potuit* enim *Pontifex* paulo ante, *in Ethnicos,* ex *doctrina Thomæ*[m]. Nam quod *Regem Regum* faciat, dum *Reges ipsos regere* dicit, manum (credo) ori admovent, et rident Cardinalis hæc tam gloriosula: *Regna et ipsos etiam Reges regit?* Rexit olim forte, cum *Regum miseria magnus*[n] fuit: sed et ita tum rexit, ut Oriens olim totus, ut Regna quædam Occidentis, nec minima, recesserint ab eo jam: ut *Pons* ejus *Sublicas* rariores habeat jam; ut Pontifex pauciores *Flamines,* ut *Summus* ille a *summitate* sua multum deciderit, nec per gradus multos ita *Summus* sit, præ ut olim fuit. Quæque reliqua sunt *Regna* et *Reges,* ita languida manu *regit,* et precario pene *regimine,* ut, si lis ulla inciderit cum his quos ita *regit, Sequestro* opus sit, ad pacem ei vel iniqua lege impetrandam. Mirum autem, quod Cardinalis ita fungos putet, ut scribat hæc nobis, quod *regat hic Papa Reges, et regna multa, et maxima.* Scribat in Japoniam, ubi quo loco Europæ res sint, vix quisquam scit: unde illi rescribant proximo Vere sua quoque portenta nominum, et de prolato ibi *Pontificis imperio,* ultra campos *Cuticulindonios*[o].

Nec, ita contemptim tamen habendus fuit hic *angulus Septentrionis.* Ex eo enim exiit, (Constantinum dico) cujus absque benignitate foret, *Maximus* vester Pontifex *minimus* fuisset, nec tam ibi *laute pasceret,* aut tam *molliter cubaret, in* sua *Meridie*[p]. Is autem, quem *in angulo Septentrionis insulas duas subjectas habere* dicit, cum *unius dimidium modo* sibi subjectum haberet, eadem tum fide fuit, nec *se ulla parte Pontifice inferiorem credidit.*

[m] [Vide antea p. 99.]

[n] ["Nostra miseria tu es magnus." —Apud Cicer. ad Att. ii. 10.]

[o] [Vide Lit. Soc. Jesu. Ann. in MDCII. et MDCIII., e Sinis, &c. Mogunt. 1607.]

[p] [Respicit forsan verba Donatistarum a S. August. citata; "Cum eos urgere cœperimus luce unitatis Ecclesiæ diffusæ toto orbe terrarum, et poposcerimus, ut ostendant ipsi de Scripturis aliquod testimonium, ubi Deus prædixit in Africa futuram Ecclesiam, quasi perditis cæteris gentibus, hoc solent testimonium in ore habere, et dicere; Africa in meridie est; interrogans ergo, inquiunt, Ecclesia Dominum ubi pascat, ubi cubet; respondet Ille, In *meridie;* ut quasi vox interrogantis sit, *Annuntia mihi, quem dilexit anima mea, ubi pascas, ubi cubes;* et vox quasi respondentis, *In meridie,* hoc est in Africa. Si ergo quæ interrogat, Ecclesia est, et Dominus ubi pascit respondet, in Africa, quia in Africa erat Ecclesia: quæ interrogat, non erat in Africa. *Annuntia,* inquit, *mihi, quem dilexit anima mea, ubi pascas, ubi cubes;* et respondet Ille cuidam Ecclesiæ præter Africam, *In meridie,* in Africa cubo, in Africa pasco, quasi in te non pasco." —S. Aug. Serm. CXXXVIII. § 9. Op., tom. v. coll. 974. D. 975. A.]

Quod si nulla ex parte inferior est, numeret Reges, et Respublicas, quæ obedientiam illi præstent, quemadmodum nos paulo ante numeravimus Reges et Respublicas, quæ solenni ritu Paulo V. Pontifici obedientiam præstiterunt.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 27. [Op., tom. vii. coll. 719. D. 720. A.]

Neque vero Rerumpublicarum numero *Regiam* dignitatem metitur *Rex*, (quas tamen facile ei sane creare sibi numerosas hic, quales multæ sunt per Italiam Respublicæ:) quis *par* sit, quis *inferior*, e latifundiis non censet. Habeat Regnum magis adhuc (si voles) angustum, *Rex* modo sit: eo ipso quod *Rex* est, *Pontifice jam inferior non est*: Olim quidem *superior* fuit, aut nos fallit Historia sacra. Hanc vero viam si pergat, *numeret Respublicas*, Cæsarem contemnat præ Turca, qui plures (credo) *numerat Respublicas*. Tum, Davidem quoque abjiciat, si volet, qui non tam late regnavit, quam Noster. Tum Romulum etiam suum. *Numerus* hic nullo in *numero* est. Appendit Rex, non *numerat*. Et pluris illi sunt insulæ duæ, pluris vel una, quam Picenum, Umbria, Flaminia, et manipulus ille suburbicarius[q], quem vere *subjectum* habet Pontifex. *Numerus* enim ille, quem paulo ante *numeravit* Cardinalis, vere *numerus* est, et sine pondere: qui *solenni* magis ritu quam *serio* rem agit; quique, (non obstante ea, *quam præstant, obedientia*) ubi volunt tamen, redigunt in ordinem *Regentem* suum: et *commitigant* ei *Caput*[r], cujus *osculati sunt pedes*. 80 [et de reverentia nuper Pontifici adhibita.]

Neque iste honor exhibetur Summo Pontifici a Regibus tantum Occidentis. Nam Justinus Imperator venientem ad se Joannem Papam pronus in terram adoravit, ut Anastasius Bibliothecarius testatur[s].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 27. [Op., tom. vii. col. 720. A.]

Jam, quod sequitur, multo adhuc magis ridiculum. *Neque iste honor*, inquit, *exhibetur Summo Pontifici a regibus tantum Occidentis*. Putes Magos ab *Oriente* nuper venisse, qui Pontificem adorent. Dicendum enim erat, *sed et a Regibus Orientis exhibetur ei etiam*. At ille hic, subito saltu, a nupera hac *pompa Romæ*, decem retro sæcula transcurrit (an transvolat?) et, ut *non exhiberi solum* doceat *a Regibus Occidentis*, recipit se ad *Justinum Orientis Imperatorem*, ante *annos* plus *mille*. [Qualis honor quondam Papæ habitus a Justino Imper.,]

[q] [De Ecclesiis Suburbicariis vide Bingham. Christ. Antiq. lib. i. cap. i. sect. 9.]

[r] [Terent. Eun. V. 8. 4.]

[s] ["Tunc Justinus Augustus dans honorem Deo, humiliavit se pronus in terram, et adoravit beatissimum Joannem Papam."—Anastas. Biblioth. in vita Joannis Papæ.—Conc. tom. iv. col. 1601. A.]

Illud tamen (credo), *ut exhibitum olim* ante *annos* plus *mille* honorem Pontifici suo doceret: non autem (quod instituit) ut *jam exhiberi.*

Ubi, *Bibliothecarium vestrum* parum moramur, parasitastrum ejus, (uti se multis in locis ostendit) cui *Bibliothecæ* custos erat. Nec enim id de hoc Cæsare credibile, Cum annis post centum et quinquaginta Agatho Papa, *flexo mentis poplite suppliciter* Imperatorem *deprecatur*, et *pia ejus vestigia*, tum *pusillitatem* suam memorat, ac *promptam obedientiam* ad ipsius *jussiones* et *præcepta* profitetur[t]. Cum, post annos fere trecentos, sic Adrianus Papa scribat Constantino Orientis Imperatori, *Veluti præsentes genibus advoluti, et coram vestigia pedum vestrorum volutando*[u]. Neque ad hunc Papam credibile.

81 Abstinuisset enim, vel ob hoc, quod venisset tum Legatus, alieno, non suo nomine, (missus a Theodorico Gotthorum Rege[x]) venisset autem in causa Arianorum, ut liberam eis sacra faciendi potestatem impetraret. Sed, quantum ei accrescit in Oriente, ex honore a Justino, tantum decedit ex ignominia, quam passus in Occidente: ut qui parum pro dignitate habitus sit a Theodorico tum Rege: qui eum conjectum in vincula, ibi pœdore et fame ad necem dedit[y]. Nec sane immerito, (si vera illa, quæ narrat Bibliothecarius vester) qui id sibi, Petri Successori, fieri passus a Cæsare, quod Petrus ipse pati noluit a Centurione[z]: ut se *pronus in terram adoraret.*

Justinianus Senior Joannem ii. Caput omnium ecclesiarum appellavit, . . . le. 'Inter Claras,' C. 'De Sum. Trin. et fid. Cath.'—[Bell. Apol. pro Resp. p. 27. Op., tom. vii. col. 720. A.]

[Justiniano Sen.,] Poterat vero Cardinalis abstinere a Lege '*Inter claras*' citanda: quam scit, *inter claras* leges non citari, sed obscuras et adulterinas. Poterat etiam a Justiniani mentione; qui in Silverio Papa primum, qui post in Vigilio satis ostendit, *aliqua ex parte Pontifice se superiorem esse.* Illum enim exilio, hunc carcere mulctavit[b]. Quis enim Imperator Sil-

[t] [Vide Epist. i. Agathonis Papæ, apud Conc. C. P. iii. Act. iv.—Conc.] tom. iii. Edit. Ven. p. 245: [et tom. vi. coll. 631. A.-C. 634. D. Labb. et Coss.]

[u] [Apud Acta Conc. Nic. ii. Act. ii. Conc.] tom. iii. p. 475. [Edit. Venet.; et tom. vii. col. 699. B. Labb. et Coss. Alia vero versio hujus Epistolæ habetur in Græca ejusd. Conc. edit.—Ibid. col. 99, seq.]

[x] [Vide Vit. Joan. Papæ I. Conc. tom. iv. col. 1600. C.]

[y] [Ibid. col. 1601. B. C.]

[z] [Act. Apost. x. 26.]

[a] [Cod. lib. i. tit. i. ap. Corp. Jur. Civ.]

[b] [Vide Anast. in Vita Vigil.—Conc. tom. v. coll. 307. E. 308. A. B.]

verium Papam in exilium misit? annon idem ille Justinianus senior? immemor nimirum Legis suæ, *Inter claras*, (quam nunquam scilicet scripserat,) in qua *Caput Ecclesiarum* Papam scripsit, (si tamen Papam) at sicut *Ecclesiarum* tamen *Caput* (ut videtur) non habuit.

[Scribit etiam Liberatus . . . quo tempore Imperator Silverium Papam in exilium misit,] Episcopum Patarensem adiisse Imperatorem, . . . ac dixisse multos esse Reges, sed nullum talem esse, qualis ille, qui est Papa super Ecclesiam mundi totius[c].—[Bell. Apol. Pro Resp.] p. 27. [Op., tom. vii. col. 720. A. B.]

Ut nobis hic non tam curandum, quid dixerit Patarensis Episcopus, quam quid fecerit Imperator Justinianus, qui *Regem* (scilicet), *cui nullus in mundo* similis, *qui Regna et Reges ipsos regeret*, sic in insulam relegavit. Facta cum videamus, verba quid audiamus, vel Patarensis, vel Cardinalis? Cui parum jam prospere successit (ut videt) navigatio ejus in Orientem.

Sed si . . . Rex (hoc) affirmet, certe non id affirmare poterit de Regibus Angliæ Prædecessoribus suis. Exstat Epist. Henr. II. ad Alexand. III. Pont. 'Sanctissimo Domino suo, etc.[d]'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 27. [Op., tom. vii. col. 720. B.]

Verum enim, Prædecessores Regis nostri, Angliæ Reges, non ita se *Pontifice nulla ex parte inferiores* scriberent. Non enim certe scripserunt. Quando autem non? Cum *hora jam vestra* esset, et *potestas tenebrarum*[e]. Et, qui tandem? Henricus II., qui *plagas* paulo ante in carne *nuda perpessus*, et virgæ disciplinam[f]; non mirum, si Alexandrum III. delinire voluit; ita *omni ex parte superiorem* Friderico Cæsare, ut *pedes* haberet illi in *Cervicibus*, et *quasi super aspidem ambularet*[g]. [Henrico III. Reg. Angl.,]

Exstat legatio Ricardi Regis Angl. ad Pontificem . . . qua postulat sibi justitiam exhiberi de Duce Austriæ. — [Bell. Apol. pro Resp.] p. 28. [Op., tom. vii. col. 720. C. D.]

Nam filius Henrici Ricardus, ubi ab Austriæ Duce in itinere contra jus fasque prehensus, atque in carcere detentus [Ricardo primo,]

[c] [Brev. Liberati, cap. xxii.—Conc. tom. v. col 775. E.]

[d] ["Sanctissimo Domino suo Alexandro . . . Henricus . . . devotæ subjectionis obsequium," etc. — Petr. Blea. Ep. cxxxvi. apud Baron. Ann. Eccl. ad ann. 1173. num. ix.; tom. xii. col 672.]

[e] [Luc. xxii. 53.]

[f] [Vide Matth. Paris. Hist. Maj. in Henr. II., ad an. 1174, p. 125. Tigur. 1589.]

[g] [Vide Baron. Ann. Eccl. ad ann. 1177. num. lxxvi. lxxxvii.; tom. xii. col. 732.]

est, non mirum, si a Principibus vicinis omnibus jus suum
82 sibi defendi, et illatam sibi contumeliam vindicari, atque inter alios etiam a *Pontifice* postularet[h]. In *Juvantibus* enim et *Nocentibus*, eo quidem sæculo, *Pontifex*.

[Exstat Epistola] Æleonoræ Reginæ . . . ad Cœlestin. III. . . . 'Nonne Petro Apostolo, et in eo vobis omne Regnum, omnisque potestas regenda committitur,' etc. apud Pet. Blesen.[i]—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 28. [Op., tom. vii. col. 720. C.]

[Æleonora Regina,] Nec mirum, si mater Ricardi, Æleonora, uxor Henrici II., (tum vidua) filii sui captivi vicem miserata, mariti stylum imitata est. Faciunt id fere omnes, qui supplicum loco sunt, ut potestatem ejus, cui supplicant, mirum in modum evehant: multo sæpe, quam est, ampliorem faciant: *hyperbole* quam *μειώσει* sæpius peccent. Blesensi præsertim scriba, qui *blæsior* erga Pontificem. Nam ni blæsior, quis nescit *omne regnum omnemque potestatem*, ne Petro quidem *regenda fuisse commissa ?*

Exstat querela[k] [Regis Anglorum adversus Regem Franciæ ad Innocentium III., tanquam ad communem Judicem]. . . . Exstat . . . resignatio totius Regni Angliæ et Hiberniæ, facta a Joanne Rege Angliæ de consensu Baronum in manus Innocentii III. Pontificis, et receptio eorundem Regnorum in feudum[l].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 28. [Op., tom. vii. col. 720. C. D.]

[Joanne,] Frater vero ejus Joannes, (*cujus et illa ad Innocentium III. querela*) quicquid fecit, *vi metuve* fecit: quando Innocentii in eum ira tam gravis incubuit, ut pacisci cum eo non minore pretio, quam utroque Regno, necesse habuerit. Exceptio autem multiplex. 1. Morus vester factum negat[m]. 2. Da factum, at *vi* factum et *metu*. 3. Tum, utut de facto, *de jure* non factum, neque quod fieri *jure* posset. Fecit enim in eo, quod, si maxime vellet, facere non potuit: Regnum Rex suum dono dare non potest. 4. Sin id posset; virtute tamen clausulæ (quæ inibi est) *de reservatione*[n], iterum *de jure* nullum. 5. Facto, tanquam *de jure* nulli, reclamatum a Proceribus. Audi Regem ipsum literis suis ad Papam Innocentium datis Do-

[h] [Vide Matth. Paris. Maj. in Ric. primo ad ann. 1195. p. 170.]

[i] [Vide Pet. Blesens. Ep. cxlv. apud Baron. Ann. Eccl. ad ann. 1193. num. vi.—ix.; tom. xii. coll. 878—880. Verba ipsa occurrunt num. ix.]

[k] [Decretal. Greg. lib. ii. tit. i. 'De judiciis.' cap. xiii. 'Novit.'— Corp. Jur. Can. tom. ii. coll. 531—534.]

[l] [Matth. Paris. Hist. Maj. in Joan. ad ann. 1213. p. 227.]

[m] [Vide Tortur. Torti, p. 257. Edit. nostr.]

[n] [Ibid. pp. 256, 257.]

veræ, Septembr. 13. ann. 1213 [leg. 1215], id ita asserentem: *Cum Comites et Barones Angliæ nobis devoti essent, antequam nos, et nostram terram dominio vestro subjicere curassemus: extunc in nos (specialiter ab hoc), sicut publice dicunt, violenter insurgunt*[n]. Quid quæris? *Insurgebant* Proceres, *violenter insurgebant* in *Joannem*, idque *de facto hoc* ejus *specialiter*, idque *præ se ferebant publice*. 6. Reclamatum autem etiam a Stephano ipso S. R. E. Cardinale[o], Cleroque et universitate Regni. 7. Reclamatum et a Principibus exteris, tanquam *errori Papæ, errori* autem, *contra quem starent ad mortem*[p]. 8. Factum denique *infectum* ab ipso Papa (notavi ex Eulogio[q]), si quicquam id quoque ad rem pertinet. Neque vero in rerum natura Diploma illud[r]: neque per annos jam trecentos vel homagium recognovit quis, vel Marcas numeravit. Idem hoc objecit ante Tortus: idem jam hoc Cardinalis responsum referat.

Ergo Rex Anglorum . . . non solum par non est Romano Pontifici, sed duplici jure subjectus, uno communi omnibus Christianis . . . ratione Apostolicæ potestatis, . . . juxta illud Psal. xliv., 'Constitues eos (Apostolos videlicet) Principes super omnem terram.'—[Bell. Apol. pro Resp.] pp. 28, 29. [Op., tom. vii. col. 721. A.] 83

[Rex Anglorum non Pontifici subjectus jure spirituali,]

Neutro igitur *jure inferior Rex.* Non *Apostolicæ potestatis*, cujus in Papa, *ex jure* quidem *divino*, plus non est, quam in reliquis aliorum Successoribus. Siquid ei amplius accrevit, ab *humano jure est*. Psalmum quidem illum intelligit Augustinus de Episcopis[s]. Nec enim aliter David Propheta verus. Non enim *Eos*, Episcopos scilicet, *Principes:* sed *Eum*, Pontificem nempe, unum modo *Principem* constituisset *super omnem terram*, si solum Papam, non et cæteros. Iterum ergo multiplicat hic Papas Cardinalis; idem iterum hic illi contigit, in *Constitues eos*, quod ante, in *Obedite Præpositis. Præpositos* ibi invenit, id est, *Pontifices plures: Principes* hic (id est) *Episcopos plures:* Pontificem vel Principem *unicum* suum inveniendo non est.

[n] [Vide Rymeri Fœdera, tom. i. par. i. p. 69.]
[o] [Matth. Paris. Hist. Maj. in Joan. ad ann. 1213. p. 228.]
[p] [Vide Matth. Paris. Hist. Min. ad ann. 1216, ut citat. apud Tortur. Torti, pp. 257. 258. Edit. nostr.]
[q] [Tortur. Torti, p. 257.]
[r] [Vide autem Rymeri Fœdera, tom. i. par. i. p. 57. ubi citatur e Bibl. Cotton. Nero C. 2.]
[s] ["Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi."—S. Aug. Enarr. in Ps. xliv. § 32. Op., tom. iv. col. 564. C.]

Altero proprio, ratione directi dominii, quod in Regnum Angliæ et Hiberniæ Romana habet Ecclesia, testibus duobus omni exceptione majoribus Henrico II., et Joanne Regibus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 29. [Op., tom. vii. col. 721. A.]

[neque jure directi dominii,] Quodsi non ex *indirecta potestate spirituali*, adhuc minus ex *directo dominio*, de quo responsum jam accepit in Torto [t]. *Directum* autem non minus, cum vult, *dominium* habet, non in Angliam modo et Hiberniam, sed et in Galliam, et Hispaniam, denique, quicquid est usquam Regnorum in Europa, cadit in omnia *dominium* ejus *ad perpendiculum*. Steuchus pridem [u], Marta dudum, recensuit [x]. Sinunt vero frui Pontificem Principes *hoc phantasmate* suo: verum *directii dominii* signum nullum; *Directo* huic *Domino* fidelitatem nemo *directam* præstat, homagium *directum* non ullus recognoscit, vectigal *directum* haud quisquam numerat, non magis Pontifici sane quam Doctori Martæ. Nam (quod supra monui) Henricus pater, et Joannes filius, sic accepti a Pontifice, jus hic Testium non habent: alter *plagas* ab eo passus: alter *plagam* plagis ipsis longe graviorem.

Quanquam hæc subjectio multo est antiquior, si Polydoro Vergilio credimus. Scribit enim libr. iv. Hist. Angl. Inam Regem fuisse primum, qui regnum Angliæ summo Pontifici tributarium fecit [y].... Idem postea tributum confirmatum ... ab Offa [z], ... Atulpho [a], ... et ... Canuto [b].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 29. [Op., tom. vii. col. 721. A. B.]

[neque propter Petri denarios Papæ quondam solutos.] At, cum Blesensi diffisus ad Polydorum se recipit, ludibrium omnibus debet, qui nostris in rebus versati sunt. *Tributum* enim Inæ illud, *eleemosyna* mera. Voluit domos in Regno suo singulas *singulos denarios* pendere stipis nomine: (denarius enim, nobis, stipes) inde ut melius *Hospitali Romæ* consuli posset, quo excipi solebant Pauperes ex Anglia peregrini. Nec alia pensionis ratio. Ad idem exemplum, *denarius* post decretus, in caminos singulos, quem *pro stipe* haberent quatuor *Ordines Mendicantium*; quadrantem singuli: Etiamne *denarius* ille *tributum* quoque, ut
84 Angliæ Regnum Fraterculis exin *tributarium?* Non alia vero *denarii* hujus, quam illius, ratio. *Pontificius* enim

[t] [Vide Tortur. Torti, p. 258. Edit. nostr.]

[u] [August. Steuch. Eugub. contra Vallam de Donat. Constant. Op., tom. iii. pp. 236–239. Venet. 1591.]

[x] [Marta de Jurisd. par. i. cap. 26. pp. 60. seq.]

[y] [Vide Polyd. Verg. Ang. Hist. lib. iv. p. 86.]

[z] [De Donat. Offæ vide Wilkins, Conc. tom. i. pp. 155. 157.]

[a] [Seu Æthelwulpho. Vide Wilkins, Conc. tom. i. p. 185.]

[b] [Vide Epist. Canuti ad Archiepisc. etc. Angliæ, apud Wilkins, Conc. tom. i. p. 298.]

denarius, *Focalis* dictus[d]: *Mendicantium* vero, *Fumarius*. Obsecro te, qui nummum erogat pauperi, ex eone *tributarius* pauperi fit? aut pauper *directumne* inde *dominium* acquirit in erogantem? Aliud autem Inæ, Offæ, Atulphi, Canuti, vectigal nullum.

Dicam quod res erat. Polydorus ipse in Angliam primo venerat, ut denarios illos Pontifici corrogaret. Visum autem illi, (homini Italo,) magis ex dignitate fore, si, cujus ille *Publicanus* esset, *vectigalis* potius honesto, quam stipis mendico titulo nominaret; quo se *Quæsturam gessisse*[e] hic, more veterum Romanorum, gloriosus homo scriberet, non autem *denarios* domesticatim quæritasse.

Nec primus tamen in hoc, fortasse, Polydorus; et qui ante eum scripserunt hoc alii. Ubi enim, sæculo demum suo, splendidiore multo conditione Pontifices cernerent, quam qua erant, cum hæc in eos primum *eleemosyna* collata est; ne Pontificis tenellas aures læderent, dum non satis pro honore de iis loquerentur, pensionem hanc *Tributi* nomine indigitasse, et quæ vere *stipes* erat, eam *vectigal* appellasse, quod id magis pro dignitate faceret Sedis Apostolicæ.

Sed bene habet, quod collatum tamen fatetur vel Polydorus ipse, *pietatis et religionis causa*[f]. Non ergo, homagii vel subjectionis. Subjectionis autem *vectigalia*, non *devotionis*, nomine pendi solent.

Bene etiam, quod sic ponit Cardinalis, *Si Polydoro credimus. Polydoro* enim hic non *credimus*, homini novitio, et sine *auctore loquenti*; præsertim Italo; magis adhuc *Quæstori Pontificis*, de Pontifice. Regi *Edvardo Confessori credimus*, qui, quo nomine penderetur a Regno suo, optime nosse debuit; quique, *sexcentis* abhinc *annis*, non alio nomine donari scripsit, quam, *quoniam denarius hic Regis eleemosyna est*[g]. Eat jam Cardinalis, et extundat nobis tributum ex eleemosyna, vectigal e stipe.

Constat ab Adriano IV. Pontifice datam fuisse Hiberniam Henrico II. An. 1156.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 29. [Op., tom. vii. col. 721. B.]

Ab Adriano IV. Hiberniam, Henrico II. datam constat? imo *constat non datam.* Qui potuit alii dare, qui nec passum pedis [Hibernia Henrico II. non a Pontifice data.]

[d] ["Denarius autem in domos singulas impositus ante festum Divi Petri redditor."] — Leg. Edgar. iv. [Conc. tom. ix. col. 681. C.]

[e] [Vide Polyd. Verg. ut supra.]

[f] [Polyd. Verg.] lib. iv. [A.D.] 740. [p. 86.]

[g] Edvard. Leg. x. [Conc. tom. ix. col. 1023. A.]

in ea habuit ipse, ut posset dare? Nihil enim Pontifex ab Hibernis emolumenti habuit; nihil Hiberni a Pontifice. 85 Non Pontifex ab illis: alioqui, quid opus petere sic a Rege *denarii stipem* ibi novam, in ædes singulas [h]? Non illi a Pontifice: ut quibus nec *Matrimonia* [i], nec alia multa religionis nostræ, recte haberent. Mira autem Pontificum *munificentia*, qui quod nec habent, nec habuerunt unquam, benigne *impertiunt*: qui *dant* de *alieno* semper, non *suo*. Simile factum narrant alterius Pontificis. Sanctius Regis Aragonum frater, cum exercitum duceret in Saracenos, in Urbem divertit. Pontifex eum, tubæ sonitu, Regem Ægypti salutavit. Cum quid tubæ sonitus sibi vellet, percontatus Sanctius, Regnum Ægypti a Papa sibi datum rescisset, jussit exire statim tubicines suos, atque suo nomine, Papam Calipham Baldachi (is est Saracenorum Pontifex Summus) renunciare: se ei, in mutuas vices, Pontificatum conferre. Atque ita Papæ suavis homo illusit.

Exstant de tota hac re testimonia historicorum, ... Neubrigensis, lib. iii. c. 9. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 29. [Op., tom. vii. col. 721. B. C.]

[De hac re testimonia historicorum.] Neubrigensis vero haud quicquam ibi narrat (loco citato) in rem Cardinalis: nec omnino quicquam, nisi de Legato quodam Pontificio, aurum Hibernicum sitiente: cui, cum a Rege potestas facta trajiciendi in Hiberniam, quo Regis ibi rem ageret, ille perfidus homo Hibernos commisit cum Anglis: quare, merito explosus ab utrisque [k]. Tum, neque *divisa satis commode temporibus* [l] Cardinali hæc. Nam, quæ in eo capite narrantur, anno demum 1184. gesta sunt, sub Lucio III., post, non solum Adriani IV., sed etiam Alexandri III. tempora: idque, cum dari eam non esset opus, quam Rex, scilicet, jam per tredecim ante annos occupasset. Denique nulla ibi vel dati vel accepti mentio, conditiones nullæ. Torto credidit hic, aut alii Sacellano suo, haud (credo) locum inspexit Cardinalis. Quod si autem, quid ea de re habeat

[h] ["Et illius terræ populus te accipiat, et sicut Dominum veneretur, jure Ecclesiastico illibato, et integro permanente, et salva Beato Petro de singulis domibus annua unius denarii pensione."—Epist. Adriani IV. ad Henr. II. apud] Matth. Paris. ad an. 1155. [p. 91.]

[i] ["Gens enim hæc, gens spurcissima, gens vitiis involutissima, gens omnium gentium in fidei rudimentis incultissima, nondum enim decimas vel primitias solvunt, nondum matrimonia contrahunt, non incestus vitant."]—Girald. Topograph. Hibern. Dist. iii. cap. 19. [p. 742. apud Camdeni Anglica, Normannica, etc.]

[k] [Gul. Neubr. lib. iii. cap. 9. pp. 282—286. Oxon. 1719.]

[l] [Terent. Andr. III. 1. 18.]

Neubrigensis, scire libet Lectori, consulat lib. ii. ejus cap. 26[m]., ubi, ex *Sociali bello,* Regibus nostris acquisitum jus in Hiberniam, et virtute militari discet, non autem ex dono Adriani IV. totos annos tredecim jam ante mortui. Eadem et apud Giraldum[n] reperias. Duo autem hi, cum per id tempus viverent, certius rem totam cognoscere potuerunt.

Polydori Vergilii lib. xiii.[o], Nicolai Sanderi de Schismate Anglicano ad ann. 1542[p].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 29. [Op., tom. vii. col. 721. C.]

Polydorus vero nugator est, et cui sæpe, de rebus nostris, fides parcius adhibenda. Is autem de Adriano nihil. Tantum ab Alexandro III. petiisse Henricum, ut auctoritate sua ad regnum Angliæ adjungi posset Hibernia, non prius tamen id, 86
quam bello domuisset. Sanderus vero hic (ubi vero non?) mendax. Suavis homo, a recepta jam religione Pontificem Hiberniæ Regem somniat, contra Historiarum omnium antiquitatem, et fidem. Sic enim Neubrigensis, *Nunquam externæ subjacuit ditioni usque ad annum a partu virginis* 1171., *qui fuit Regis Anglorum Henrici II.* 18[q]. Etiam conditiones memorat[r], etiam ruptas, ut jure prom potuerit Gregorius XIII. gratificari filio suo, quem Regem Hiberniæ designavit[s]. Quem in finem Stucleium nequissimum transfugam misit eo cum manu militum, sub conditionibus multis, quas tamen minime servarunt: Omnes enim in itinere perierunt.

Exstant denique literæ Apostolicæ Joannis XXII. ad Edvardum II. datæ[t]. [Bell. Apol. pro. Resp.] p. 29. [Op., tom. vii. col. 721. C.]

Exstant vero, sed non substant Joannis XXII. literæ, nec tale quid loquuntur. Cum Adriano IV. quid actum, solus (quod sciam) narrat Parisiensis[u], apud quem reperias Epistolam ipsam Adriani. Communicarat Rex cum Adriano mentem suam de Hibernia sceptris suis adjicienda, et rudi populo ad Christianos mores revocando: petierat ab eo consilium et

[m] [Gul. Neubr. lib. ii. cap. 26. pp. 191—196.]
[n] De Hibern. Expug. [cap. 1. p. 760. apud Camdeni Anglica, Normannica.]
[o] [Vide Polyd. Vergil. lib. xiii. p. 217.]
[p] [Sanderus de Schism. Angl. pp. 163—166. ed. Ingoldst. 1586.]
[q] [Gul. Neubr.] lib. ii. cap. 26. [p. 192.]
[r] [Sanderus, ubi supr.]
[s] [Vide Camdeni Rer. Angl. et Hib. Annal. Par. ii. pp. 294—296.]
[t] [Vide Bullam iv. Joannis XXII. 'Paternum amorem.'—Bullar. Rom. tom. i. p. 197. a.]
[u] ["Nos autem pium et laudabile desiderium tuum favore congruo prosequentes, et petitioni tuæ benignum impendentes assensum, gratum et acceptum habemus, ut pro dilatandis Ecclesiæ terminis, vitiorum restringendo discursu, pro corrigendis moribus, et virtutibus inserendis, pro Christianæ religionis augmento, insulam illam ingrediaris."—Ep. Adrian. IV. ad Henricum II. apud Matth. Paris.] ad ann. 1155. [p. 91.]

favorem. Adrianus rem gratam habet et acceptam. Sed neque *donatio* ibi ulla, et Epistolæ illius vi nihil tentatum, nihil occupatum est.

Quindecim post annis, Dermitio Lageniæ Regi, a vicinis hostibus profligato, supplici, ad se confugienti Henricus opem tulit[x]. Factum inde, virtute militum, et deditione hostium, ut Hibernia in potestatem Regis venerit. Jure ergo *Socialis belli,* non *doni* ullius *Pontificii: et gladio suo,* non *Papæ clavibus,* Hiberniam Reges nostri *acceptam* ferunt.

Cum vero de subjicienda sibi Hibernia consilium conferret Henricus cum Adriano, nempe Anglo, et subdito suo: quid inde factum, videt Lector. Quod olim, cum Galliæ proceres, de Hilderico tanquam inutili abdicando, cum Zacharia Papa communicarent[y]. Exin, haud alius Hildericum deposuit quam Papa. Hoc idem cum Adriano faceret Henricus Rex, cum sententiam rogaret, consilium expeteret et favorem, Regnum Hiberniæ Henrico dono datum est. Mirum, ni sic constet etiam, Hispano nuper, Indiam Occidentalem; Lusitano, Orientalem ab Alexandro datam[z]; ut quodcunque in Regnum quis jus novum acquirit, id oporteat acceptum referre *Pontifici,* et ex *dono* ipsius habuisse se, confiteri.
87 Cautius ergo dehinc, parciusque Principibus agendum cum Pontifice. Date illi aliquid *eleemosynæ* nomine; jubet inscribi pro *vectigale. Osculetur* ei quis *pedem; calcabit* ei *cervices. Titulo* impertiat; ibit illi statim *titulus* in argumentum *majoritatis* suæ. Consulat eum quis, *quid factu opus* sit: quicquid *ex eo facto* consequetur, *uni sibi* deputabit. Hæ Pontifici artes sunt, hoc jure in Reges utitur.

[x] Girald. Hibern. Expugn. cap. 1. [apud Camdeni Anglica, Normannica, etc. p. 760.]

[y] ["Alius item Romanus Pontifex, Zacharias scilicet, Regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus quam pro eo quod tantæ potestati esset inutilis, a Regno deposuit, et Pipinum Caroli Magni Imperatoris patrem in ejus locum substituit, omnesque Francigenas a Juramento fidelitatis, quod illi fecerunt, absolvit."—Decret. Par. ii. Caus. xv. Quæst. vi. cap. iii. 'Alius.'—Corp. Jur. Can. tom. i. col. 1083.]

[z] [Vide vii. Decretal. lib. i. tit. ix. cap. Unic. 'Alexander.' coll. 28—31. apud Corp. Jur. Can. tom. iii.]

Ad Caput Quartum.

De Comparatione Regis, et Cardinalis.

Pontifex, quasi Pompeius, *parem* (ut videtur) *non fert : Cardinales*, æmuli quasi Cæsaris, non *priorem*[a]. Nec verecundatur hic quicquam. Inscribit Regibus librum suum ; inscribit libri sui Caput quartum, *De Comparatione Regis et Cardinalis*, ne Reges jam lateat, quo spiritu *Cardinales Romæ* sint, (Romani quidem : nam de reliquis, qui in Gallia, Hispania, sub Rege vivunt, meliora spero, aliis id eorum nomine spondentibus ;) et vel quantillum ipsi deferre Regibus, vel quantillum Reges ab ipsis expectare debeant. Sed, etiamne unius hæc Regis nostri privata est? annon et reliquorum quoque Regum in hoc causa vertitur? annon et *reliquis* idem *propinat*, ex eodem *Martini poculo*[b] *?* [Hæc Comparatio Reges omnes æque respicit.]

At ego non video, in disputatione Theologica, quid necesse sit paritatem natalium, aut dignitatis, aut imperii quærere, cum sola necessaria sit paritas ingenii, atque doctrinæ.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 30. [Op., tom. vii. col. 721. D.]

Porro, fingit sibi hic primum *disputationem* nescio quam *Theologicam*, quasi lis ingenii sit, quasi Rex ultro descendat in palæstram, periculum facturus in literis. *Natalium* tamen memor, et quam non sit ei *genus alto ex sanguine*[c] ; ubi *parem* se suscepit probandum, id agit primo, ne *necesse* sit *parem* esse : abunde sat esse, si *ingenio* modo et *doctrina par* sit. *At ego* (inquit) *non video*. At alii vident longe id abesse, ut satis sit. Laudatur enim (si bene memini) in Historia Alexander[d], qui ad cursus certamen provocatus, lubenti se animo id facturum dixit, si essent, qui cum eo cursu certarent, Regum filii. *Paritas* in iis *doctrinæ* sufficit vel *ingenii*, qui propter *ingenium* et *doctrinam*, pariter ad [Rex quanquam doctrina inferior, cætera tamen major Cardinale.]

[a] ["Nec quemquam jam ferre potest, Cæsarve priorem,
Pompeiusve parem."
Lucan. Pharsal. i. 125, 126.]

[b] [Vide Sulp. Sever. de Vita B. Martini, cap. xx. Op., pp. 339, 340.]

[c] [Virg. Æn. iv. 230.]

[d] Plutarch. in Vita Alexand. [Op., tom i. p. 666. D.]

honores evecti sunt. At est, præter ista, in Regibus exsors
88 quædam eminentia, qua, præterquam inter se, *pares* non sunt: reliquos omnes longe multumque post se relinquunt.

Henricus VIII. Rex Anglorum, non indignum sibi putavit adversus Martinum Lutherum Monachum . . . scribere.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 30. [Op., tom. vii. col. 722. A.]

[Exempla Henrici VIII.,] Scripsit de septem Sacramentis, atque obiter in Lutherum, Rex Henricus VIII. Ita visum est, voluit eo se demittere: si id noluisset, haud ei quisquam (credo) litem movisset. Nec Regi nostro igitur, si cum Cardinale nominatim in certamen componi noluit. Voluit forte cum Luthero experiri Henricus: non vult cum Cardinale Rex noster. Utrum vero hic laudamus? Uter melius, magisve ex dignitate Regia? Nec est enim Regis hic Henrici et Nostri conditio eadem. Ille Lutherum ultro lacessivit, nec ab eo vel verbo violatus: Rex, Cardinalis Epistola læsus, in dignitate sua, in suorum fide læsus et lacessitus, ac Reges in eo omnes, defensionem suscepit necessariam, sui, et aliorum. Non igitur certamen Theologicum; Principum salus, populi fides agebatur: nec inire certamen ingenii, sed injuriam illatam propulsare in animo habuit.

Julianus quoque Imperator, quia non contentus imperiali splendore, cupiebat etiam clarere nomine eruditionis, scripsit libros, non adversus Reges, sed adversus Magistros Christianorum[e].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 31. [Op., tom. vii. col. 722. A.]

[Juliani,] Etiam Julianizat denuo. Quodque illi nomen, vel in scripto priore[f], odium concivit bonorum omnium, nec eo vel hic jam abstinet, qua est in Regium nomen caritate. Quid autem? Cum *Apostata* ille magnopere philosophus haberi cuperet, ultro contra *rem Christianam* scriptitavit. At suas res egit Rex noster, et est ei (nescio quomodo) vis facta: nec contra *rem* scripsit tamen, nisi *Antichristianam*, nec contra magistros *Christianorum*, quin *Proditorum*. *Blasphemias* spiravit Juliani liber: Rex toto suo *meretricem* insectatur modo, *cui scripta in fronte blasphemia*[g]. Quid habent hæc simile?

[e] [Vide Cyril. Alex. in Julian., qui "huic operi, omissis duntaxat in Christum, Ejusque religionem invectivis, maximam partem operum Julianæorum intexuit." Cav. Hist. Lit. tom. i. p. 346.]

[f] [Vide Resp. Torti, p. 96; et Bell. Op., tom. vii. col. 683.]

[g] [Apoc. xvii. 3; et cf. S. Hier. adv. Jovinian. lib. iii. § 38. Op., tom. ii. coll. 382. E. 383. A.]

Nero . . . , cum cantu, et cithara cum Antagonistis in theatro decertare vellet, non quæsivit Reges, sed homines peritissimos musicæ [h].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 31. [Op., tom. vii. col. 722. A.]

Nam Neronis turpe factum, nec nisi Nerone dignum; quem in scena, cum Aulœdis cum Citharœdis ita compositum, quis sanus memoret? Nec tamen Aulœdus (credo) quispiam (cui respondet hic Cardinalis) *parem* se dixit, scripsitve vel Neroni. *Demittere* se possunt Reges: *committere* se non debent Aulœdi, vel Cardinales. Regi gloriosum illud, nonnunquam: turpe hoc nunquam non, sive Aulœdo id, sive Cardinali. [et Neronis male allegantur.]

De comparatione Regis et Cardinalis adducam judicium, et testimonia Patrum veterum, qui primis quingentis annis floruerunt.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 31. [Op., tom. vii. col. 722. B..]

Nescias vero (lector) hic ad quid obstupescas magis, *frontemne*, an *cerebrum* Cardinalis? *Frontem*, qui *comparationem* instituit, tam perfricte, Parochi cum Rege: *Cerebrum*, qui ejus, *in primis quingentis annis, testes* quærat, et *judices*. Estne quisquam enim, qui adeo desipere putet Cardinalem, ut vel *idiotis* suis persuadere possit, *intra primos quingentos annos, Cardinales* ullos exstitisse, qui cum Regibus conferrentur? De quibus ille ipse (altera statim pagina[i]) non tam *recentes* dicit, quin, *anni saltem quingenti, ab eo, quo jam sunt statu, numerentur*. Per annos ergo plus mille, nulla *Cardinalis cum Rege comparatio*. Necdum enim Cardinalis ullus exstitit, qui cum Rege componi vel ferret, vel ferretur. [Patrum testimonia proferre res nimis audax.] 89

Igitur Cardinales nihil sunt aliud, nisi Episcopi, Presbyteri, et Diaconi, Electores, Consiliarii, et coadjutores Summi Pontificis.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 31. [Op., tom. vii. col. 722. B.]

Operæ pretium est autem videre, primo, quam hoc faciat concinne. *Cardinales* (ait) *sunt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, qui Electores sunt, Consiliarii, et Coadjutores Summi Pontificis*. Ita proponit. Post vero, de *Electoribus, Consiliariis, Coadjutoribus Pontificis* verbum non addit; (quo solo tamen hodierni Cardinales sunt;) persequitur modo, atque hæret in *Episcopis, Presbyteris, Diaconis*. Quorum quis nescit myriadas esse, quos Cardinalis, tanquam infra se positos, ex sublimi despicit? Ita, de uno *instituit: currente rota, exit* [k] [Origo Cardinalium.]

[h] [Tacit. Ann. xvi. 4.]
[i] [Bell. Apol. pro Resp. p.] 35. lin. 1. [Op., tom. vii. col. 724. B.]
[k] [Vide Hor. Epist. ad Pis. lin. 22.]

alterum. Qua enim *Electores* sunt, sunt *Cardinales;* qua *Electores* autem, ne perstringit quidem : qua *Diaconi, Presbyteri,* imo vel *Episcopi,* procul absunt a *Cardinalibus.* Nec hi quicquam ad *Parmenonis suem*[l]. At, de his modo paginas duas implet, *extra callem*[m] totus. Annon autem scenam totam risu solvi ? postquam aspiciunt hic *testimonia Patrum veterum, qui primis quingentis annis floruerunt, de Regum et Cardinalium comparatione* proferenda? nisi ita ei misere laboret causa, (et quidem laborat) ut de *Cardinalibus* suis probare non possit, nisi eadem opera *Reges* deprimat infra non *Episcopos* tantum, sed vel *Presbyteros,* quin *Diaconos* ipsos quoque, non dico *Cardinales,* sed *Cardinalium.* Atque hoc jam molitur Cardinalis, id agit per *caput* hoc, ut non *ipse* modo *Regibus par;* par? imo superior sit; sed Tortus etiam Presbyter ejus Sacellanus; etiam, si quem habet Tortulum Diaconum, hi quoque omnes minorum Gentium Clerici, tali ac tanta dignitate præditi sint, ut etiam *Regibus præferantur.* Namque ita illi procedit argumentum. *Presbyteri* quicunque, *Diaconi* quicunque, ad unum omnes Regibus majores sunt : quare, non dubium quin *Cardinales.* Quam misera Regum conditio, ut pati hanc contumeliam, ut ibi vivere necesse habeant, ubi hæc ita disputare liceat? Cæsarem nempe et Reges subjectos *subselliis Episcoporum:*
90 tum *arcendos Presbyterio,* ne sedeant cum *Presbyteris;* quibusque, non modo post *Presbyteros de patera libare* necesse sit, sed, *minori cum sint potestate,* quam *Diaconi,* ne vel *Diaconis* occurrant, etiam *ab illis coercendi.*

Sciant ergo dehinc Reges Christiani, quando, et post quem *bibere,* quo loco *incedere,* ubi *sedere* debeant : nempe, paulo ante *Subdiaconos,* sed post *Diaconorum* ultimos : sciant quo loco, quo pretio habeat eos Roma, quo animo ibi Patres in eos sint. Sic solet beare *Reges,* sic sibi *Principes* conciliare Cardinalis.

Ut vero hos omnes sic supra Reges efferat, protrudit nobis Episcopum Nazianzeni, Presbyterum Martini, Diaconum Chrysostomi; sed sibilo jam excipiendos, ita sæpe prodierunt in scenam, ita plus millies explosi. Vix est enim legere Jesuitam ubi non occurrant. Nam apud Cardinalem in Contro-

[l] [Erasm. Adag. p. 186., et Plutarch. Symp. lib. v. Quæst. i. Op., tom. ii. p. 674. B. C.]

[m] [Erasm. Adag. p. 210.]

versiis[n] sunt; apud Tortum nuper[o]: hic in Apologia jam tertio, odiosi semper et molesti.

Ac de Episcopis quibuscunque, etiam non Cardinalibus, scribit Gregorius Nazianzenus in Oratione ad populum timore perculsum et Præsidem irascentem. 'An me,' inquit, 'libere loquentem æquo animo fertis? Nam vos quoque potestati meæ, meisque subselliis, lex Christi subjecit. Imperium enim ipsi quoque gerimus, addo etiam præstantius atque perfectius: nisi vero æquum est, spiritum carni fasces submittere, et cœlestia terrenis cedere[p].'— [Bell. Apol. pro Resp.] p. 31. [Op., tom. vii. col. 722. B. C.]

[De Episcopali dignitate testimonia S. Greg. Naz.,]

Pessimus autem hic mos invaluit, Patrum verba sine sensu Patrum proferendi, Patrum verba *κακοτρόπως* a mente sua ad alienam detorquendi. Non est enim tam curandum, *quid* dicant Patres, quam *ad quid;* quo nempe animo, quorsum, quem in finem dixerint. Nam quid? An ea Nazianzeni mens, an ea mente locutus verba, quæ delibat ibi Cardinalis, ut *De comparatione Regis et Episcopi* cogitarit? Mitto, quod vix bene concludat, a *Præside* ad *Cæsarem.* Sed et hoc tamen, de *Præside,* Nazianzenus ipse præmollivit, cum ita præfatus, *An me libere loquentem æquo animo feres?* Ea si apud *Præsidem* Provinciæ usus est, qua putas apud Theodosium oratione usurum fuisse? Sed de eo respondeat ingenue. Ecquodnam Nazianzeni *Tribunal* fuerit aut *Rota,* coram qua citato tum Cæsari comparendum fuit? Ridiculus sit, si asserat. Annon fuerit in conscientia *Forum* illud et *Tribunal,* de quo ibi Gregorius; nec sæculi honor iste externus illi in mentem venerit? Non hæc igitur ab illo male, quia animo non malo. Sed si de Cæsare rogatus sententiam suam, et an ei se *parem* haberet, haberi vellet; quis tam vecors, ut non videat statim quid responsurus? haud aliud certe, quam quod Zadoc ante et Nathan, *Regem Dominum suum, se servos illius*[q]: quam quod Tertullianus, et Optatus, *Cæsarem a Deo Primum, post Deum Secundum*[r]*: Nec nisi* 91.
Deum, quenquam super Imperatorem esse[s]*:* quam, quod post

[n] [Bell. de Rom. Pont. lib. i. cap. 7. Op., tom. i. p. 134. G. H.]

[o] [Vide Tortur. Torti. pp. 383—386. Lond. 1609; et Edit. nostr. in marg.]

[p] [*Ἆρα δέξεσθε σὺν παρρησίᾳ τὸν λόγον; καὶ ὁ τοῦ Χριστοῦ νόμος ὑποτίθησιν ὑμᾶς τῇ ἐμῇ δυναστείᾳ καὶ τῷ ἐμῷ βήματι, ἄρχομεν γὰρ καὶ αὐτοί. Προσθήσω δ' ὅτι καὶ τὴν μείζονα καὶ τελεωτέραν ἀρχήν, ἢ δεῖ τὸ πνεῦμα ὑποχωρῆσαι τῇ σαρκὶ, καὶ τοῖς γηΐνοις τὰ ἐπουράνια.*— S. Greg. Naz. Orat. xvii. (Ad cives timore perculsos, et ad Præsid. irascent.) Op., tom. i. p. 271. B.]

[q] [3 Reg. i. 24, 26.]

[r] ["Colimus ergo Imperatorem sic, quomodo et nobis licet, et ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum, et quicquid est a Deo consecutum, et solo Deo minorem."— Tert. ad Scap. cap. ii. Op., p. 69. C.]

[s] ["Cum super Imperatorem non

Gregorius,[t] et Agatho[u], Pontifices et ipsi, *Imperatorem Dominum suum esse, et se obedientiam ei debere:* nec æquali Majestate cum Cæsare componi posse, et hanc tam inflatam Cardinalis *comparationem*, omnes exhorruissent.

S. Chrysostom.... 'Sacerdotem tanto majorem a Deo potestatem accepisse, quanto cœlum terræ.'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 32. [Op., tom. vii. col. 722. C.]

[S. Chrysost.,] More suo Chrysostomus[v], dum se ad Episcopi munus imparem probare vult, tanquam Orator vehemens, effert miris modis dignitatem ejus; etiam quædam posse in animas, quæ nec Reges ipsi.

S. Ambros.... de dig. Sacerd. c. 3. 'Nihil,' inquit, 'est in hoc sæculo excellentius Sacerdote, nihil Episcopo sublimius reperitur[x].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 32. [Op., tom. vii. col. 722. C. D.]

[et Pseudo-Ambrosii.] Ambrosius itidem, dum pro dignitate muneris confirmare se cupit in Sacerdotio caste integreque gerendo, ponit sibi ante oculos (quantum potest) ipsius excellentiam. Quo animo hoc? ut Cæsaremne deprimant; an ut ipsi se ad officium excitent? At ipsi Cæsarem alibi quantum evehunt! Aliorsum ergo trahuntur hæc, quam quo permitterent Patres ipsi, si in vivis essent; et Cardinalis, verba Patrum recitans, in Patrum committit sententiam.

Sed mitto sententiam. Non enim, ab *Objecto* recte concludas, ad Facultatis *præstantiam*. Nec eo honoratior proin Jurisconsulto Medicus, quod hic morbos, ille lites summoveat: hujus *Objectum*, corpus, corporisque sanitas: illius, fortunæ modo et earum tranquilla possessio. Sed neque, si

sit nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem."—S. Optat. contra Parmen. de Schism. Donat. lib. iii. cap. 3. p. 56.]

[t] ["Ego quidem jussioni subjectus eandem legem per diversas terrarum partes transmitti feci; et quia lex ipsa Omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis Dominis nuntiavi. Utrobique ergo quæ debui exsolvi, qui et Imperatori obedientiam præbui, et pro Deo quod sensi minime tacui."—S. Greg. Mag. Ep. lib. iii. Indict. xi. Ep. lxv. ad Mauricium August.—Op., tom. ii. col. 677. B. C.]

[u] ["Ideoque Christianissimi Domini et Filii, secundum piissimam jussionem a Deo protegendæ mansuetudinis vestræ pro obedientia, quam debuimus.... præsentes confamulos nostros... cum supplici cordis devotione curavimus demandare."—Epist. Agath. ad Imperatores.—Conc. tom. vi. coll. 631. D.—634. A.]

[v] [Ἔχουσι μὲν γὰρ οἱ κρατοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς τοῦ δεσμοῦ ἐξουσίαν, ἀλλὰ σωμάτων μόνον· οὗτος δὲ ὁ δεσμὸς αὐτῆς ἅπτεται τῆς ψυχῆς, καὶ διαβαίνει τοὺς οὐρανούς.... ὁ δὲ παρὰ Θεοῦ τοσούτῳ μείζονα ἐξουσίαν λαβὼν, ὅσῳ γῆς τιμιώτερος ὁ οὐρανὸς, καὶ σωμάτων ψυχαί.—S. Chrysost. de Sacerd. lib. iii. Op., tom. vi. p. 16. lin. 25, et 35.]

[x] ["Ut ostenderemus nihil esse in hoc sæculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius Episcopis reperiri."—Gerbertus de Dignit. Sacerd. cap. 3. apud S. Ambros. Op., tom. ii. Append. col. 359. D.]

animum juventutis informat pædagogus, ideo cedere ei oportet, qui quæsturam gerit, et circa ea versatur, quibus tamen animus longe pretiosior. Denique, qui Pontifici a Confessionibus est, eo ipso *ἀρχὴν μείζονα, καὶ τελειοτέραν* habet, eoque in foro superior est: quem tamen vix adduci (credo) posset Cardinalis, ut *componat* cum Pontifice, aut *Caput* inscribat, *De Comparatione Papæ, et Pœnitentiarii sui.*

Sed et illud quoque inique comparatum est, ut ad hanc rem opponantur ista sic inter se, *Caro* et *Spiritus, Cœlum* et *terra.* Quicquid enim sit de Provinciæ *Præside,* non *Carnem* modo curat *Rex,* curat et *Spiritum.* Nec, ut in *terra* modo populis suis bene sit, sed et sursum ad *cœlestia* respicit, idque agit, ut perducat eo commissum sibi Gregem. Et nimis libenter errorem hunc errant Pontificii, ut Regem merum *opilionem* putent, qui prospiciat hominibus de annona tantum, atque arceat ne calce alter alterum, vel cornu feriat, cætera 92
nihil curet, quasi qui imperium habeat in oves non nisi quadrupedes, vel Gregi præsit brutorum animalium. At illi rationales oves sciunt sibi creditas: sciunt, non modo hominibus, nec liberis modo, sed Christianis etiam præesse se; solliciti proin et quomodo *Spiritu* pascantur, et quomodo *ad Cœlestes* Caulas dirigantur. Cum de præficiendo, loco suo, Magistratu Deum compellaret Moses, *Provideat* (inquit) *Dominus Deus* (non carnis sed) *spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc, ne sit populus ejus sicut oves sine Pastore*[y]. A *Deo spirituum* præfecti, *spirituum* curam ad se pertinere sciunt: *Populo Domini* præfecti, curam gerent de populo ad *Dominum deducendo.* Ideo præfecti, ne *sint sicut oves sine pastore,* munus sibi pascendi commissum statuent: nec minus hoc Josue statuet, quam Eleazar. Galliones non erunt, qui de injuria et facinore sustineret libens, religionis res professus *curæ sibi non esse*[z]. At sibi *Christiani Reges,* non *corpora* modo populi in temporalibus per terrena hæc statuent: sed et *Spiritus populi Dei* in spiritualibus ad æterna gubernandos esse; ut ad *spirituum* portum (cœlum ipsum) possint tandem appellere. *Præses* forte Provinciæ, quem affatur ibi Nazianzenus, non curabat hæc, ad alia positus: Theodosius ipse curabat, ut qui non *Provinciam* modo, sed et *Ecclesiam:* nec *Præsides* tantum, verum etiam

[y] Num. xxvii. 16. [z] Acts xviii. 17.

Episcopos moderatus sit. Ostendit in Symboli formula de multis electa[a]; ostendit in Nectario ascito Constantinopoli[b], Flaviano Antiochiæ non abdicato[c], quantumvis ageret id satageretque tum Romanus Pontifex, cum suis.

> Audiamus Spiritum Sanctum, . . . 'Sine ulla contradictione minor a meliore benedicitur[d].' . . . Certum autem est Regem ab Episcopo benedici.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 32. [Op., tom. vii. col. 722. D.]

[Si quis ratione aliqua major, non ideo absolute major.]

Nec, si ratione aliqua vel respectu major meliorve aliquis, idcirco pro meliore absolute statim habendus erit. Sunt enim et alia fortasse, et plura et majora, in quibus posteriores feret. *Benedicit Sacerdos Regi.* Esto. *Benefacit,* non *Sacerdoti,* sed *Sacerdotio Rex* toti. Annon majus hoc? Εὐπραξία quidem εὐλογίας κρείττων. Etiam *benedixit* (siquid hoc ad rem) David[e], etiam Salomon[f], *omni Ecclesiæ,* in qua et *Sacerdotes* ipsi. Quidni autem et *Sacerdotibus?* quos Ezekias[g] *filios* suos nominat, ut posset proin, tanquam *filiis Pater benedicere.* Et est, apud Cusanum[h] in Glossa, *Cæsar Pontificis* ipsius in quibusdam *Pater.*

93 Nec ex eo quod *benedicit* absolute *major* est. Nam etiam tum, cum *benediceret* Regi, sic tamen affatur Regem *Pontifex,* quasi superiorem. *Præsto sum Domine. Ne suspicetur Rex adversus servum. Non enim scivit servus tuus quicquam*[i]. Sic Propheta, cum Regem adorasset pronus in terram, Regem allocutus, *Domine mi Rex, me servum tuum non vocavit. Numquid a Domino meo Rege exivit hoc verbum, et mihi non indicasti servo tuo*[k]*?* At *sine ulla contradictione* Dominus servo major. *Certum autem est* ex Pontificis ore, Regem

[a] [Εἶτα ἕκαστον τῶν γεγραμμένων δογμάτων ἀναγνοὺς, τὰ μὲν ἄλλα πάντα ὡς χωρισμὸν τῆς Τριάδος εἰσάγοντα μεμψάμενος, ἔρρηξε· μόνον δὲ τὴν τοῦ Ὁμοουσίου ἐπαινέσας ἐδέξατο.]—Socr. [Hist. Eccl.] lib. v. cap. 10. [p. 275.]

[b] [Ἀναγνοὺς δὲ ὁ βασιλεὺς τῶν ἐγγραφέντων τὸν κατάλογον, ἔστη ἐπὶ Νεκταρίῳ· καὶ σύννους γενόμενος, σχολῇ καθ' ἑαυτὸν ἐβουλεύετο, τὸν δάκτυλον ἐπιθεὶς τῇ τελευταίᾳ γραφῇ. Καὶ ἀναδραμὼν εἰς τὴν ἀρχὴν, αὖθις πάντας ἐπανῆλθε, καὶ Νεκτάριον αἱρεῖται .... καὶ βασιλεὺς ἀμύητον αὐτὸν εἶναι μαθὼν, ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἔμεινε γνώμης, πολλῶν ἱερέων ἀντιτεινόντων· ἐπεὶ δὲ πάντες εἶξαν, καὶ τῇ ψήφῳ τοῦ κρατοῦντος συνέβησαν, ἐμνήθη· καὶ τὴν μυστικὴν ἐσθῆτα ἔτι ἡμφιεσμένος, κοινῇ ψήφῳ τῆς συνόδου ἀναγορεύεται Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπος.] —Sozom. [Hist. Eccl.] lib. vii. cap. 8. pp. 287, 288.]

[c] Theod. [Hist. Eccl.] lib. v. cap. 23. [pp. 224—226.]

[d] [Heb. vii. 7.]

[e] 1 Chron. xvi. 2.

[f] 1 [al. 3.] Reg. viii. 14.

[g] 2 Chron. xxix. 11.

[h] ["Immo Patricius secundum glossam antiquam (in c. 'Adrianus,' lxiii. Dist.) pater Papæ in temporalibus fuit, sicut Papa in spiritualibus ejus pater."—Cusan.] de Concord. Cathol. [lib. iii.] cap. 3. [Op., t. ii. p. 783.]

[i] 1 Sam. [al. 1. Reg.] xxii. 12, 15.

[k] 1 [al. 3.] Reg. i. 24, 27.

Dominum esse, Pontificem servum: *Proinde, sine contradictione* major Pontifice Rex.

Sine ulla contradictione etiam minor a majore deponitur. *Certum autem est* Pontificem *a Rege* deponi, non Regem *a Pontifice,* in sacris quidem literis: *proinde, sine contradictione, potior* Pontifice Rex est. At erant Cardinali etiam argumenta quæ neglexit, multo fortiora. *Sine contradictione* minor a majore *conculcatur. Sine ulla contradictione* minoris *collum* a majore *laqueo inseritur*[l]. *Sine ulla controversia* minor majori *stapedam tenet*[m]. Neglexit quidem hæc: nam hæc nimis in rem Cardinali.

[Jam vero de Presbyteris eadem ratio est. Sunt enim Presbyteri minoris ordinis sacerdotes, et quamvis sub Episcopis, tamen potestatem ipsi quoque habent animas ligandi atque solvendi, Reges et Principes benedicendi, et Sacrificium illud admirandum celebrandi, quod Angelicas virtutes longe superat.—Bell. Apol. pro Resp. p. 32., et Op., tom. vii. coll. 722. D. 723. A.]

Verum Cardinalis noster, Presbyter modo Cardinalis est. Fuit Episcopus (non tamen Cardinalis): jam (si vera narrat) deductus est denuo in locum *Presbyteri,* (qui tamen vel Episcopis superior sit) quod Patres Chalcedonenses uno ore dicerent *sacrilegium*[n]. *Presbyteris* ergo etiam asserenda *majoritas* sua *supra Reges.* Quidni autem supra Reges? Si *Angelicas virtutes* longe superant, etiam *Cherubim* et *Seraphin* ipsos, utpote Creatores Creatoris sui[o]. Nec serio tamen ita evehet se (credo) Cardinalis super Angelos, (quamvis faciat interdum, cui faciendo nec pares sint Angeli,) ut ex facto aliquo majore *majoritatis* jus statuendum non sit. [De dignitate Presbyterorum,]

Maluit ergo de hominibus quam de cœlo exemplum sumere: de Ambrosio Theodosium arcente, ne sederet cum Presbyteris; de Martini Presbytero, præ quo nec dignus Imperator, qui pateram libaret.

[l] Stephan. de Osculat. Pedum Pon. p. 70. [Nihil ibi de laqueo inventum est. Cf. infra, p. 141.]

[m] Krantz. [Saxon.] lib. vi. cap. 16. [p. 147. Francof. ad Mœn. 1575.]

[n] [*Ἐπίσκοπον εἰς πρεσβυτέρου βαθμὸν φέρειν, ἱεροσυλία ἐστίν.*—Conc. Chalc.] Can. xxix. [Conc. tom. iv. col. 770. C. D.]

[o] ["Anno MXCIX. Urbanus Papa .... magnum Concilium tenuit Romæ, in quo excommunicavit .... eos, qui pro ecclesiasticis honoribus laicorum homines fiunt; dicens nimis execrabile videri, ut manus, quæ in tantam eminentiam excreverunt ... ut Deum cuncta creantem suo signaculo creent .... in hanc ignaviam vel stultitiam detrudantur."—Rog. Hoved. citat. in Concil. Romano.—Conc. tom. x. col. 617. D. E.]

Quare S. Ambrosius, cum Theodosius Imperator in Presbyterio sedere vellet, jussit eum arceri, dicens, 'Purpura Imperatores facit, non Sacerdotes.'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 32. [Op., tom. vii. col. 723. A.]

[Testimonia S. Ambrosii,] De Theodosio ita se res habuit. Mediolani tum erat, oblatione peracta substitit intra Cancellos, uti semper solitus in Oriente, ubi scilicet intra Cancellos Imperatori locus. Is Mediolani mos non erat. Nulla enim ibi sedes, nisi Presbyteris. Monuit Imperatorem ea de re Ambrosius. Imperator monitus eo se recepit, ubi locata illi sedes[p]. *Imperatoris purpuræ* (etsi Sacerdotem eum purpura non faceret) Constantinopoli tamen in Presbyterio locus: Mediolani non erat. Regioni scilicet cuique mos suus peculiaris. Pro Regionis more sedendum ibi atque incedendum. Ne assistit quidem *Altari* Imperator: Etiamne *infra Subdiaconos* amandabit, qui assistunt? Nec Ambonem conscendit: Etiamne et *infra Lectores* Imperator, qui ascendunt? Quam hæc levia? ut is major sit semper, qui loco sedeat vel stet, quo alter non potest? Est et locus (credo) Constantinopoli, ubi Papa ipse non sedeat: si sedeat, summovendus. Poterat tamen Cardinalis a verbo *arcendi* abstinere. Monitus modo est: verbo autem hoc *arcendi* lector intelliget forte, quasi vis Cæsari facta tum, quasi Cæsari jam vim fieri vellet, hoc exemplo.

94

Cum... narravisset Sulpitius S. Martinum aliquando ad convivium Imperatoris Maximi cum uno ex presbyteris suis rogatum accessisse, ita subjunxit; 'Convivæ .... aderant velut ad diem festum evocati, summi, atque illustres viri, præfectus idemque consul Evodius .... Comites duo .... Frater Regis et Patruus. Medius inter hos Martini Presbyter accubuerat: Ipse autem sellula juxta Regem posita consederat. Ad medium fere convivium, ut moris est, pateram Regi minister obtulit, ille Sancto admodum Episcopo dari potius jubet, expectans atque ambiens, ut ab illius dextra poculum sumeret. Sed Martinus ubi ebibit, pateram Presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorem, qui post se (prior) biberet: nec integrum sibi fore, si aut Regem [ipsum], aut eos qui a Rege erant proximi, Presbytero prætulisset[q].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 33. [Op., tom. vii. col. 723. A. B.]

[et S. Martini.] Sequitur argumentum a *Poculis*, nec sane, nisi in *Martini*

[p] [Προσενεγκὼν δὲ, ὥσπερ εἰώθει, ἔνδον παρὰ τὰς κιγκλίδας μεμένηκεν· ἀλλὰ πάλιν ὁ μέγας Ἀμβρόσιος οὐκ ἐσίγησεν, ἀλλ' ἐξεπαίδευσε τὴν τῶν τόπων διαφοράν· καὶ πρῶτον μὲν ἤρετο εἴ τινος δέοιτο· τοῦ δὲ βασιλέως εἰρηκότος, ὡς προσμένει τὴν τῶν θείων μυστηρίων μετάληψιν, ἐδήλωσεν, ὑπουργῷ τῷ τῶν διακόνων ἡγουμένῳ χρησάμενος, ὅτι τὰ ἔνδον, ὃ βασιλεῦ, μόνοις ἐστὶ ἱερεῦσιν βατά· τοῖς δὲ ἄλλοις ἅπασιν, ἄδυτά τε, καὶ ἄψαυστα· ἔξιθι τοίνυν, καὶ τοῖς ἄλλοις κοινώνει τῆς στάσεως· ἀλουργὶς γὰρ βασιλέας, οὐχ ἱερέας ποιεῖ.—Theod. Hist. Eccl. lib. v. cap. 18. p. 218.]

[q] [Sulp. Sev. de Vita B. Martini, cap. xx. Op., pp. 339, 340.]

feria, proferendum. At in Martini tamen facto ipso nihil incommodi; quicquid est, id ex Severi glossa totum est. Quod enim fecit ille, posset quis interpretari forte commode; verum quod existimasse eum dicit Severus, (nempe *integrum sibi non fore, si Regem presbytero prætulisset*) id ad *Glossam* Severi pertinet, non *factum* Martini. Nam id Martinus alio consilio fecisse poterat: nempe, ne rudis esset, et in bonos mores peccaret, si postquam (quando ita voluit Imperator) bibisset ipse jam, *Imperatori* pateram porrexisset: aut, siquem putasset ibi præter Presbyterum suum, qui se inferior esset, cui tum pateram porrigere potuisset.

At, quæ Martino in eo mens, qui potuit Severo constare, nisi Martino referente? Severus retulisse non dicit; sed si ita retulit, et tanquam de bono facto gloriatus est, *gloriatio* ipsa *non bona*[r], nec quæ Sanctum decere posset. Nisi si ideo fecit, quod Maximum, cum proditorem perfidum sciret, et parricidam Domini sui[s], honorem ei, tanquam Imperatori, habere noluit. Sed, si ita inter scyphos, Presbyterum suum majorem Maximo existimavit; cur initio *post Fratrem Regis* passus est accumbere? Cur non sibi proximum? imo cur Martinus ipse dignatus *sellula sedere juxta Imperatorem?* cur non uterque, Martinus et Presbyter, sellulis non *juxta*, sed *supra* Imperatorem ipsum positis, accubuerunt? Cur non Regem ad tertium usque locum (qui suus erat) summoverunt? vel (ut Cardinalis voce utar) cur non *locum* tertium *capessere* 95
jusserunt? Quodsi Imperatorem digniorem existimavit, qui ante se *sederet*, cur non qui *biberet?* Quando *integrum sibi non putavit fore*, si in *bibendi* ordine *Regem Presbytero prætulisset;* cur et illud quoque *non integrum*, si et *sedendi* ordine Regi Presbyterum posthabuisset? An est Martini honor omnis in Poculis? at solebat in *Sede* potius prima honor esse; et in πρωτοκλισίαις, non πρωτοποσίαις. Lis ergo nobis ex æquo pendet, tam Maximus Martino major, quia ante eum sedit, quam minor Martino, quod post eum *bibit*.

Sed, dic etiam de *Patera:* in ea cur Martinus ministrum non prævortit? cur non præripuit Regi pateram? cur non ministrum corripuit, quod Regi pateram primo porrexisset, non sibi, nempe quo dignior esset non ipse modo, sed et

[r] [1 Cor. v. 6.]

[s] [Vide Socr. Hist. Eccl. lib. v. cap. 11. pp. 276, 277.]

ipsius quoque presbyter? Cessit quidem de jure suo, cum sedere presbyterum sivit loco quarto, *Sellula* juxta, non supra Imperatoris Fratrem. Amittit autem in *Sellula*, quod lucratus in *Patera:* tantundem decedet hac, quantum accrevit illa. Si Cardinalis *Pateram* nominabit, alter *Sellulam*, quod illum mordeat.

Vides, Rex, quale fuerit judicium Martini viri omnium ore laudatissimi de dignitate presbyterorum. Quodsi quicunque presbyteri, solum quia presbyteri, tali ac tanta dignitate præditi sint, ut etiam Regibus præferantur; quis jure mirabitur, si Cardinales æquales Regibus a nonnullis esse dicantur?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 33. [Op., tom. vii. col. 723. B. C.]

Indigna hæc quidem, quæ vel proponat quis, vel refellat: sed sine tamen paulisper sequar Cardinalem. *Vides, Cardinalis, quale fuerit judicium S. Martini viri omnium ore laudatissimi, de dignitate* Imperatorum: qui *Sellula* modo *juxta* Imperatorem posita considere voluit: qui Presbyterum suum, *quarto* tandem *loco* sivit accumbere; non modo post Imperatorem, (post quem et Martinus ipse) sed et post fratrem Imperatoris. *Quodsi* Frater Regis, solum quia Frater, *tali ac tanta dignitate præditus sit,* ut etiam *S. Martini, viri omnium ore laudatissimi,* Presbytero præferatur; *quis jure mirabitur,* si Rex ipse, Presbytero Cardinale superior, ab iis qui Regibus bene volunt, jure censeatur? Sed respondeo: Martinus, cum in manu pateram haberet, eam cui voluit porrigere poterat, (vel ministro,) at non id una facere, ut cui porrigeret superior is esset. Alia enim regula, quis superior sit, quam cui pateram Martinus porrigit. Atque hæc, de *majoritate* presbyterorum, udo in loco atque lubrico, nempe in *poculo S. Martini* posita.

Porro de Diaconis Ecclesiæ Constantinopolitanæ S. Chrysostomus, in ipsa urbe Regia, in qua Imperator residebat, affirmare non dubitavit, majorem eos ipsis Imperatoribus habere potestatem. Sic enim ad eos loquitur, Hom. lxxxiii. in Matt. 'Si Dux quispiam, si Consul ipse, si is qui diademate ornatur, indigne adeat, cohibe et coerce, majorem tu illo habes potestatem[t]," etc.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 33. [Op., tom. vii. col. 723. C.]

[De dignitate diaconorum test. S. Chrysost.] 96

De Martini presbytero dixit, Dignior ille Rege; idem de Chrysostomi Diacono jam dicturus; in quo gratificari vult etiam et *Diaconis Cardinalibus.* Non enim interventu Regis cujusquam interturbari oportet pompam Cardinalium; quare

[t] [Κἂν στρατηγός τις ᾖ, κἂν ὕπαρχος, κἂν αὐτὸς ὁ τὸ διάδημα περικείμενος, ἀναξίως δὲ προσίῃ, κώλυσον. μείζονα ἐκείνου τὴν ἐξουσίαν ἔχεις, κ. τ. ἑ.— S. Chrysost. Hom. lxxxii. Sav. (al. lxxxiii.) in S. Matt., Op., tom. ii. p. 515, lin. 7.]

Reges in agmen ultimum rejiciendi, ut ibi sequantur, si volent, et sint *post Diaconos.* Id autem argumento sane magno, quod *Diaconi Constantinopolitani majorem iis potestatem habeant.* Absolutene majorem? Non. Sed *ad eos cohibendos, qui indigne accedant ad mensam Domini.* Sed quid? majorne ex eo quis, quod potestatem habeat *ad cohibendos?* Etiam ostiarii, *ad canes cohibendos,* ne in templum intrent: Etiam Subdiaconi, ad *muscas cohibendas,* ne in calicem involent, apud Clementem[u]. Etiam lictor Imperatoris *majorem* Pontifice potestatem habet, ad turbas summovendas. Ergone Pontifice *major?* Potestas quidem si esset vel ad *majora,* non concluderet: *major* autem ad minima hæc potestas nihil prorsus efficit. Potest id Presbyter, *quod virtutes Angelicas longe superat,* creare Creatorem suum, nec est ex eo tamen, nec Cardinalis (puto) dicet majorem Angelis.

Si Diaconi Constantinopolitani, Chrysostomo auctore, majorem Ducibus, Consulibus, et ipso etiam Imperatore potestatem habebant, cur non eadem habeant Diaconi Romani, atque ii potissimum, qui Cardinales, id est principales, totius orbis terræ Diaconi sunt?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 33. [Op., tom. vii. col. 723. C. D.]

Age tamen, *Si Diaconi Constantinopolitani* (*Chrysostomo auctore*) *majorem ipso Imperatore potestatem habeant,* ad indignos ab Eucharistia cohibendos, *cur non potissimum ii, qui Cardinales,* (*id est* [*principales*]) *totius Orbis terræ Diaconi sunt, eadem habeant?* Nihil, quod scio, impedit. *Majorem* Cæsare potestatem habeant, *indignos cohibendi* a temerandis Sacris: nisi quod, in Missis privatis (quæ Romæ fere frequentiores sunt) nemo prorsus est, quem arceant, quem *cohibeant,* qui accedat digne vel indigne; ut otiosa sit illis *major* sua *potestas,* pro qua ita dimicat. Et aliquot jam sæcula reor, ex quo Diaconus aliquis Cardinalis *cohibendi* potestate hac sua *majore* valde usus fuerit; *cohiberet* autem forte et Pontificem interdum. Nec enim digne semper accedit vel ipse Pontifex: atque ita Pontifice ipso *major* esset.

Quanquam, ut illa tum erant tempora, non largiti essent Diaconi Constantinopolitani consequentiam hanc suam Cardinali: aut *Diaconos Romanos principales totius Orbis terræ Diaconos fuisse.* Cum enim Urbici Sacerdotes ἐπιχωρίοις *majores* sint; et inter Urbicos ii, quorum est urbs ipsa præ-

[u] [Const. Apost. lib. viii. cap. 12.—Coteler. Patr. Apost. tom. i. pp. 398, 399.]

stantior, *Constantinopolitanis* autem tum *urbs ipsa Regia esset in qua Imperator residebat*[v]; *majorem* ex eo Episcopum suum *Romano*, se quoque *Diaconis* ejus *majores* asseruissent.
97 Joannes[x] (uti nosti) fecit; fecit Cyriacus[y]; nec *Diaconi Romani cohibere* poterant. Facturi id vero perpetuo, nisi Phocas quidem, qui *majorem Diaconis Constantinopolitanis* habebat potestatem, potestate illa sua *majore cohibuisset*. Quin et Ravennates, jam inde ex quo sedem ibi suam Gothi primum, post Exarchi habuerunt, Cardinales suos habuerunt, qui negotium Romanis de Majoritate facesserent[z], nec *majore* illa Diaconorum potestate cohiberi vellent.

Jam enim discere potuit (Rex) ex Patribus ... quo loco et [aut] pretio habendi sunt Episcopi, Presbyteri et Diaconi.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 34. [Op., tom. vii. col. 723. D.]

Collige jam. *Episcopi quicunque majores sunt Regibus*[a]. *De Presbyteris eadem ratio est*[a]. *Diaconi majorem ipso etiam Imperatore potestatem habent*[b]. (Agnoscit enim Cardinalis verba sua.) Ex istis jam *discere* Regem jubet, *quo loco et pretio habendi sint:* altiore scilicet *loco*, majore *pretio*, *loco et pretio* supra vel Cæsarem, vel Reges ipsos.

At (inquit) Cardinalatus nova est Paparum institutio. Non ita est. Nam si Cardinales, ut Episcopi, Presbyteri, et Diaconi considerentur, a Christo ipso instituti sunt, et ab initio Ecclesiæ usque ad nostra tempora perdurarunt. Itaque tam sunt antiqui, quam antiqua ipsa Ecclesia est.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 34. [Op., tom. vii. col. 724. A.]

[Cardinalatus nupera institutio.]

Post autem, *Cardinalatum* suum *novam institutionem* dici non sinit; Canitiem illi appingit. Multiplici tamen *consideratione* res opus habet. *Nam si considerentur Cardinales* (inquit) *ut Episcopi, Presbyteri, et Diaconi, a Christo Ipso instituti sunt, et ab initio Ecclesiæ ad nostra usque tempora perdurarunt. Itaque tam sunt antiqui, quam antiqua ipsa Ecclesia est.* Par autem de Jesuitis faciat, cum volet, qui et ipsi Diaconi sunt et Presbyteri: quique, *si ut Presbyteri et Diaconi considerentur, a Christo etiam Ipso instituti sunt, et ab*

[v] [*τὴν βασιλείᾳ καὶ συγκλήτῳ τιμηθεῖσαν τὴν πόλιν.* Conc. Chalc. Can. xxviii.—Conc. tom. iv. col. 770. B.]

[x] [Vide S. Greg. M. lib. v. Ind. xiii. Ep. xviii. (ad Joan. C. P.) Op., tom. ii. coll. 742. 743.—Ep. xx. ibid. coll. 748. 749.—Ep. xxi. ibid. coll. 750. 751.—Ep. xliii. ibid. coll. 771—773.]

[y] [Vide Anast. Vit. Bonif. III.—Conc. tom. v. col. 1615. A.]

[z] [Vide Jacobatium de Conciliis, lib. i. De Ordine Sedendi in Conc.—Conc. tom. xvii. p. 40. col. 2. D. E.]

[a] [Bell.] Apol. [pro Resp.] p. 32. [Op., tom. vii. col. 722. D.]

[b] Ibid. p. 33. [col. 723. C.]

initio Ecclesiæ usque ad nostra tempora perdurarunt: tam antiqui, quam antiqua ipsa Ecclesia est. Quam anguste vero hoc? a Christi sæculo tantum? Juvabo, si placet, Cardinalem. *Nam si considerentur Cardinales ut Presbyteri et Diaconi, a Deo ipso instituti sunt*, sub Lege. Diaconi enim in Levitis, Presbyteri in Sacerdotibus. *Itaque, tam antiqui sunt, quam antiqua ipsa* Synagoga *est.* Nec defuerunt, qui ultra Christum arcesserent, et argumento non dissimili olim *idiotis suis* persuadere conati sunt, Matrem Samuelis Annam, de *Cardinalibus* prophetasse verbis illis[c], *Domini sunt Cardines terræ*[d]. Cardines (id est) *Cardinales*, super quibus diu jam, quæ debuit quiescere, movetur terra. Magis etiam juvabo. *Nam, si Cardinales ut homines considerentur, a Deo ipso in Adam plasmati sunt, et ab Orbe condito usque ad tempora nostra perdurarunt. Itaque tam sunt antiqui, quam antiquus est Orbis ipse.* Qua ergo ratione a Christo potuit, potuit vel a Paradiso usque arcesserc. Quod si autem, *ut terra considerentur*, (nec alia constant massa vel *Cardinales*) ad primum Geneseos versum reducat licet, ubi *Deus in principio creavit terram.* Vide vero, ne et id quoque ad rem sit, quod אדמה *Adama* (unde 98
scilicet fabricatus est hominem primum) terram *rubicundam* significet, forte autem ut indicaret nobis colorem, quo tingendi a Papa Cardinales sui. Quid enim obstat, *si considerentur ut Presbyteri*, quin et *ut homines considerentur?* Nam *Cardinales nihil aliud sunt, quam homines Electores et Consiliarii Pontificis;* qui, si præter sacrum ordinem *Electores* sint, erunt etiam præter sacrum ordinem considerandi. Sacer ordo Cardinales non facit; (plures enim faceret quam par est;) Sacer ordo proin in Cardinalibus considerandus, non magis quam Humanum genus.

2. *Electio Pontificis* erat, quæ olim quidem Cardinalem non constituit, jam constituit. Sed, vel sic ei ilia ducit[e] argumentum. Hac enim *si considerentur*, qua Pontificem elegerunt, irruerent nimis multi, *omnes* scilicet *in communi* urbis Presbyteri et Diaconi, tam pullati, quam purpurati: cresceret numerus nimio plus quam par. Apage vero, non placet *considerari* tam multos. Nec *Presbyteri*

[c] [Vide Jacobatium de Conciliis, lib. i. § De Cardinal.—Concil. tom. xvii. p. 22. col. 1. C.]

[d] 1 Sam. [al Reg.] ii. 8.

[e] [Cf. Hor. Ep. I. 1. 9.]

modo omnes et *Diaconi*, sed et *Populus* quoque *Romanus*, qui et ipse *Pontifici eligendo* ab initio intervenire solitus. Abjecit jam infra *Clerum* Cardinalis *Cæsarem* et *Reges*; etiamne et infra *populum* abjiciet, cum *Pontificis eligendi* olim officio fungeretur?

Hoc solum interest inter antiqua tempora et recentia, quod olim ob paucitatem personarum, non distinguebantur Presbyteri et Diaconi Romani Cardinales [a non Cardinalibus], sed omnes in communi hoc officio fungebantur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 34. [Op., tom. vii. col. 724. A.]

[Cardinales olim non distincti ab alio Romano clero.]

At quod ibi *solum* (ait) *interesse: omnes in communi hoc munere perfungi tum solitos, nec Cardinales Presbyteros distinctos a non Cardinalibus*, tanti (credo) est, ut utramque paginam faciat: ut in eo positæ sint fortunæ Dominorum *Cardinalium*. Vilescere enim necesse esset, et obnubilari mirifice *Cardinalium* auctoritatem, si tam essent hodie *novi multi*, quam erant olim *multi antiqui* Electores. *Hoc solum interesse* dicit? At in *hoc solo* sunt omnia. Cur enim exclusi reliqui? cur conclave una non ingrediuntur? cur *omnes in communi* eum non *eligunt*, qui *omnium in communi* Episcopus futurus est? Cur non *ad antiqua tempora* revocanda res? *Distinguebantur* enim vel tum *Cardinales*, id est, *principales* a minus principalibus. Et cum multi essent unius Ecclesiæ ministerio deputati, unus erat inter multos, qui *Cardinalis* clueret. Sed multis illis quid fiat, Cardinalis non multum curat. *Vetera transierunt*[f], porro, *considerari rem* oportet de *novo*.

99 Postea vero crescente numero Presbyterorum et Diaconorum, et confusionem ac tumultus varios ipsa multitudine pariente, necesse fuit paucos ex multis seligere, qui hoc munere fungerentur, atque ii dicti sunt Episcopi, Presbyteri, et Diaconi S. R. E. Cardinales.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 34. [Op., tom. vii. col. 724. A. B.]

[Munus Pontificis eligendi ad paucos postea redactum.]

Tertia autem illi *consideratio* est, *ut revocetur ad paucos res, seligantur* pauci. *Seligantur* unde? E Clero Romano solo, ad quos solos ab antiquo jus hoc spectabat. Quare ergo de Gallicano, Hispano, Germano, Polono Clero *alleguntur* hodie, quibus *eligendi* Romani jus nullum? Quorsum autem *seliguntur* pauci? ut hi soli jam eligant? At qui a Clero et populo olim electi Pontifices, multo posterioribus antestant eruditione, prudentia, vitæ sanctitate; multo his hodie, qui a pauculis vestris selectis Ecclesiæ obtruduntur.

[f] [2 Cor. v. 17.]

At, *confusio* tum et *tumultus*. An ex quo *pauci* in Conclavi, *tumultus* nulli, nulla *confusio?* Annon *plures* Antipapæ, secessiones *plures, plura* schismata, postquam *res rediit ad paucos?* Et hi qui *Romæ* dant Episcopum, cur magis dicantur *Cardinales*, quam qui reliquis Ecclesiis? Aut cur id in Urbe non faciunt *Canonici Lateranenses*, quod, præterquam in urbe, *Conventus Canonicorum* facit, seu Religiosus sit, seu Capitularis? Saltem, cur non *Canonici* dicantur qui *eligunt*, sed *Cardinales?* Quid est in voce *Cardinalis*, quod ad *Electionem* faciat, vel *Consilium?* Quare, Cardinali hic nondum *considerata* satis res est.

Per annos quidem plus mille si considerentur, isti (quos quærit) *Cardinales* nondum vel dicti vel facti sunt; neque, vel cum Sanctus Hildebrandus eligeretur, (quem nuperrime jam Cardinalis *Sanctorum* in *Fastos* retulit[g].) Quare frustra *judicium* de iis, et *testimonia Patrum veterum* pollicitus est.

Neque hæc revocatio ad paucos, et eminentia quæ inde secuta est Cardinalium, tam recens est, ut nova dici possit, cum anni quingenti vel sexcenti ab eo tempore numerentur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 34. [Op., tom. vii. col. 724. B.]

De quibus, ita jam non laborat, ut satis ci sit, (quicquid de *judicio* fiat *Patrum* et *veteris Ecclesiæ*) si *selecti* ejus Presbyteri, qui tum demum, nec ante veri nominis *Cardinales* erant, *recentes non sint:* saltem *non adeo recentes, ut novi dicendi sint; qui annos quingentos*, forte etiam (necdum enim de numero liquet) *sexcentos numerent*. Videat hic tamen Cardinalis, *anni* si *quingenti* satis sint, ut non *novi:* ne et anni *bis quingenti*, ante *quingentos* hos ultimos, satis superque sint, ne *antiqui* habeantur. Ad nostra forte tempora, qui hesterni sumus, *novi* non erunt: sed alia est in Ecclesiis *novitatis* ratio et *vetustatis;* Sæculum scilicet Christi et Apostolorum: ad quos si comparentur *Cardinales* hi, *nuperi* sunt atque *novi*. [Idque recentioribus temporibus.]

Multa enim scribit de Cardinalium amplissima dignitate... Petrus Damiani in Epist. ad Cadaloum Antipapam[h].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 35. [Op., tom. vii. col. 724. B.]

Considerata tandem re, prodit pro *antiquitate* Cardinalium Petrus Damiani, Hildebrandino demum sæculo Cardinalis [DeCardin. dign. quid scripserint Petr. Damiani,]

[g] [Vide Bell. de Excus. Barcl. cap. iv. Op., tom. vii. col. 864. C.]

[h] ["Taceamus interim de Senatu, de inferioris ordinis clero, de populo. Quid tibi de cardinalibus videtur Episcopis? qui videlicet et Romanum Pontificem principaliter eligunt, et quibusdam aliis prærogativis, non modo quorumlibet Episcoporum, sed et Patriarcharum, atque Primatuum

100 ipse, nec purpuratus tamen. Is si *Cardinalitiam* dignitatem tum in herba non foveret aliqua, non dignus Galero, vel Ostro, (non possum dicere, Galerus[i] enim *recentior* adhuc est, atque Ostrum) sed dignus, qui ostio excluderetur, cujus *cardines* rubigine obduci sineret tam cito. Et ille tamen vix (credo) persuadet Cardinali, *Cardinales esse septem oculos illos super lapidem unum in Propheta Zacharia:* aut *septem Candelabra aurea, quorum in medio Jesus discurrit in Apocalypsi.* Sed et eodem loco mentio fit, *De senatu, de inferioris ordinis Clero, de populo Pontificem eligente.* Nunquam igitur Cardinalis Damiani Conclave ingressus est; non magis *Elector*, quam quivis de *inferiore Clero.*

Multa (item) scribit S. Bernardus, lib. iv. de Consid., ubi præter cætera dicit Cardinales de omni orbe esse eligendos, quoniam totum orbem sunt judicaturi[j].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 35. [Op., tom. vii. col. 724. B.]

[S. Bernardus,] Bernardus autem centum adhuc annis minor est; nec tempestivus intervenit cum testimonio suo, qui vult eos *De omni Orbe eligi,* (in Cleri *Romani præjudicium non modicum, et gravamen,*) cujus eos vices gerere dicit Cardinalis, nec proin nisi de *totius Orbis* gremio *eligendos.* De quo cavebunt (credo) Pontifices. Nam, quod de aliis orbis partibus interdum adoptentur nonnulli, non eo fit, ut *Orbem judicent.* Alleguntur enim fere, ut partem *Orbis* quisque suam Romæ servet *judicandam:* ne (quod diu jam *Orbis* cupit) ab *Orbe* Roma in *judicium* vocata, pro suis in *Orbem* injuriis, merito *judicetur.*

Abbas Urspergensis in Chronico ad ann. 1116. testatur in Concilio Generali sub Paschali secundo, vocatos Cardinales potiora membra Ecclesiæ[k].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 35. [Op., tom. vii. col. 724. C.]

[Conrad. Ursperg.] At Abbas Urspergensis, interdum (ubi pro Cæsare contra Papam facit) Auctor Schismaticus[l]; hic, quia nescio quid

jura transcendunt? Salvo quippe universitatis Ecclesiæ sacramento, isti sunt oculi unius lapidis, id est, Romanæ Ecclesiæ. De quibus apud Zachariam dicitur: *Ecce,* inquit, *lapis quem dedi coram Jesu.* Super lapidem unum septem oculi sunt. Ipsi lucernæ unius candelabri, de quibus ipse postmodum loquitur dicens: *Vidi, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas ejus super caput ipsius, et semper lucernæ super illud.* Ipsi sunt et candelabra, in quorum medio Jesus, juxta beati Joannis verba, discurrit."—Pet. Damiani, lib. i. ep. xx. ad Cadaloum, Op., tom. i. p. 17. col. 1. E. col. 2. A.]

[i] [Vide Plat. Vit. Innoc. IV. in Vitis Pontif. p. 223.]

[j] [S. Bern. de Consid. lib. iv. cap. iv. Op., vol. i. (tom. ii.) col. 439. B.]

[k] [Conrad. Ursperg. Chron. p. 260. Basil. 1569.]

[l] [Vide Baron. Ann. Eccl. ad ann. 1080. Num. xviii. tom. xii. col. 564.]

memorat de Cardinalibus, Classicus jam Auctor est: Ille autem Bernardo adhuc centum annis junior, Transubstantiationis sæculo, quo et Cardinales ipsi tandem *transubstantiati*, certe quidem *transaccidentati;* purpurei enim facti, ab Innocentio IV., ac ita demum speciem aliquam mundus videre visus est effulgentis Cardinalitiæ dignitatis. Facti autem sic purpurei, ut vel ad sanguinem pro Pontifice contra Cæsarem tum Fridericum II. atque suos decertarent: atque ita *potiora hæc Ecclesiæ membra* Cardinales, Cæsares (qui olim Ecclesiæ *membra potissima* erant) membratim atque artuatim delumbarent.

Hanc vero eminentiam dignitatis neque Rex probare poterit ex connivenția, vel lenitate Principum temporalium processisse.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 35. [Op., tom. vii. col. 724. C.]

Factum hoc, *conniventia Principum*, qui, nisi semisomnes tum sedissent, strumas hasce mature incisas oportuit, ne ad tantum tumorem excrescerent, ut non strumæ jam, sed pro *membris Ecclesiæ potioribus* habeant se saltem, etiam ab *idiotis* forte pro talibus habeantur. *Eligerent* Pontificem qui olim, Romani Presbyteri cum suburbicariis Episcopis, approbante *electionem* Cæsare; penes quos, cum esset *electio*, non tam fulgebant quidem tum vel rutilabant, non tam aliis omnibus imminebant, ut se *Regum æquales* vel *æmulos* palam ausi sint profiteri, nec scribebant Capita *de comparatione Regis, et Cardinalis*. Clerus Romanus, si suum in *eligendo* jus retinuisset, Cæsar si suum, saltem in confirmando, non extuberasset usque adeo dignitas hæc: subsidet autem, si priscum jus repetant. Non factum hoc: non initiis occursum est. Eminent ergo jam, præeminentque vel Regibus ipsis, *coadjutores Pontifici*, non tam *in regenda universali Ecclesia*, quam in *universali potestate Regia* magis indies magisque proterenda.

[Hæc eminentia Card. e regum incuria exorta.]

101

Sed etiamsi Cardinalis Bellarminus parentes habuisset opifices, aut rusticos, modo Catholicos, et pios, non erubesceret, cum sciat Principum Apostolorum, alterum piscatorem, alterum Tabernaculorum opificem fuisse, David quoque Regem a pascuis ad Regnum evectum esse, et Christum Dominum nostrum fabrum, et fabri filium dici.... Et Apostolum audiat, ...1 Cor. i. ... 'Non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus,' etc.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 36. [Op., tom. vii. col. 725. A.]

Quorsum vero illa, David *de pascuis*, Petrus *Piscator*, Paulus *tabernaculorum opifex*, et (quæ ibi sequuntur) *stulta*

[De humili ortu Card. Bellarmini.]

mundi? An ut doceat, qui nullo *natalium splendore* sunt, fieri posse *Cardinales?* Quis negat? plus etiam quam *Cardinales*, ut Perettus nuper[m], ut nunc etiam de Camillo Pontifex[n]? an potius, ut non exprobrandam ei *Natalium obscuritatem?* Probrum ne faciat, et non patietur; (quod non Petrus, non quisquam eorum fecit, quos ibi nominat). Ne se sic attollat, non deprimetur; quanquam non tam deprimere hoc fuit, quam reprimere. Nimia enim hæc insolentia falcem suam in Regis messem mittere, Regem lacessere, (quod fecit Epistola sua;) Tortum se facere, ut sub larva Regi probrum faceret. Dixit quæ non debuit, audiit quæ noluit. Nec id unquam efficiet, siqui sunt in cœtu Cardinalium, Columnæ, vel Ursini, vel Medicei, (cætera pares cum sint,) quin se *nobilitate* sua aliquatenus præ reliquis eminere sentiant, nec, si opus est, taceant. Quibus frustra occinat Cardinalis sua *stulta mundi.* Obtinuit enim, qui nobiles sunt, (*qui nisi probrum cætera indelicta existimant*[o],) utcunque si lacessiti non sunt, moderate se gerant (nec Regem quisquam hac laude vicerit,) ubi quid detrahas, ubi parum pro dignitate habeas, bona sua nosse incipiunt, et qua dote superiores sint, nec componi se nisi cum Nobilibus facile patiantur. Cujus, vel si volet, periculum faciat domi, inter Cardinales Collegas suos.

Avunculum vero habuisse Marcellum secundum Pontificem Maximum, cujus ea virtus et doctrina fuit, ut etiam ab hostibus testimonium acceperit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 35. [Op., tom. vii. col. 724. D.]

Nam, quod *maternum genus ad Marcellum Cervinum refert,* nova jam quæstio de Marcelli genere. Eum Richardi Astrologi filium fuisse constat, de cujus *nobilitate* quam non magna,
102 sat innuit Onuphrius[p], cum, negando *non obscurum,* affirmando *genus ejus mediocre* scripserit. Interim, gratulamur ei de *Avunculo* suo, quem, si ita sanctus fuit, utinam imitetur, et ipse par, vel *ab hostibus, testimonium accepturus:* In quibus inest (ut videtur) candor aliquis, qui *virtuti* vel *in hoste testimonium* ferunt: (quanquam quis se ejus, quem sanctum

[m] [Sixtus V.]
[n] [Paulus V., ante Pontificatum Camillus Burghesius.]
[o] [Attius apud Festum de Verb. Sign. lib. xiv. in voc. 'Probrum.']
[p] ["Non obscuris parentibus," "gente Cervina, apud suos honorata." Vide Onuphrium in Vita Marcel. II. p. 354. ad calc. Plat.]

scribat et doctum, hostem profiteatur?) Utinam (inquam) imitetur. Ferunt enim minime malum fuisse. Nam nec in Pontificatu tam diu fuit, ut malus inde fieret, (viginti modo dierum Pontifex.) Ideo autem, ut ferunt, non fuit, quod *Curiæ* vestræ corruptelas satis et nosset, et notasset; et vero, quomodo serio reformari possent, versaret animo. Agnovisse certe ferunt nec dissimulanter nævos in Ecclesia vestra multos: nec si *Controversias* scripsisset, sic singula, etiam quæ defendi non possunt, (quod *Nepos* ejus facit,) mordicus per fas, nefasque, defensurum fuisse; imo, ex iis multa, quæ *Nepos* ejus defendit, correcturum.

[Rex de rebus sibi incognitis et sine auctore loquitur.] Non est verum Diaconos Cardinales habuisse olim titulos Parœcienses. Tituli enim Parœciarum solis Presbyteris dabantur, Diaconis autem Ecclesiæ aliæ, quæ Diaconiarum nomen habebant.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 37. [Op., tom. vii. col. 725. C.]

[Tituli parœcienses Diaconis sæpe traditi.]

Quam vero post *humiles myricæ*[q] *Cardinalem juvant?* quas ibi festucas carpit? *Diaconias modo datas Diaconis, Parœcias Presbyteris.* Distinguit hic Cardinalis, ubi Pontifex non distinguit. Quis enim nescit, a Sixto IV. jam, ac Alexandro VI. et *paræcias* Diaconis, et *Diaconias* presbyteris promiscue traditas, et a Pontificibus ipsis confusas? Confuse ergo jam capiuntur, (quod Regio instituto satis:) qui de rebus ibi locutus *cognitu* quidem non valde dignis, nec tamen *incognitis.* *Aquila* si esset Cardinalis, ita *muscas non caperet*[r].

Neque verum est olim presbyteris et Diaconis cujuslibet Cathedralis Ecclesiæ permissum fuisse titulum Cardinalitium,... ac ne in Romana quidem Ecclesia tempore S. Silvestri omnes Diaconi Cardinales erant, sed soli septem. Tempore autem Symmachi Pontificis soli viginti octo erant tituli . . . Presbyterorum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 37. [Op., tom. vii. col. 725. C.]

[In plurimis Ecclesiis sunt Cardinales.]

Alia jam minutia. Quod non sint in *Ecclesia qualibet Cathedrali Cardinales.* Ubi tamen *sine auctore* loquitur Cardinalis, et Canonistas adversantes habet, qui in omni *Cathedrali* eos, qui præ cæteris *Cardines Chori,* nimirum quibus rei divinæ cura præcipua commissa est, ubique *Cardinales* appellitant[s].

[q] [Virg. Ecl. iv. 2.]
[r] [Erasm. Adag. p. 131.]
[s] [Conf. Jacobat. de Concil. lib. i. 'De Cardin.' p. 19. col. 2. B, apud Conc. tom. xvii.; et Decretal. Greg. lib. i. Tit. xxiv. 'De Offic. Archipresb.' cap. ii. 'Ministerium.' in Gloss. ad voc. 'Cardinalium.' Corp. Jur. Can. tom. ii. col. 319.]

Sylvestri autem *Diaconos*[t], et Symmachi *Presbyteros*[u] quorsum nobis memorat? Quid vobis et illis commune tandem? Non tam *silvescebant* Cardinales *Silvestri* sæculo, Insignia nulla habebant, nihil eorum, per quæ vos jam *Cardinales* estis: ut a *Sylvestro* vobis *συμμαχία* nulla, vel *Symmacho*. Vidisset illos quis, vos jam videret, erumpat in vocem Comici, *Cardinalis Cardinali* quid interest[v]? *Cardinalis* autem vox ibi, nihil aliud quam *Principalem* sonat: ut *Venti*, ut *Virtutes*, ita dicuntur *Cardinales*: magis tamen ut *Venti*, quam ut *Virtutes*.

103

Illud autem non est verum, venisse unquam ad urbem ingentem multitudinem Cardinalium non Romanorum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 37. [Op., tom. vii. col. 725. D.]

Missos autem ad urbem undique multis de causis Presbyteros multos, missos vero non infimos, sed *primarios*, (iidem autem *primarii* et *Cardinales*,) utpote negotiis expediendis aptissimos, quam facile quis, si opus sit, fidem fecerit? *Ingenti* autem *multitudine* fuisse, cui dubium esse potest, qui Constantinopolim[w], imo qui Thessalonicam[x], adeo confluxisse *multos* in Conciliis legat, ut Canone opus haberent, et *ἐκδίκῳ*, quo eorum *frequentia* minueretur. Turpe autem sit vel sus-

[t] ["Et diaconi non essent plus nec amplius per parochiarum examen, nisi duo, et diacones Cardinales urbis Romæ septem." Conc. Rom. sub Silv. Can. vi.—Conc. tom. i. col. 1550. E. "Supposita" autem "videntur Hincmaro ac plerisque viris eruditis xx. ista capita, quæ Isidorus suæ collectioni intexuit," ut in margine notatur, col. 1544. B.]

[u] ["In prima synodo sub Symmacho subscribunt sexaginta septem Presbyteri; [vide Conc. tom. iv. coll. 1315. E. 1316.] et tamen non inveniuntur tituli Cardinalium tempore Symmachi, nisi viginti octo, quia videlicet plures erant Cardinales ejusdem tituli."—Bell. Recog. (lib. i. de Clericis. cap. 16. § 'Hæc Onuphrii,') apud Recogn. p. 5. Op., tom. i. ad init.]

[v] ["Stulto intelligens
Quid interest."
Terent. Eunuch. II. 2. 2.]

[w] ["Ηλθεν εἰς ἀκοὰς τῆς ἁγίας συνόδου, ὡς κληρικοί τινες καὶ μονάζοντες, μηδὲν ἐγκεχειρισμένοι ὑπὸ τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, ἔστι δὲ ὅτε ἀκοινώνητοι γενόμενοι παρ' αὐτοῦ, καταλαμβάνοντες τὴν βασιλεύουσαν Κωνσταντινούπολιν, ἐπὶ πολὺ ἐν αὐτῇ διατρίβουσι, ταραχὰς ἐμποιοῦντες, καὶ θορυβοῦντες τὴν ἐκκλησιαστικὴν κατάστασιν, ἀνατρέπουσι δὲ οἴκους τινῶν. Ὥρισε τοίνυν ἡ ἁγία σύνοδος τοὺς τοιούτους ὑπομιμνήσκεσθαι μὲν πρότερον διὰ τοῦ ἐκδίκου τῆς κατὰ Κωνσταντινούπολιν ἁγιωτάτης ἐκκλησίας, ἐπὶ τῷ ἐξελθεῖν τῆς βασιλευούσης πόλεως· εἰ δὲ τοῖς αὐτοῖς πράγμασιν ἐπιμένοιεν ἀναισχυντοῦντες, καὶ ἄκοντας αὐτοὺς διὰ τοῦ αὐτοῦ ἐκβάλλεσθαι, καὶ τοὺς ἰδίους καταλαμβάνειν τόπους.] Conc. Chalc. Can. xxiii. [Conc. tom. iv. col. 766. D. E.]

[x] ['Αέτιος ἐπίσκοπος εἶπεν· Οὐκ ἀγνοεῖτε ὁποία καὶ πηλίκη τυγχάνει ἡ τῶν Θεσσαλονικέων μητρόπολις· πολλάκις τοιγαροῦν εἰς αὐτὴν ἀπὸ ἑτέρων ἐπαρχιῶν πρεσβύτεροι καὶ διάκονοι παραγίνονται, καὶ οὐκ ἀρκούμενοι βραχέος διαγωγῇ χρόνου, ἐναπομένουσι, καὶ ἅπαντα τὸν χρόνον αὐτόθι ποιοῦντες διατελοῦσι· ἡ μόλις μετὰ πλεῖστον χρόνον εἰς τὰς ἑαυτῶν ἐπανιέναι ἐκκλησίας ἀναγκάζονται· περὶ τούτων οὖν ὁριστέον. Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπεν· Οὗτοι οἱ ὅροι, οἱ καὶ ἐπὶ τῶν ἐπισκόπων ὡρισμένοι, φυλαττέσθωσαν καὶ ἐπὶ τούτων τῶν προσώπων.]—Conc. Sard. Can. xvi. [Conc. tom. ii. coll. 640. E. 641. A.]

picari, minus *frequentes* Romam, quam Thessalonicam commeasse.

Neque illud est verum, nomen Cardinalis ademptum aliis, et solis Romanis reservatum. Nam usque ad hanc diem Ecclesia Compostellana habet suos Cardinales.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 37. [Op., tom. vii. col. 725. D.]

Neque vero, *ademptum* ita reliquis *nomen Cardinalium*, quin domi inter se apud suos ita nominare mos semper fasque fuerit, ut Compostellæ, ut Londini, ubi etiam ad diem usque hanc Ecclesia Paulina suos Cardinales habet[y]; sed quod palam se Orbi eo titulo non venditent, non ab aliis exteris ita vel salutentur vel scribantur. Ubi mirum, cur Compostellam peregre profectus sit Cardinalis, ut Cardinales quæreret, qui tam vicinam habuit Ravennam. A Compostella nihil unquam periculi, at a Ravenna, quæ Cardinales habuit quondam Romanis æmulos[z], quique fecerunt ne Cardinales scribi possent, per *antonomasiam*, sed opus haberent additamento trium vocalarum, 'Sanct. Rom. Eccle.' Quæ ipsa adjectio argumento satis est, fuisse aliquos aliquando præter Sanct. Rom. Eccle. Cardinales: alioqui, Cardinales solum scribi satis esset, nec ita *trium literarum*[a] Cardinales esse: cum præter eos, qui in Romana Ecclesia erant, nulli præterea essent in Orbe Cardinales. [Eccl. Compost. etiam nunc habet Cardinales.]

Hic quoque Rex ex ignoratione rerum nostrarum, multa non vera sibi elabi passus est.... Non enim præter rationem suæ originis, sed potius secundum originis rationem et institutionem Cardinalitia dignitas crevit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 38. [Op., tom. vii. col. 726. A.B.]

At, quæ illa *Kabala* est tam abstrusa de *ortu Cardinalium*, ut præter vos in illius *ignoratione* versentur omnes? Sic enim de eo verba subinde facitis, quasi de *Mysterio* (*iniquitatis* puto), quasi si *res vestræ profunda Satanæ*[b] sint, quasi si ex *Abyssi tenebris Ordo* hic vester emerserit. Vix tamen *ignorationi* locus hic: qui, et *unde Cardinales* dicti, (siquod *in fronte mysterium*[c] gerant,) vestri homines in *aperto* posuerunt. Nam *Rex* de *rebus vestris* nisi vobis fidem non habuit, nec *elabi sibi* quicquam *passus est*, quod apud Urbevetanum, Onuphrium, vestros homines, non legerit. At illa *multa non vera* quæ tandem sunt? *Verum* enim, Ab annis jam centum esse, [Rex Pontificios auctores in hac re secutus est.]

[y] [Vide Dugdali Append. ad Hist. Eccl. Cath. S. Pauli. p. 345. Lond. 1818.]

[z] [Vide supra, p. 126. not. [z].]

[a] [Erasm. Adag. p. 134.]

[b] [Apoc. ii. 24.]

[c] [Apoc. xvii. 5.]

104 et amplius, cum *Cardinales Diaconi* ad *titulos* ordinati sunt *Ecclesiarum Parœciensium.* Scripsit Onuphrius [d]. Verum etiam, *Non tantum in Romana Ecclesia, sed etiam in aliis per Provincias Ecclesiis, Cardinales fuisse.* Habet Urbevetanus [e]. *Verum* id quoque: *Multitudo Presbyterorum et Diaconorum forensium ad urbem concurrentium, causam dedit, ut Urbani Presbyteri et Diaconi ab eis distinguerentur nomine Cardinalis.* Totidem verbis Urbevetanus: *Verum* et illud. Etsi Ecclesiæ aliæ his vocibus utantur privatim apud se, non scribi tamen jam Cardinales passim et publice, nisi Romanos. Nec Cardinalis hoc negat. *Verum* autem, Romanum illud sub Silvestro Concilium verum non esse, sed ad *Cynosarges* merito *ablegari* [f]. *Verum* denique, ab initiis suis luxuriatos multum *Cardinales:* nec, si saperet Cardinalis, illud *elabi* sibi *passus* fuisset, *Præter institutionis suæ originem illos non extumuisse.* Presbyter enim parœciæ, aut Curator Baptisterii seu feretri, si ad tantæ magnitudinis instar excrescat, ut *Episcopo* jam major, *Principi* ipsi par sit ac æmulus: an hoc, *secundum?* annon hoc *præter originem institutionis suæ? Origine* presbyter est, presbyter Episcopi sui, et eo minor: *Institutio* autem ejus, ut curet parœciam. Parœcia in Diœcesi, et ejus pars parva modo: Hic jam, si se supra *Episcopum* suum efferat, supra *Diœcesim* pennas extendat: quid dico, *Episcopum*, et *Diœcesim?* si supra *Episcopos*, et *Diœceses* omnes, non modo *presbyter Cardinalis*, (id est,) *principalis*, sed *presbyter Princeps*, imo *super Principes*, annon utramque, *originem*, et *institutionem* supergressus? *Ignorat* res suas, *ignorat* se (superbia scilicet cæcus) qui ut negaret hoc, *elabi sibi passus est.*

Nam (ut supra diximus) antiqua institutio erat, ut Presbyteri et Diaconi Romani cum vicinis Episcopis Romanum Pontificem eligerent, eumque consilio et opera adjuvarent.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 38. [Op., tom. vii. col. 726. B.]

[Cardinales non ex instituto suo Pontificis Electores,] Neque enim vel *origo* illa vel *institutio* presbyteri parœciensis, ut suffragio suo *eligat* vel *consilio juvet* Episcopum. Quis scit enim, an Episcopatus vivente presbytero vacaturus sit? Et Episcopus forte sententiam ejus non rogabit. Ad hæc positus non est, non hæc illius *institutio* vel *antiqua*, vel ulla, sed neque *functio* dici potest. Positus est, ut parœciam

[d] [Onuphr. Panvin.] De [Episc.] Tit. [et Diacon Cardin.] p. 29. [p. 66. ad calc. Onuphr. Epit. Rom. Pont., Venet. 1557.]

[e] In Vit. Pont.

[f] [Erasm. Adag. p. 374.]

suam curet, rem ibi divinam faciat, prædicet, baptizet, sacram synaxin celebret; Hæc *origo* est, et *institutio*, hæc *functio* Parœciensium. Ex accidente reliqua sunt: Multi sint, sint pauci, aliam vel *institutionem* vel *functionem* non habent. Ultra eam si elati sunt, (et prodigiose quidem sunt elati) annumerandi tum eis sunt, quos Judas Apostolus perhibet, *μὴ τηρῆσαι τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν*[g], *non servasse eos originem institutionis suæ.* 105

Sed postea excrescente nimium Presbyterorum, et Diaconorum multitudine, paulatim hæc functio ad paucos redacta est. Ita pauci illi super alios eminere cœperunt, ut Cardinales, id est, principales [Episcopi, Presbyteri, et Diaconi,] atque adeo Principes Ecclesiastici jure dici possent.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 38. [Op., tom. vii. col. 726. B.]

[sed præter originis suæ rationem.]

Cum *ad paucos illos paulatim redacti*, cum paulatim *supra cæteros eminere cœperunt*, cum primo *Principales* modo, post (ut ais) *Principes* facti; *præter supraque originis suæ rationem, paulatim* quidem, sed non *paululum* evecti sunt. Factum narrat Cardinalis. *Rem ad paucos redactam. Paucos illos super reliquos eminere cœpisse: ita eminere, ut Principales, atque adeo Principes dicerentur:* Quo jure factum, ut ita *pauci*, sic *super reliquos*, ita *Principes*, non narrat, ne potest quidem. Ambitione enim sola: *jure* nullo. Non *præter rationem* itaque atque *jus* cogendi in ordinem, et ad initia sua denuo revocandi, nec *paulatim* tamen: (momento cinis fiat qui diu sylva:) Saltem, altiore loco ne sint jam, vel spiritu, quam qui ab antiquo parœcias illas curabant, quarum hi jam *titulos* gerunt.

De æqualitate cum Regibus distinguendum [esse] censeo; Nam, si de potestate temporali sermo sit, . . . opibus, . . . armis, dubium non est, quin Reges longe . . . Cardinalibus præstent: si de potestate spirituali . . . agatur, non solos Cardinales, sed omnes Episcopos, Presbyteros, et Diaconos, Regibus superiores esse.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 38. [Op., tom. vii. col. 726. C.]

[Cardinales regibus impares,]

Æqualitatem ad Reges ut abneget, adduci non potest; mollire tamen nititur *distinctiuncula* quadam, *armis opibusve præstare Reges, ac potestate temporali*, id quod Cardinales fortasse male habet. Æquum enim, ut, qui *spirituali* præstant, præstent et *temporali*. At *potestate spirituali superiores Regibus Cardinales*. Adeo hic quoque infelix, ut solos Cardinales non possit, nisi cum *illis* quoque *totius Cleri caudam*

[g] Ep. Judæ vers. 6.

attrahat, atque omnes ad Diaconos usque *triobolares* [h], cum paramentis suis sordidis, supra Cæsarem, et Reges collocet, Reges autem, et Cæsarem consistere jubeat *infra subsellia Episcoporum: extra sedilia presbyterorum: potandos post Martini presbyterum, a Chrysostomi Diacono coercendos* [i].

Quod vero [apud Jurisconsultos] dici solet, Cardinales æquiparari Regibus, de externo cultu, et honore intelligendum videtur. Usus enim obtinuit, ut quemadmodum Principes omnes Regibus cedunt, sic etiam cedant Cardinalibus, et in hoc paritas quædam esse videtur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 39. [Op., tom. vii. col. 726. C.]

[etiam honore temporali.]

At, qui de *potestate temporali* cesserat, de *honore* tamen *temporali* non cedit jam: de quo *intelligendum videtur* ei, quod de *Cardinalium æquipollentia* dixerat. Miram vero *paritatem* hic sibi fingit; nempe, *ut quia Principes reliqui* (*puta*, sacri Romani Imperii Electores, reliquique, qui *a Regibus* secundi sunt, Principes) *uti Regibus cedunt, cedunt et Cardinalibus; Cardinales ex eo saltem, et Reges, æquales sint.* Sic autem fiet, ut quemadmodum *Comites* omnes, uti *Cardinalibus* cedunt, sic etiam cedunt *Principibus*, pares sint ex eo *Principes* et *Cardinales*, qui, jam modo, *impares*. Sic, quia *Barones* omnes cedunt *Comitibus*, utrique cedunt *Principibus*, *Principes*, et *Comites* parificentur. Nec in *Republica* modo hoc: sed et in *Ecclesia*. Nam, quemadmodum *Diaconi* omnes *Episcopis* cedunt, ita etiam cedunt presbyteris: *paritas* sit inter *presbyteros* et *Episcopos*. Prosequere vero hæc, atque
106 descende quantum volcs, ad *Ordines* adhuc inferiores: fiet tandem vi regulæ (*Quæ eidem tertio æquales sunt, et inter se sunt æqualia*) ut imi mediis, medii summis, tandem autem et imi summis æquiparentur, nova hac ejus paritate: atque ita, Cardinalis tandem evadat in Puritanum. Neque vero hoc *apud Jurisconsultos dici solet*, nisi Canonistam unum forte aut alterum [k], Cardinalium parasitos; neque donec *usus obtinuit*, abusus potius inolevit, a Regibus facile (ubi sic animum habebunt) abolendus. Saltem æquum, ut fugientes qui secutus est honor, fugiat insequentes; et sicut delatus est non avide appetentibus, ita tam acerbe exigentibus detrahatur. Dixin' (lector) ab initio *languere* Cardinalem? Hæc illius, *Censeo distinguendum: videtur intelligendum: paritas quædam esse*

[h] [Plaut. Pœnul. I. 2. 168, et Erasm. Adag. p. 130.]

[i] [Vide supra, p. 122. seq.]

[k] [De Cardinalium et regum paritate, cf. Jacobat. de Conciliis, lib. i. p. 39. B. col. 2.—Concil. tom. xvii.]

videtur, quam hæc vero *languida!* Videtur quidem *retinere* non posse *paritatem* suam, videtur tamen eam libenter nolle *dimittere*. Et hoc quam non sapientis, *dimittere* id nolle, quod nequeas *retinere?*

Quod addit Rex, Cardinales presbyteros et Diaconos aliquando minores fuisse Episcopis non Cardinalibus, verum est. . . . Quia ipsi quoque ad Concilia Romana vocabantur, et nobiliore loco sedebant, quam Presbyteri et Diaconi Cardinales, olim etiam ad electionem Pontificis admittebantur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 39. [Op., tom. vii. col. 726. D.]

[Episcopum fieri Cardinalem Presbyterum sacrilegium est.]

Neque id ibi modo dixit Rex, Cardinales Presbyteros, et Diaconos, minores aliquando fuisse Episcopis non Cardinalibus: sed ex Christi mente et Apostolorum institutione ipsa, minorem Diaconatum Presbyteratu: utrumque autem Episcopatu. Nec ullum hic *usum obtinere* posse, nec ullos *Jurisconsultos* intercedere, quo minus, quos Christus voluit, jussit, inferiores esse, inferiores et sint, et habeantur. Ut ex presbytero quis (adde, si voles, et Cardinale) Episcopus fiat, id vero Ecclesiæ legibus consentaneum: ut autem ex Episcopo, presbyter vel Cardinalis, vim in eo fieri divinæ institutioni, gradus perverti, ordinem confundi, et cum Patribus in Chalcedonensi Concilio, Episcopum in presbyteri gradum deduci, id vero *sacrilegium* [l] esse. Sed sic tamen *sacrilegi* sunt Pontifices, jam inde ab eo tempore quo depressus Imperator, atque ipsius manibus erepta potestas, tum Concilia cogendi, tum Pontifices eligendi. Quibus vero jus olim, ut *ad Concilia vocarentur*, ut *loco nobiliori sederent*, ut *ad electionem Pontificis admitterentur*, ecquid ex *Apostolo*, ex *Patribus*, ex *antiquo* et vero Ecclesiæ *jure* afferri potest, cur hoc *jure* privari, cur ad illud primo quoque tempore restitui non debeant? Nec id mirum, cur cum *soli* jam sint, sibi hoc assumant; sed cur *soli* esse debeant, ut hoc possint assumere. Cur vero jam 107
daret? Nihil enim dignitatis, aut præeminentiæ, antiquitus cuiquam dabat, esse Cardinalem [m].

Neque [leg. non] tamen est verum, quod hoc loco scribit Rex, Cardinales cum Pontifice fungi vice Conciliorum generalium, et ideo usum generalium Conciliorum penitus exolevisse. Nam ex quo tempore cœperunt Cardinales ea eminentia excellere, qua nunc excellunt, habita sunt multa Concilia Generalia, tria Lateranensia, duo Lugdunensia, unum Viennense,

---

[l] [Conc. Chalc.] Can. xxix. [vide supra, p. 121. not. [a].]

[m] Onuphr. [Panvin.] de Epis. Tit. et Diaco. [Cardin.] p. 30. [p. 66. ad calc. Epit. Rom. Pont.]

unum Constantiense, unum Florentinum, et unum Tridentinum, et alia paulo minora. Concilia [ergo] Romana particularia exoleverunt, et in eorum locum Consistoria Cardinalium successsisse videntur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 39. [Op., tom. vii. coll. 726. D. 727. A.]

[Concil. General. post institutum Card. Consistorium rarius habita.]

Verissimum autem verbum est Regis, ex quo ad tantæ magnitudinis instar excreverunt *Cardinales, Concilia* in fumos abiisse. Ac de *Romanis* fatetur Cardinalis, *successisse in eorum loca Consistoria Cardinalium.* Quo jure hoc? Nec minus tamen verum de *Generalibus.* Non enim *sese* modo gerunt *Cardinales* pro *Consistorio Romano,* (quo factum, ut *Romana Concilia exoleverint;*) sed et *pro Senatu universalis Ecclesiæ,* ut nihilo meliore loco jam sit *universalis Ecclesia,* quam *Romana* ejus *Diœcesis.* Non enim, quæ ibi memorat, Laterani, Lugduni, Viennæ habita, (spectra et phantasmata Conciliorum) pro Conciliis habenda: veri nominis Concilia non erant, in quibus ad unius arbitrium, (quid dico arbitrium?) ad unius appetitum, cœpta, finita sunt omnia: quæ proin inter Decretalia potius Pontificum, quam Canones Conciliorum locum habent: præter Constantiense unum, (quod miretur quis a Cardinale nominatum) ubi *viginti quatuor* modo *Cardinales* deinceps fore decretum est[n]: in quo per *Deputatos nationum* gesta res[o]: *coacti in ordinem* Pontifices, etiam, uno tempore, *tres* simul *abdicati*[p]. Decretum tamen ibi, de *Concilio* semper *intra decennium indicendo*[q]: ut obtineat, impetrari non potuit, non potest. Expallescit ad nomen Concilii Pontifex, nisi forte quale Tridentinum nuper. Nam quid opus *Senatu ullo Ecclesiæ universalis,* cum sufficiat ei *Senatus Cardinalium?* De Florentino, (quod propter Græcos) quære a Græcis an agnoscant[r]? De Tridentino, vel a vestris quære, (scis vero quos velim) qui toties rogati[s], nondum tamen admittunt pro Concilio.

[n] [Append. Concil. Constant. — Conc. tom. xii. col. 1450. A. B.]

[o] [Vide Conc. Constant. Sess. iv. Conc. tom. xii. col. 20. A.: et sic deinceps.]

[p] [Joann. XXII. in Sess. xii. (Conc. tom. xii. coll. 95. C—E., 96. A—C.) Gregorius XII. sponte sua cedens, (Sess. xxv.—Ibid. col. 103. seq.) Benedictus XIII. (Sess. xxxvii. — Ibid., coll. 234, 235.)]

[q] Conc. Constant. Sess. xxxix. — [Conc. tom. xii. col. 238. D.]

[r] [Vide supra, p. 35. not. [v].]

[s] [A Pio IV. (vide Raynald. Cont. Ann. Baron. ad ann. 1564. Num. vi. et xii.); a Clero Gallicano, (Spond. ad ann. 1579. Num. iii. et iv., ad ann. 1582. Num. xxii; et ad ann. 1596, Num. xviii.) Vide quoque orationem Legati Gallici in Conc. Trid. A. D. 1563. apud Goldast. Const. Imper. tom. iii. p. 572.; Bochell. Decr. Eccl. Gall. lib. v. tit. xx. capp. xlv. pp. 914—918; et multa hanc rem spectantia apud Le Plat Monum. Concil. Trident. tom. vii.]

Neque illud verum est, nisi ex Collegio Cardinalium Pontificem eligi fas non esse. Scimus enim his postremis annis quingentis electos fuisse Pontifices Callistum II., Eugenium III., Urbanum IV., Gregorium X., Cœlestinum V., Clementem V., Urbanum V., Urbanum VI., Felicem V., quamvis hic postremus legitimus non sit habitus[t]. [Qui omnes extra Collegium erant. —Bell. Apol. pro Resp.] p. 40. [Op., tom. vii. col. 727. A.B.]

Verum autem et illud (quis nescit?) quantumvis tergiversetur Cardinalis, non assumi quenquam ad *Pontificatum*, nisi qui de gremio *Cardinalium*: ac diu jam, alium nec nominari mos. Ubi tanta penuria laboravit Cardinalis, ut necesse ei fuerit Felice V. numerum augere, alioqui satis tenuem; quem, ubi nominavit, expungit statim pro *illegitimo*, nec sine eo tamen constat illi *novenarius*, qui per *quingentos annos* numerus satis exilis est. Fatetur autem ab Urbano usque sexto, *extra Collegium* haud quenquam electum, et is ipse Urbanus electus etiam *in schismate*[u]. Reliqui autem, non nisi cum *Cardinalibus* inter se minus convenirent, dum ex 108
ambitione alter alteri obicem poneret, neuter autem cederet, atque ita in tertium aliquem, qui de *Collegio* non esset, vota conferrent. At jam, prudentiores facti, rem transigunt inter se, et *ducenti triginta duo anni* sunt, cum *Cardinalem* semper renunciarunt, nec jam serio nominari in *Conclavi* alium quenquam sustinent.

[Et pauci, nisi ex Collegio Cardin., Pontifices electi.]

Quod autem Rex addit, a Romanis Pontificibus supremam in Reges sibi auctoritatem vindicari; si per 'vindicare' significare velit 'usurpare,' omnino negamus: sin autem 'vindicare' sit, quod 'suum' est 'asserere,' libenter admittimus: sic tamen, ut per auctoritatem, non despoticum imperium, sed paternam seu pastoralem potestatem intelligamus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 40. [Op., tom. vii. col. 727. B.]

Asserendone auctoritatem Papa in Reges summam, an *usurpando vindicet*, lis adhuc aliqua Pontifici, Regibus (credo) nulla: præsertim, si migret de *potestate* sua *spirituali*, *sæcularem* eorum invadat. *Libenter admittere se*, dicit Cardinalis: at illi non nisi *illibenter dimittere*; nec deliniri se patiuntur vocibus *paternæ* et *pastoralis*: *vocem Jacob audiunt, manus Esau senserunt*[x]. Olim Cæsar calcatus[y], Henricus noster vapulans[z], Arragonum Rex laqueo collum inserens: nuper

[Pontifices supremam in reges potestatem sibi vindicant.]

[t] [Amedeus sc. Sabaudiæ Dux, a Concil. Basil. electus, A.D. 1439.]
[u] [Vide Platin. in Vita Urb. VI., in Vitis Pontif. p. 267.]
[x] [Gen. xxvii. 22.]
[y] [Frid. I. vide Baron. An. Eccl. ad ann. 1177. Num. lxxxvi. lxxxvii. tom. xii. col. 732.]
[z] [Matth. Paris. Hist. Maj. in Henr. II. in ann. 1174. p. 125.]

Navarrenus regno exutus [a], Galliarum Reges fulmine tacti, et semiustulati [b]; Hispaniarum Regi telum intentatum, et jam jamque mittendum, nisi Sixtus spiritum emisisset: Omniane hæc *paternam et pastoralem auctoritatem* spirabant? Nihilne in his *despoticum?* Quid durus *despota* mancipio faceret, quam quod Alexander Friderico primo? Tamenne *pius pater?* Quid lupus vespertinus misellæ oviculæ, quam quod Innocentius IV. Friderico II.[c]? Tamenne præclarus *ovium custos?*

Quod etiam Rex ait, ad reges, ut Dei in terris Vicarios, pertinere curam videndi, quomodo tam insolens incrementum Cardinalitiæ dignitatis cœperit, nulla ratione admitti potest. Sunt quidem Reges Ministri Dei in terris, . . . sed . . . in iis, quæ ad terrena et temporalia spectant. Nam quod attinet ad spiritualia et cœlestia, atque uno verbo ad Ecclesiastica, Vicarii Dei Episcopi sunt. . . . Et summus Vicarius ille est, cui Dominus dixit, 'Sequere Me,' etc.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 40. [Op., tom. vii. col. 727. B. C.]

[Cardinalitius fastus a regibus coercendus,]

Credo autem Cardinali: *haud ulla ratione admissurum se, ut ad Reges cura pertineat, de incremento aut decremento Cardinalium.* At quando id ita facere visum Cæsari ac Regibus, Cardinalis admittat, an non, magnopere solliciti non erunt. *Dei ministros esse Reges in terris, ad temporalia ministros esse,* utrique agnoscimus: At nunquid ad illa sola? *Positos a Spiritu Sancto Episcopos pascere, adeoque regere Ecclesiam Dei damus:* sed nunquid, *solos* illos? Certe enim nomen λειτούργου[d], nomen Διακόνου[e], (quod utrumque Regibus tribuit Apostolus) ut *Liturgiæ* vox ipsa, et *Diaconiæ,* aliquid etiam sonant non *sæculare,* aliquid vero *Evangelicum.* Tum nomen *Pastoris:* non autem *corporibus* modo *pascendis, animabus* quoque: Nec abstinuit vel *Episcopi* nomine Constantinus[f]. De *Summo* autem *Vicario* porro deliberandum erit: magis adhuc de verbis *Sequere Me,* quæ *Christianis omnibus* competunt, et in quibus Christiani multi longo intervallo
109 Pontifices ipsos antecedunt. Nec, in *Sequendo Christo* tantum, *Christiani* multi, sed et *in pascendis ovibus,* multi *Episcopi.* Is autem si *crescere* vult *Cardinales* suos dignitate,

[a] [Vide Æl. Ant. Nebriss. de Bello Nav. lib. i. cap. 3. fol. lxxvi. a.]

[b] [Vide Thuan. Hist. lib. lxxii. cap. 5. tom. iv. p. 301; lib. xcv. cap. 13. tom. iv. p. 733.; lib. ci. cap. 14. tom. v. p. 66; lib. ciii. cap. 12. tom. v. p. 140.]

[c] [Vide Conc. Lugd. i.—Conc. tom. xi. col. 640. C.—645. C.]

[d] [Rom. xiii. 6.]

[e] [Rom. xiii. 4.]

[f] [Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας· ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ Θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος ἂν εἴην.—Euseb. de Vita Const. lib. iv. cap. 24. p. 638.]

e Diaconis Presbyteros faciat, ex Presbyteris Episcopos; Christi id incremento. Non autem ex Episcopis Presbyteros, nedum Diaconos, quod *præter* est, imo, *contra* est, et *Apostolorum*, et *Ecclesiæ* totius veteris *institutum*. Tum contineat se intra Ecclesiam, et quæ *Ecclesiastica* sunt. Nam fulgor hic, et fastus, et cultus externus, et *titulus Illustrissimi*[g], (quo *Principes illis cedunt*, illi *se Regibus æquiparant*;) nihil ad *Spiritualia*, vel *Ecclesiam*, nec quicquam resipit nisi πρωτοκλισίας et πρωτοκαθεδρίας[h], et *Supercilium Pharisæorum*.

Nam neque nuper exorti sunt, nisi quingentorum annorum, aut etiam sexcentorum spatium, nuper dici possit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 41. [Op., tom. vii. col. 727. D.]

Verum autem, *nuper exortos: Olim* enim, et *nuper*, voces comparatæ sunt. *Nuper* (inquam) *exortos*, non si ad *nos*, qui ipsi *nuperi* sumus, sed si ad *Apostolos*, ad *Patres*, a quibus tempora si numeres, *quingenti anni nuperi*, *nuper* erunt quidem, si ad *mille centum* conferantur. Sed neque *quingentos* numerant. Diu post Hildebrandum lactentes erant et tenelli: cum Alexandro III. grandescere, nuper, nec ante Innocentium IV., ostro fulgere[i], usque ad Paulum II. pedites incedere[k]: *nuperius* ergo mula vecti, *nuperrime* aucti titulis, et Bellarminus ipse Titulo suo antiquior est. Titulus enim S. Mariæ in via, (uti Cardinalis novit) *novitius* est, et *nuperrime* exortus, et ante Julium III. Romæ ipsi inauditus[l]. [nuper enim exortus.]

Neque suis ipsi suffragiis, sed auctoritate ejus, qui Dei locum tenet in terris, evecti sunt.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 41. [Op., tom. vii. col. 727. D.]

Quodsi eos non alia evexit *auctoritas* quam *Pontificis*, recte *lecti a se* atque *evecti* dicentur; nempe, *Papæ suffragiis evecti*, nuper (quid aliud, quam) *Cardinalis*. *Pontifices* enim jamdiu, omnes *Excardinales*. *Cardinales* autem, pars corporis Papæ in toto jure Canonico[m], corporis autem compacti *in idipsum*. Quodsi de Titulis majoribus adhuc tractetur in

[g] [De hoc titulo consule Jacobat. de Concil. lib. i. 'De Cardin. pp. 19. seq. —Conc. tom. xvii.]

[h] [Cf. S. Matth. xxiii. 6.]

[i] [Plat. in Vit. Innoc. IV. in Vitis Pontif. p. 223.]

[k] [Plat. in Vit. Paul. II., ibid. p. 339.]

[l] Onuphr. [Panvin.] de [Episc.] Tit. [et Diacon. Cardin.] p. 21. [p. 61. ad calc. Epit. Rom. Pont.]

[m] [Vide Extrav. Joan. XXII. Tit. iii. 'De Præbendis.' Cap. unic. in Gloss. ad voc. 'Sublimitatem.' in lib. Extrav. col. 35. apud Corp. Jur. Can. tom. iii.: conf. quoque Jacobat. de Concil. lib. i. De Cardin. p. 23. B. col. 2. (Conc. tom. xvii.), et auctores ab eo citatos.]

Consistorio, religio esset *Cardinalibus* (credo) ei non *suffragari.* Non enim ut purpurati incederent, vim fecit eis, nec perpulit refragantes, ut mulas conscenderent.

Neque se Regibus [ipsi] componunt. Non enim Cardinalis erat, qui scripsit Cardinales æquiparari Regibus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 41. [Op., tom. vii. col. 727. D.]

Verecunde autem, (et quasi de eo dicas, *erubuit: salva res est*[n],) *Non fuisse Cardinalem, qui scripsit eos Regum æquales.* Quis ergo fuit? Canonista aliquis, Cardinalis alicujus parasitaster. Sed an excanduit tum Consistorium, et *procul removeri ab auditu suo,* et deleri de scripto vocem hanc *æquipollentiæ?* Non est factum. Ne id quidem jam volunt fieri:
110 sed quomodo intelligi debeat, commode monent: nempe quod *Principes* omnes *post se* respiciant a tergo, atque ita *pari cum Regibus passu ambulent.*

Primum igitur nego, sublatum esse modum habendi Concilia Generalia; nego vim et potestatem eorum ad Cardinales pertractam. Nego in Pontificio Conclavi esse quasi monopolium constitutum. — Bell. Apol. pro Resp.] p. 41. [Op., tom. vii. col. 728. A.]

[Modus Conciliorum habendorum mutatus.] Quid autem non negabit Cardinalis, si neget Cæsari ademptum jus et *Regibus,* ad *Concilia Generalia* convocanda? quod totum jam penes *Pontificem, Cardinales* vel Sacramento contendent; ut, nisi ei ita visum, (id quod ægerrime videri solet) nulla jam habeantur. *Vim* etiam ad eos *pertractam,* cum non præsideant in eis nisi *Cardinales Pontificis* nomine. *Modum* quoque, cum nihil ibi proponi liceat, nisi quod intercurrente veredario de Roma allatum: nihil concludi, nisi quod recurrente statim veredario, Romam prius relatum fuerit. Concilio autem cessante, in rebus quidem Ecclesiæ, nisi per Cardinales nihil fit: quod quid aliud est, quam *Monopolium?*

Quomodo enim vere dici potest, sublatum esse modum habendi Generalia Concilia, cum Concilia celeberrima et plurima paulo ante hoc sæculum, et hac ipsa ætate nostra sint habita?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 42. [Op., tom. vii. col. 728. B.]

[Concilia posteriora pro Conciliis gener. haud habenda.] Nec enim *Concilio* locus, ubi in *commune* non conferunt; sed ex unius *arbitratu* geruntur omnia: et haberi posse *Concilia* qualiacunque, quis nescit, sine *recto* tamen habendi modo? Modus habendi, *modus* convocandi rectus, accessus

[n] [Terent. Adelph. IV. 5. 9.]

tutus, suffragii libertas ubi *sublata*, recte quis *Concilia sublata* dixerit. At *sublata* demum illa: nec vel facies Concilii, præterquam Constantiæ, nec suffragiorum libertas ulla: et *saluberrima* mallet *Concilia* res Christiana, *celeberrima* nihil moratur. Quanquam, quæ illa tandem *celeberrima* et *plurima Generalia* sint, quæ hac ipsa ætate nostra sint habita, aut paulo ante, vix hic (credo) rogatus Cardinalis expediet se, et *celeberrima* hæc illius atque *plurima* in unum modo Tridenti, idque non Concilium, quin Concilii spectrum atque ludibrium, abitura sunt.

Tridentum in finibus Germaniæ atque Italiæ constitutum, locus aptissimus, et minime suspectus, a Summo Pontifice et Cæsare, aliisque Regibus et Principibus judicatus est.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 42. [Op., tom. vii. col. 728. B. C.]

Exstant vero in Tridenti commoditatem exceptiones legitimæ: et *Legati Principum* quo modo ibi habiti, satis notum, ut eis necesse fuerit protestationes interponere, recedere, reclamare. Vobis quidem ipsis, vestrisque hominibus, quod Tridenti actum est non satisfecit. Cæsares ambo, Ferdinandus, et Maximilianus, finito demum Concilio rationes novas inierunt, cum viris doctis de novo consultarunt: spe sua omni excidisse se fassi, cum, quod totis viribus agerent, nec calicis populo, nec conjugii clero, usum liberum impetrare possent [o].

[nedum Tridentinum;]

Quod vero dicit, omnes Ecclesiasticos, qui Christianam Religionem profitentur, tutum accessum et commeatum habere ad Concilium debere: hoc vero est recedere a forma quatuor primorum Conciliorum; [vel potius omnium, quæ habita sunt unquam in Ecclesia, Conciliorum.] Sic enim loquitur Concilium Chalcedonense, 'Mitte foras superfluos, Concilium Episcoporum est [p].' Alioqui nullus locus tale Concilium caperet.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 42. [Op., tom. vii. col. 728. C.]

Nec *recedit a Conciliorum forma*, qui *tutum* eo *commeatum* postulat *cuicunque* (qui eo se conferre velit) *Ecclesiastico*; *recedit*, qui negat. Nec in eo Concilium petit Rex, cui simile nullum *ab Ecclesia condita celebratum*, imo cui nullum non simile. Quo enim unquam in Concilio liber Ecclesiasticis

[quod commeatus non tutus,]

111

[o] [Vide Spondan. Cont. Ann. Bar. ad ann. 1564. Num. iii. tom. ii. p. 661.; et Ferdinandi et Maximiliani rescripta de Sacramento Eucharistiæ sub utraque specie, et conjugio sacerdotum, apud Goldast. Const. Imp. tom. ii. pp. 379—382.]

[p] [Οἱ Αἰγύπτιοι, καὶ οἱ σὺν αὐτοῖς εὐλαβέστατοι ἐπίσκοποι ἐξεβόησαν· Αὐτοὶ πρῶτον ὑπέγραψαν· κληρικοὶ νῦν διὰ τί κράζουσιν; ἡ σύνοδος τῶν ἐπισκόπων ἐστὶν, οὐχὶ κληρικῶν· τοὺς περισσοὺς ἔξω βάλε.—Conc. Chalc. Act. i.—Conc. tom. iv. col. 112. C.]

[omnibus Ecclesiasticis,] commeatus interdictus est, quo minus accederent eo, audirent, audirentur, dissererent, suggererent quæ in rem Ecclesiæ: neque eam ad rem *superflui* unquam sunt habiti? Quid nuper fecere Tridenti, Andradius, Lainez, Salmeron, Soto, Vega, Alphonsus de Castro, Torrensis, Michael de Medina, Hessels, Janscnius, Hervetus, Arias Montanus? Cur exacti inde non sunt? Verum hoc, non nisi dum adhuc disceptandi locus. Nam ubi eundi in sententiam, judicium ferendi tempus aderat, penes alios res erat. Atque hoc loco nimis crumpit in apertum Cardinalis malitia, qui mittit statim in *suffragium*, quibus Rex modo concedit *aditum*. Malitia (inquam), non enim certe inscitia: inscitia enim nimis crassa, si docendus, ut distinguat inter *aditum dare*, et *suffragium permittere;* inter *accedendi* licentiam, et *sententiæ ferendæ* jus; inter *præesse*, et *interesse*. Sed, sic illum transversum rapit prurigo calumniandi. Accedere cuivis semper fas, interesse, audire, dum in disceptatione res: (*et loci tamen satis semper fuit*). *Suffragii jus* penes *Episcopos;* nec id Rex negat, nec id agit, ut promiscuo vulgo vindicatum eat. *Mittit foras superfluos, Concilium Episcoporum fatetur esse.* Sed neque in Niceno nullæ erant Constantini partes[q], et de oblatis sibi fidei formulis Theodosius judicavit[r]. Et in Chalcedonensi præsedit Marcianus[s], ac Decreto suo vim ei addidit[t]. Et quem noluit *immisceri tractatibus Ecclesiasticis* Theodosius junior, Ecclesiasticus non erat, sed Comes[u], ut præter rem sit, atque *extra oleas*[x], hic quoque *Cardinalis.*

[quibus fas interesse, non dare suffragia.]

Ne tamen quererentur Protestantes aut Calviniani, invitati sunt omnes, et salvus conductus publica fide præstitus,=

[Fides Constantiæ non præstita metum injecit.] *Invitatos* dicis *Tridentum Protestantes*[y]. Credo: verum *vix hospes ab hospite tutus*[z]. Tum, *ne quererentur, salvum conduc-*

[q] [Euseb. de Vit. Constantin. lib. iii. capp. 12—14. pp. 583—585.]

[r] [Vide supra, p. 120. not. [s].]

[s] [Marcianus Imperator Actioni sextæ Conc. Chalc. præsedit, et tres Canones ab eo confirmandos proposuit. Vide Conc. tom. iv. coll. 567. B.—612.]

[t] [Conc. Chalc. Par. iii. capp. xi. xii. —Conc. tom. iv. coll. 865—872.]

[u] [Ἐντέταλται τοίνυν Κανδιδιανὸς, ὁ μεγαλοπρεπέστατος κόμης τῶν καθωσιωμένων δομεστίκων, ἄχρι τῆς ἁγίας ὑμῶν διαβῆναι συνόδου· καὶ μηδὲν μὲν ταῖς περὶ τῶν δογμάτων γινομέναις ζητήσεσι κοινωνῆσαι· ἀθέμιτον γὰρ, τὸν μὴ τοῦ καταλόγου τῶν ἁγιωτάτων ἐπισκόπων τυγχάνοντα τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς σκέμμασιν ἐπιμίγνυσθαι. — Theodos. Epist. ad Conc. Eph.—Conc. Eph. Par. i. cap. xxxv. — Conc. tom. iii. coll. 442. E. 443. A.]

[x] [Erasm. Adag. p. 35., ex Aristoph. Ran. 993.]

[y] [Conc. Trident. Sess. xiii.—Conc. tom. xiv. col. 813. D.—Sess. xv. ibid. col. 832. E.—835. A.—Sess. xviii. ibid. col. 842. E.—845. A.]

[z] [Ovid. Met. i. 144.]

tum præstitum. At etiam, ut de *salvo conductu quererentur, atque adeo vererentur Protestantes,* fecit *publica fides* Constantiæ non præstita, qua non obstante, *assatus* ibi (anseris in morem) Joannes Hus: ut viæ se proin credere non auderent. Quod nisi frustra expectasset *Synodus eorum adventum,* amici forte frustra *eorum reditum* expectassent.

= dilatæ quoque rerum gravissimarum determinationes in longa tempora, ut spatium . . . . ad Concilium veniendi non deesset.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 43. [Op., tom. vii. col. 728. D.]

Atqui *tempora tam longa, determinationes tam graves,* (quales narrat,) minus necessariæ: cum Roma a *sanctissimo Patre* (*cujus fides ne deficere posset Christus rogavit* [a]) brevissimo tempore *determinatio certa* in *mantica veredarii* [b] transmitti posset, si vera modo sunt quæ subinde crepare solent *de scrinio pectoris* [c]. [Omnia ibi a Papa determinata.] 112

Omitto quæ dicuntur in Jesuitas et Puritanos, quoniam ad convicia pertinent, non ad doctrinam.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 43. [Op., tom. vii. col. 728. D.]

Postremo, illud de *Jesuitis ad doctrinam spectat. Discat* enim ex iis, quæ nuper in Polonia, Suecia, Austria, etiam Moscovia; ex iis quæ in Gallia vicina, in Britannia nostra tumultuati sunt, quam sit illis spiritus ad *Concilia* ineptus, qui *omnia prius experiri quam Consilio* solent. Credat oculis suis de *Jesuitis.* De *Puritanis* autem, credat auribus, *Regi* credat experto. De utrisque, *discat* ex iis, quæ in ore sunt omni populo. Ad *doctrinam* spectant hæc, quam edoceri atque *nosse, salus est Regibus* [d].

[a] [Luc. xxii. 32.]
[b] [P. Sarpi, Istor. del Conc. Trident. lib. vi. Op., tom. ii. p. 113. Helmst. 1763.]
[c] [Vide infra, p. 153. not. [c].]
[d] [Ps. cxliii. (Vulg.) 10.]

Ad Caput Quintum.

Quod Cardinalis Bellarminus nulla injuria Regem affecit, cum Apostolicorum Brevium, et Epistolæ suæ defensionem suscepit.—[Bell. Apol. pro Resp. p. 43. Op., tom. vii. col. 729. A.]

Quod Pontifex injuria Regem affecit, cum Brevia, Bellarminus, cum Epistolam scripsit primo: Iterum, cum Brevium, et Epistolæ defensionem suscepit.

De pulveraria conjuratione . . . quod mihi dicendum videbatur, scripsi in alio libello.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 43. [Op., tom. vii. col. 729. A.]

[De pulveraria Conjuratione.] Nihil quicquam credo tristius accidere posse, aut quod peioris sit ominis Cardinali, quam si usquam incidat mentio de *Pulveraria Conjuratione:* Ita refugit semper: ita parcus verborum transilit statim. Solenne hoc et reliquis. At numquamne resciscere dabitur, quæ vobis Romæ de facinore tam tetro mens? Nunquamne de eo feretis sententiam, deque iis qui ei facem prætulerunt? Sed cur hoc jam quærat quis? Cum Caput alterum Conjurationis Greenwellus[a], qui rem rescivit omnem, et a quo ipse Garnettus rem rescivit, (scilicet) qui tot Proditores *absolutione* sua absolvit a fide, *juramento* obstrinxit ad perfidiam, *Eucharistia* obfirmavit ad scelus, etiam tuba post eccinit ad (aperto Marte) rebellionem, post tot scelera, adeo Pontifici non displiceat, ut eum Romæ habeat, in sinu foveat, tanquam de bono facto remuneratus sit, ad S. Petri, Pœnitentiarium jam fecerit, hoc ille pretium sceleris a Pontifice tulerit. Et abesse vix potest, quin ejusdem hominis sit, qui agentem probet, actionem non improbare; qui illum foveat, huic favere.

113 Quanquam de scelere hoc pulverario, *dies diem docet*[b], et rem magis magisque *profert in apricum*[c]. Dum hæc enim

[a] [Al. Greenway, al. Tesmond. Vide Jardine's Crim. Trials, tom. ii. p. 285, et Præf. p. xiii.]

[b] [Ps. xix. 2.]

[c] [Vide Hor. Ep. I. 6. 24.]

scribo, e vestris unus (atque is Jesuita), hic jam in Carcere apud nos, (ne quæstione quidem ulla de eo habita, sed neque vel verbo rogatus de re) sponte sua (nec spe adductus, nec metu) fassus est, in idipsum tempus (*quo accensus hic pulvis et strages subsecuta*) in idipsum (inquam) tempus, procusum fuisse, atque adeo exiisse a Pontifice (mirum autem ni conscio, si vera narrat) fulmen trisulcum, Bullas tres Anathematis: Easque in deposito fuisse non procul hinc, ex condicto, statim ubi confecta res, Pontificis nomine publicandas, quibus tria in Regno loca primaria confestim ferienda. Non publicatas quidem: Nec enim fulmen illud prius displosum fuit, sed in promptu tamen fuisse, et procinctu, ut, signo dato, fulmini fulmen succederet. Hæc ille: (Penes auctorem fides esto, et, quem præterea de vestris testem citat:) Ille vero hæc in caput suum; nec vel vitæ spem stipulatus, sed sceleris tantum conscientia, et cordis dolore tactus, ultro patefecit. *Digitusque hic Dei est*[d]: Ut jam credo nemini obscurum sit, non temere esse, quod tam timide rem attingat Cardinalis, tam desultorie transeat. Nec ita valde ergo *exosas* esse Curiæ Romanæ *Conjurationes*, (ut videri vult) nec sic *execrari* eos ibi *parricidia*[e]. Pontificem quidem, (qui hæc ita commode divisit temporibus[f]) affinem rei totius, certe ignarum non fuisse. [De hoc scelere conscius Pontifex.

De qua re, quod mihi dicendum videbatur, scripsi in alio libello.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 43. [Op., tom. vii. col. 729. A.]

Rejicit hic nos ad *alium libellum*, nempe ad Tortum, Cardinalis, ubi *occasionem datam* autumat, sed duplici nomine rejectus est. Nam nec data est, et nulla unquam *dari potuit occasio*, ut quisquam caput suum tam horrendo sceleri devoveret. *Cum ego pungar*[g], recte dixit. Quod pungit, fugiunt. Fugite vero quantum potestis punctum hoc, semper vobis in oute victurum. [Nulla desperandi data occasio.]

Fatetur . . . Bellarminus librum esse suum; sed, ut supra admonui, non est visum illi nomen suum inscribere, quia neque adversarius nomen inscripserat suum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 43. [Op., tom. vii. col. 729. A, B.]

De Cardinalis pullo, in nido Torti excluso, proxime sequitur. *Rex, libro nomen suo non inscripsit*, nec Cardinalis item *suo*. [Cardinalis librum Torti pro suo agnoscit.

[d] [Ex. viii. 19.]

[e] ["Odi parridicia, execror conspirationes; sed occasionem desperandi datam nemo inficiari potest."]—Tortus, p. 22. [Edit. Colon., Edit. Polit. p. 18., et Bell. Op., tom. vii. col. 645. A.]

[f] [Terent. And. III. 1. 18.]

[g] [Vide supra, p. 1. not. [d].]

Par fecit Regi. Sed Cardinalis non modo *ἀνώνυμος*, sed etiam *ψευδώνυμος* est. Hoc non fecit Rex. Et in eo crimen est, non quod *nullum*, sed quod *ementitum* nomen affixerit. *Nomen suum tegere*[h] visum est. Potuit, sed silentio *tegere*, non mendacio. *Tacere* suum potuit, mentiri alienum non debuit. Non enim *tacet*, (plus etiam facit quam *tacet*) *declinat*
114 *ad mendacia*, qui se Matthæum dicit, cum sit Robertus; Tortum, cum sit Bellarminus; Theologum Papiensem, cum S. R. E. Cardinalis.

Qua de re, ad illud remittit nos (quod in Præfatione *supra admonuit;*) ubi, (quod miretur Lector) Ecclesiam trahit in Societatem criminis, atque,

hoc prætexit nomine culpam[i].

Juxta Regulas[k] enim *Ecclesiasticas* id a se factum; Per cas, si nomen mendax (dum *docti* modo *viri sit, qui, si opus, rationem reddere possit de libro*), mendacium illud *regulare* scilicet, et *Ecclesiasticum*. En, ad *regulam* mentiri! *regulam* autem *Ecclesiæ!* Novum dogma; quodque hic (credo) primum Lector aspicit, aliquas esse mentiendi *regulas Ecclesiasticas*. Quo Canone tamen non narrat, nec unde *jus* hoc et *norma*[l] mentiendi. E *Lesbo*[m] crediderim, aut *Lesbia* aliqua *Æquivocantium* vel *Schola* vel Ecclesia. Æquivocam enim *regulam* et tortam, qua lineæ sic ducuntur ad falsum: Et annon æquivocam etiam Ecclesiam, quæ has habet *regulas?* Sed mittamus Cardinalem cum *Ecclesiasticis* suis mentiendi *regulis*.

At eam Præfationem neque Bellarminus scripsit, neque usque ad hanc diem cognoscere potuit, quis ejus Præfationis sit auctor, =

[Quanta in Præfat. tum Colon., tum Politan., adulatio.]

Præfationis pudere incipit Politanæ; quidni autem et Coloniensis? Idem enim utraque peccat. Pudcat vero et *rationis:* Quod *Cardinalitia ibi dignitas cum Regia dignitate componi videatur*. Imo, exile nomen *dignitatis* ad Reges: *Cum Majestate Regia* dicendum fuerat. At *Cardinalitia Majestate* dicere non poterat; Certum autem certare cum Regibus: Cum ergo, *Cardinales* ad *Majestatem* efferre non posset, depressit ad *Dignitatem* Reges. Pudeat vero et *defensionis* hujus.

[h] [Bell.] Præf. [ad Apol.] p. 3. [Op., tom. vii. col. 706. A. vide supra, p. 1. not. [a].]
[i] [Virg. Æn. iv. 172.]
[k] [Bell.] Præf. [ad Apol.] p. 3. [ut supra, not. [h].]
[l] [Horat. Epist. ad Pison. lin. 72.]
[m] [*Λέσβιος κανών.*—Arist. Eth. Nicom. v. 10.]

= aut quis tandem ille sit Typographus Politanus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 44. [Op., tom. vii. col. 729. B.]

Præfationis Politanæ auctorem nescit, nescit et *Typographum*. Probabile hoc primum non est, *pie credi* [n] non potest. In tanta *Cardinalium* auctoritate, in tanta *Censorum* severitate, *præfari* quenquam Cardinalis libro et *celare Cardinalem*, vel librum Cardinalis absque venia ejus recudere. At Coloniensem saltem sciebat; ab eo, quis *Præfationis auctor* scire poterat: et ille non minus in *modestiam* peccat, quam Politanus.

Qua vero modestia soleat in scribendo uti Bellarminus, lectoribus judicium relinquit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 44. [Op., tom. vii. col. 729. B.]

De *modestia* autem Cardinalis, non quid alibi *soleat*, quæritur, sed quid inibi fecerit. Ubi nuda facie est, fortasse non bacchatur; at larva ibi *nihil suasit moderabile* [o]. In Regem, novies *mendacium* [p]; septies *falsum* torquere [q], contumelias autem pleno plaustro [r]; *Puritanum*, etiam *Puritanis inimicum* affirmare [s]; *Catholicum Christianum* negare [t], Juliano denique *conferre* [u]: qualemcunque alibi se præstet, longe aberant a *modestia* hæc, longius a *veritate*. [Quam modeste scripserit Bellarminus.]

Deus bone, quam misera conditio est sub eo Rege vivere, qui injuriam sibi fieri judicat, siquis ab [ejus] exemplo scribere discat. . . . Brevitas autem in scribendo, . . . quam sit illi familiaris, norunt omnes, . . . ut opus ei non fuerit ab aliis hæc discere.—[Bell. Apol. pro Resp.] pp. 44, 45. [Op., tom. vii. col. 729. C. D.]

At in eo (*Deus bone*) quam *infelix*, si Lectorem ullum tam obtusum putet, ut inducere ei possit in animum, *scribendi brevitatem* se a *Regis exemplo discere* voluisse, quam (proxima pene periodo) *nosse omnes* dicit *sibi tam familiarem, ut opus ei a nemine eam discere*. Hæc quomodo cohærent, *quod a nemine ei opus*, ut *discat*, velle *a Rege discere?* Quam *misera conditio* Cardinalis, qui aliter a se crimen amoliri non potuit? Scommate igitur hic usus est, quis nescit? quod ordiri non debuit Cardinalis a voculis, quibuscum ludere nefas, *Deus bone!* Nec Noster habuit, nec id alii Principes gratum essent [Quam fausta sub Rege Jacobo vivendi conditio:]

[n] [Cf. Bell. de Rom. Pont. lib. iv. cap. 6. § 'Quarta.' Op., tom. i. p. 212. D.]
[o] [Vide Ovid. Amor. i. 6. 59.]
[p] [Vide Respons. Torti, p. 28. edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 650. A.]
[q] [Ibid. p. 35., et col. 653. D.]
[r] [Ibid. p. 25., et col. 648. C.]
[s] [Ibid. p. 98., et col. 684. A.]
[t] [Ibid. p. 97., et col. 683. C.]
[u] [Ibid. p. 53., et col. 662. C. in Epistola Bellarmini ipsius, et pp. 96—101. (coll. 683—685.) sub Torti nomine in defensione ejusdem.]

habituri, sic se *componere ad Exemplum*[y] eorum. Sciunt, inter *simiam agere*, et *æmulari serio*, quid intersit. Et ut *Mimica* illa imitatione injuriam sibi fieri, ita leviculam hanc et ludicram excusationem, Cardinalem vix decere judicarent. Nec sub Rege nostro *misera vivendi conditio*, (quo nihil sol aspicit melius mitiusve,) quique et *imitetur*, siquid uspiam boni est, et in bono aliis se imitandum præbeat. *Misera* forte *Regum ipsorum conditio*, quibus ita impie illudi fas sit a Cardinalibus.

Quodsi *misera Cardinalis conditio*, nisi *ibi vivat, ubi exemplum habeat, unde scribere discat;* ne sic quidem effugiet, quin, vel ubi vivit, *miser* sit. Vere enim *miser* Cardinalis, si *ab illius, sub quo vivit exemplo, discendum ei scribere*, a quo *bene vestiri* forte discat, at nec *loqui* nec *scribere*. Certe injuriam sibi Cardinalis *fieri* judicaret, si *scribendi exemplum* a B. suo Patre Paulo *sumere* cogeretur: longe vero majorem (audeo dicere, in eoque conscientiam illius convenio,) quam si a Rege. Nam de Rege quid attinet dicere, in quem illiberalem hunc locum strinxit? Modeste tamen dicam, et vere: *Literarum* laude cum qui neget inter Principes præstare, et Principem esse, *literatum* cum negent *literati* omnes. Ac Cardinalis forte *altum sapit* de se, *discit a nemine:* id tamen tuto affirmare liceat, esse vel in ipso *Cardinalium* cœtu, nec paucos esse, qui, absque *Purpuræ suæ* injuria ulla, Regis *ab exemplo* et *loqui discant*, et *scribere*. Neque vero laude hac sola *Literarum* præstare Regem, præclara quidem illa, præstare et aliis: in Eoque virtutes reliquas Pietatis, Justitiæ, Prudentiæ, Temperantiæ, Munificentiæ, Clementiæ, et siquæ
116 aliæ sunt, quæ in Rege, quæ in Christiano laudari solent, ita elucere in eo omnes, ut Principum nemo sit *integer vitæ*[z] magis, nemo *ad cujus exemplum* mores componas, a quo melius virtutem *discas*, adeoque sub quo libentius velis *vivere*. Quam vero Deo dilectus, quam illi cordi sit atque curæ, *difflato nuper pulvere vestro*, et quasi nebula discussa, omnium in oculis jam, omnium in ore versatur. Tali autem sub Rege, tam pio, prudenti, casto, miti, munifico, potestne esse *non felix vivendi conditio?* Quin circumfer oculos, lustra regiones omnes, ab iis qui lustrarunt quære, ubi (si detur optio) malint jam vivere, quam (uti nomen eis facere solent)

[y] ["Componitur orbis
Regis ad exemplum."
Claud. de IV. Consulat. Honorii, 299, 300.]

[z] [Horat. Carm. I. 22. 1.]

in *fortunatis hisce insulis. Fortunatis* autem ab Illo, nec ulla adeo re, a Prolis futura spe, factaque illi a Deo regnandi conditione, pacata, prospera, miti, bonis omnibus affluente, *quæcunque Principis aut populi vota sunt. Serva nobis hæc bona, Summe Deus. Misere* ergo hic errat Cardinalis. Appello vel invidiam: Nusquam sub ullo, quam sub Nostro hic, *felicius vivitur.*

Hic vero Cardinali (qui sic dicit, *Quia Felix sum, et nescit quia miser est*[y],) *suadeo emat Collyrium, visurus,* si *bene sibi oculos inungat,* nusquam magis, quam sub quo ipse *scribit, et vivit, miseram,* tum *scribendi,* tum *vivendi conditionem. Miseram scribendi* sub eo, *ubi injuriam* sibi Sixtus *fieri judicet,* si *Pontifices* scribat *jure Cæsari subjectos unquam,* ac jubeat proin referri *Controversias* ejus in *Librorum prohibitorum Indicem*[z]. Ubi idem a Paulo periculum, nisi paucula illa, quæ bene scripsit et ingenue, ad Bosii et Martæ exemplum *recognoscat.* [haud item Romæ.]

Ubi vero *misera* magis *conditio,* quam *sub eo vivere,* in quo fastus ac tyrannis: vel eo loci, ubi luxus et libido late dominantur? Nam fastus in eo quam tumidus, *qui injuriam sibi fieri judicat, si a Petri exemplo honorem sumere discat,* cuique honor nullus pro dignitate satis est, nisi procumbat quis, et soleas ei osculetur. Quantus in populos fastus, *Stulte populе et insipiens*[a]*?* Quantus in Reges? *Ego facio, ut qui Rex vester est, Rex vester ne sit*[b].

Quæ vero, vel ubi tyrannis major animarum, quam sub eo, *qui injuriam sibi fieri judicat,* nisi *Errores* ejus pro *Oraculis* habeantur, atque is imprimis, *Errorem in eum non cadere,* qui quotidie tamen turpiter impingit? qui etsi nihil sciat, *omnia* tamen *jura in scrinio pectoris habere*[c]*?* etsi nihil sapiat, labi tamen vel decipi non posse? etsi Satanæ mancipium sit, *Vicedeum* tamen *Opt. Max.* dicas et dejeres oportet? ni 117
facias, rapiendus illico ad *Inquisitionem,* ubi *vere misera* non

[y] Apoc. iii. [17, 18.]

[z] [Vide Sixti V. Indicem Libb. Prohib. 4to. Romæ. 1590. "Roberti Bellarmini Disputationes de Controversiis, etc. nisi prius ex superioribus regulis recognitæ fuerint:" et Bartoli Vita del C. Bellarm. p. 125. cit. apud. "Mendham's Literary Policy of the Church of Rome," pp. 104. 106. Lond. 1830.]

[a] [Bellarm.] contra Barcl. [al. De Excus. Barcl. cap. xxxi., quod dialogum continet inter populum regi nimis addictum et Pontificem,] p. 222. [Op., tom. vii. col. 963. B.]

[b] ["Facio ut ille, qui tibi Rex erat, non sit tibi deinceps Rex." ibid.] p. 224. [Op., tom. vii. col. 964. B.]

[c] [Vide Cod. de Testamentis, lib. vi. tit. 22. l. 19. ap. Corp. Jur. Civ.

vivendi solum *conditio*, sed etiam *moriendi*. Nec est ulla cruda magis in corpora etiam tyrannis, quam quæ *Inquisitionis* est. Quæ in hæresim experrecta primum, vicem jam præstat Pontifici, ad quamvis animi impotentiam: ubi stomachum quis ei fecit, (sentiat in religione, ut volet, *Secum* an *secus*) eo rapitur, obtentu aliquo, ad vel certam mortem, vel fœdam et *miseram* servitutem.

Quære vero sub Pontificum dominatu, quam *beata vivendi conditio*, ab Italia vestra, quam, totics vocatis eo exteris, permiscuerunt, quam Guelphis suis et Gibellinis misere habuerunt, ac plane in frusta discerpserunt. Vel ab *urbe* ipsa quære, et quoties *Papas* Populus ipse Romanus excutere aggressus sit, cum civium ibi jura violenter invaderent? quoties urbe pulsi? ut, cum Ipsos hostes sui, etiam Reges, (etiam ipse Cæsar) Ipsi Cives suos fugere coacti sint, et cum *Orbem* terrerent, *Urbem* suam timere. Quære autem et ab Orbe Christiano, cui *ceram* suam, et *plumbum* tam care vendiderunt, quem nugis suis ita expilarunt, næniis ita perdite fascinarunt, diris ita misere divexarunt. Subduxit ergo se jam, *de sub eo*, bona Europæ pars, subducitque indies, nec quæ sic subduxit, ambit subesse denuo, vel luget ex eo valde *conditionem* suam quasi *miseram*; *miseram* tum potius, cum sub tot ejus *gravaminibus* ingemisceret, a tot ejus *fulminibus* subinde deflagraret.

Nec *sub eo* sane *beate vivitur*, sub quo ne *bene* quidem, ubi *Prostibula cum approbatione* sunt, *approbatione autem non alia quam qua Religiosi Ordines, quam qua Pontifex ipse*[d] (si Jesuitæ hic nostri rem tenent): ubi asylum certum, fida statio, sceleris pretium, perditissimo cuique Proditori: ubi *Judæo* melius sit, quam *Christiano* non per omnia cum Pontifice desipienti; ubi Indicatio scelerum est; ubi dispensationum contra Jura, Juramenta, Vota, fœda nundinatio; ubi Tridentum ipsum venale, et Decreta ibi omnia; ubi quæ non licent, licentur (quibus res est,) et quæ licentur, licent omnia. Ubi sedes Satanæ scilicet, qualem pinxere olim Petrarcha[e],

[d] Discurs. modest. p. 13. [vide supra, p. 8. not. [h].]

[e] ["Quicquid uspiam perfidiæ aut doli, quicquid inclementiæ superbiæque, quicquid impudicitiæ, effrænatæque libidinis, audivisti, aut legisti, quicquid denique impietatis, et morum pessimorum sparsim habet aut habuit orbis terræ, totum istic cumulatum videas, acervatimque reperias."—Petrarch. lib. Epist. sine tit. Ep. 15. Op., p. 726. Basil. 1581.]]

et Mantuanus[f]. Et, *Niobe hæc Niobe non distat ab illa*[g]. Denique, ubi regimen ipsum *tyrannis* est, ac *tyrannis* pejoris notæ, violenti scilicet, et parti per malas artes, dominatus. Nam *Principem* ibi *Papam* non damus: nec unquam ita erimus in Cæsarem injurii, non *Romanorum Imperatorem* et Dominum, nisi et *Romæ*. Scit vero verum hoc, vester Ille, (Cæsarem ditionis Dominum verum;) Proin, summovet quantum potest, trans Alpes procul, nec libenter in *Urbe*, non vel *Urbi* propinquum videt, verum *Urbis* Dominum, et *Suum*. Pacisci autem cogit Neapolitanum, Cæsar ne fiat unquam, neve Imperii capax sit: quasi male sibi conscius, (qui malæ fidei possessor sit:) tam vicinum sibi Cæsarem non sustinet: et Neapoli jam Roma imminet, ne Romæ Neapolis. Sub hoc tam *insolenti fastu, sub hac animorum, corporum, bonorum tam tetra tyrannide, sub illicitorum licitatione et licentia tanta,* potestne cuiquam non *misera* esse *vivendi conditio?* Hic quidem nullos reperiet, qui *injuriam sibi fieri non judicent,* si ad *vestrum exemplum componi,* si vitam vestram discant *vivere.* 118

Bellarminus non sciebat se adversus Regem scribere, cujus nomen in fronte libri non viderat; et fidem habuerat iis, qui nuntiaverunt librum . . . . esse nescio cujus Decani Sacelli Regii.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 44. [Op., tom. vii. col. 729. D.]

At etiam, *nesciebat a Rege librum esse! non vidit in fronte nomen: fidem habuit fabellæ de Decano Sacelli.* Scilicet! qui, quod exploratum hic tot *Legatis* Exterorum Principum, quique, non nemini illorum Regio nomine oblatum, tanquam Suum, *nescire* non poterat. Quod in ore hic omni populo, id *nesciebant,* qui Cardinali res nostras referebant? *Sciebat* vero; sed se *scire* simulabat, ut *Præfationem,* ut *Typographum* suum dissimulare; ut sub affectata hac *ignorantia,* sub persona Torti liberius grassari posset in *Auctorem,* et *mendacia*[h], *calumnias*[i], *ineptias*[k], et *non Christiani*[l], imo etiam *Juliani*[m] probrum petulanter impingere. [Bellarminus Regis esse librum nesciebat.]

Primum, breviter et distincte scribere, non potest superbiæ, vel arrogantiæ

[f] [Vide Joan. Bapt. Mantuan. 'De Calamit. Temp.' pass. Op., tom. i. p. 1. seq. Antv. 1579.]
[g] [Vide Ovid. Metam. vi. 273.]
[h] [Respons. Torti, p. 28, et Bell. Op., tom. vii. col. 650. A.]
[i] [Ibid. p. 64., et col. 667. D.]
[k] [Ibid. p. 42., et col. 657. B.]
[l] [Ibid. p. 67., et col. 683. C.]
[m] [Ibid. pp. 96—101., et coll. 683—685.]

imputari, nisi ab eo, quem nimia perturbatio transversum agat.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 45. [Op., tom. vii. col. 730. B.]

[De conviciis Regis queritur;] *Breviter* quidem *et distincte scribere superbiæ non est.* At *Mimum* agere, ubi *Momum non* possis, id *superbiæ* est, et non ferendæ: qua, ut hoc scriberet, *transversus actus* est Cardinalis. Regia vero verba, quæ corrogavit, quid habent atrocitatis[n]? *Cardinalem* scimus esse; *Jesuitam* fuisse; id quoque scimus: Quare *ExJesuitam*, ut *Cardinalis* fieret. Epistola autem ejus, qua ejerare vult fidelitatem (qui eam pridem juraverat) Archipresbyterum [o], *flabellum* dici potuit et *calcar seditionis*, sine atroci injuria. *Ambitiosum se, pro Monarchia Pontificis fulcienda* (scio) non negabit; passurus alioqui a *Quinto* hoc, quod a *Quinto* alio pati paratus erat, qui lentum nimis in hoc negotio Jesuitam autumabat, qui parum aberat, quin ut tota illi vita elaboratas lucubrationes ejus, referret in atrum *Indicem*. Potest vero *errare* errorem aliquem,
119 quippe necdum *Pontifex*, (*Cardinalis* modo:) *errorem* autem non semper subtilem. *Convincendus mendacii* fuerat Pontifex, nisi intervenissent quidam *e Cardinalibus:* intervenerunt illi; quare immunis a mendacio. Nec mentem habet Cardinalis, aut mentis actum ita confirmatum, ut in eum *versiculus*, *Perdere quos vult, hos dementat*, quadrare non possit sine gravi crimine [p]. Percurre Lector a primo ad ultimum, quæ Cardinalis hic inscite atque maligne vellicat, dictum ibi apud Regem haud ullum reperies, nisi vulgatum, nisi eorum de genere, quæ ultro citroque in scholis jactari solent, atque in æstu disputationis, pro more, cuivis impingi. Non autem qualia despumavit Tortus, amarulenta, purulenta, virulenta. Procul autem a se habuit Rex per omnem librum, ut illum, ut personam illius per dedecus vel verbo violarit, quæve persona illius indigna essent usquam insperserit. De *Ambitione*, nescio quid alicubi delibavit forte, et Honoris *sacra fame* [q]: sed, quod Romæ, quod in Cardinale, norunt omnes capital non esse. Lenivit autem, si quid aspere, iis quæ sequuntur ibi, *tam docti viri judicium* [r]: Cutim ista vix perstringunt. At illa Ejus, tanquam ungues hærent in vulnere, quæ statim subjicit.

[n] [Apol. pro Juramento, p. 235.]
[o] [Vide Bellarm. Ep. ad Blackvellum apud Resp. Torti, pp. 51—57., et Bell. Op., tom. vii. coll. 661—664.]
[p] [Apol. pro Juramento, p. 288.]
[q] [Virg. Æn. iii. 57.]
[r] [Apol. pro Juramento, p. 235.]

Quæ enim mendacia sunt, non scio Latine appellare, nisi mendacia. . . . Quanquam si Regium librum esse scire potuissem, . . . a verbis atrocioribus [acerbioribus] honoris gratia temperassem.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 47. [Op., tom. vii. col. 731. A.]

Quæ ipsa, ipsi etiam, ita visa deformia, ut recipiat se denuo ad latebram *ignorationis;* quam omnes technam esse sciunt. *Scivit;* et hoc *scisse* illum omnes *sciunt.* Peræque uti poterat defensione ista: non se illa, sed Tortum dixisse. Quare, vix quenquam illa legere reor, *Si librum Regium esse scire potuissem, a verbis atrocioribus honoris gratia temperassem,* quin quasset caput, vel labrum mordeat, doleatque fecisse primo turpiter Cardinalem, turpius jam excusare. Saltem, si non poterat *appellare nisi mendacia,* ne *appellasset* quidem, id enim poterat. Saltem, in quibus *mendacii* nihil, *mendax* ipse *mendacii* non allegasset. [Convicia iterum impingit,]

Quo honore dignum non existimavi Decanum vel Chronographum illum, a quo non me solum, sed etiam Summum Pontificem . . . . tam inverecunde tractari videbam.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 47. [Op., tom. vii. col. 731. A.B.]

Verum, *hoc honore dignari noluit Decanum,* vel *Chronographum.* At id tamen Tortum decere poterat; veniam non gravate dare, qua et ipse interdum indiget; tam enim impingit ille in *planitie*[s], quam alter hæret in *luto*[t]; et hæc *fructum in lectorum animis gignere non videntur*[u], ut Cardinali credere *suadeantur*[v]. Sed, neque Regi tamen in eo parcit, quem etiamnum per latera *Chronographi* cruentat: de quo cum dicat, quod *sciens prudens mentitus sit*[w], quod *inverecunde Pontificem tractarit,* idque dicat, postquam librum Regium agnoscit jam; annon cuique hinc liquet, quo animo sit in nomen Regium? Et illa, prius, de *temperando* sibi ab *acerbitate,* nec *vere* dicta nec *verecunde.* 120

Ad Juliani parallelum illud apud Tortum, dignum Juliano, merito indignatus Rex quæsivit, *Honestane ea ratio cum Rege agendi. Et annon in eo, Ordini ipsi Regum illata contumelia*[x]*?* Hic Cardinalis, ubi *agnitum* ab eo crimen suum, [et odioso dilemmate Regem involvit.]

[s] ["Istam planitiem et evidentiam nos crassiores et simpliciores minime cernimus."] Tortus, p. 118. [Edit. Colon. p. 99.; Edit Polit., et Bell. Op., tom. vii. col. 684. D.]

[t] ["Non discutio . . . lutulentam orationem."—Resp. Torti, p. 25. Edit. Polit., et Bell. Op., tom. vii. col. 648. C.]

[u] ["Ne forte libellus regius fructum illum nobis eriperet, quem Brevia Summi Pastoris, et Epistola mea in animis fidelium Anglorum gignere cœperant."—Bell.] Præf. [ad Apol. pro Resp.] p. 2. [Op., tom. vii. col. 706. A.]

[v] [Bell.] Apol. [pro Resp.] p. 92. [Op., tom. vii. col. 756. C.]

[w] [Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 731. A.]

[x] [Præf. Monit. p. 24.]

etiam *expiatum* oportuit, plus etiam atque magis peccat in modestiam. Quasi enim post atrocem injuriam ludibrio locus esset, quasi serii nihil ageretur, ludit etiam de novo, *insulso* quidem et *frigido*, sed *petulanti* tamen atque *odioso Dilemmate;* procax in eo magis, et contumeliosus quam prius. *Catholicum esse Regem; Et non abhorrere a fide Catholica.* Tum, *non esse Catholicum et abhorrere.* Atque ita tandem, *neutrum esse:* (rejicit enim utrumque.) Hoc quale est? Convicium, non argumentum; nec vel ipse pro argumento habet vel responso (responsum enim mox quale-cunque subnectit); non tam *Dilemma* quam *Scomma* merum, nec in eo quicquam propositi habet, præter contumeliam.

Frigidum autem dixi et *insulsum.* Nam talia quis non arripit, quoties vult, de trivio? Cui vero non proclive in quemvis, non dico Principum, sed vel mortalium, simile *dilemma* stringere, si cui, ad exemplum hoc, libeat sycophantam agere in Comœdia?

Odiosum vero et *petulans;* Sive causam spectes, quæ cum seria sit vel maxime, et impatiens joci, importune hic dicax est; Sive Cardinalem ipsum, quem minime decet hoc ætatis, hominem senem, et Theologum, sic *Sannionem* agere, et (quod in proverbio est,) *anum saltare*[y]; Sive magis Regum personas sacras, quæ aliter ab eo demerendæ essent, nec ineptiis his inurbanis atque insipidis irritandæ. Indignum enim plane, sic haberi personam Principis ullius. Merito autem dedignentur, quicunque eo ex Ordine sunt: *Qui crimine ab uno*[z], *idem omnes expectent;* nisi petulantiam hanc mature frangant, nec sic sinant impune dicaces esse. Interim, nullus hic nobis *Dilemmati* locus, ut libenter audiamus, *Turpene factu hoc, an honestum* Cardinali fuerit. Absque enim *Dilemmate* omni, nihil habet *honesti* scribendi *genus* hoc (dicam, an *morbus*) tam procax. *Turpe* vero inprimis, *ab eo non abhorrere.*

121 Hic libenter audirem honestumne, an turpe, Rex existimet abhorrere a fide Catholica.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 48. [Op., tom. vii. col. 731. C.]

[Honestum a Pontificia fide abhorrere,] Sed enim, si pruriunt illi aures adeo, ut *libenter audiat, Honestumne, an turpe, Rex existimet a fide Catholica abhorrere,* vellet ei aurem paulisper Chrysippus[a]. Etiamne, ut audiat,

[y] [Erasm. Adag. p. 19.]
[z] [Vide Virgil. Æn. II. 65.]
[a] [Vide Horat. Ep. I. 2. 3.]

honestum abhorrere a fide Catholica? At hoc, quod tam *libenter* (ut videtur) *audire* vellet, quantumvis aures *pronas* habeat et *pendulas*, a Rege nunquam auditurus est. At forte, *a Pontificia fide honestum abhorrere*, præsertim (quam nominat) *Clementina*, quæ *parum honesta:* cui religio nulla, cui nec *turpe* erat ab *Ethnicorum Ethica fide abhorrere.* *Fidem* enim Regi datam turpiter fefellit, atque ita *confregit* apud nos *tesseram*[b]. *Honestum* vero, a tali et *homine*, et *fide abhorrere*, cui nihil *fidei* fuerat, tantundem autem et *honesti.*

Audiat vero et alterum, quod non tam forte *audire* gestit. *Abhorrere a fide Catholica turpe* est, *turpe Rex existimat*, nisi addas, et *Romana*, et ea additione corrumpas *Catholicam.* Multum enim detrimenti *Romæ* inter vos passa est *Catholica*, multas etiam sordes contraxit, a quibus *turpe non sit abhorrere:* ut *adhærere* liceat *Catholicæ fidei*, et a vestris tamen corruptelis parum *Catholicis abhorrere.* Eæ vero sordes nuper alicubi detersæ sunt, et forma, quam ab initio statim habuit, ei reddita. Huic vero sic *Reformatæ* adhæret Rex, non *Deformatæ* vestræ. Et injuriosus in Regem Clemens, qui Eum ab his *Catholicæ fidei* corruptelis vestris *sensit*, vel somniavit potius, *non abhorrere.* Atque hæc, ad Domini simile *Dilemma*, *auritum* magis quam *cornutum.*

[haud item a Catholica.]

[Sin autem honestum sit a fide Catholica abhorrere, non fecit eidem Regi injuriam, cum affirmavit,] Regem Jacobum non esse Catholicum, et quia Catholicus non est, hæreticum esse, cum hæc duo contraria sint.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 48. [Op., tom. vii. col. 731. C.]

Iterum autem allidit ad errorem veterem, quasi *Catholicus*, et *Hæreticus* contraria sint, de quo Tortum, quod hæc duo contraria non sint, monui. *Orthodoxum* potius *Hæretico* contrariari. Non autem *Hæreticum* (ex genere ipso,) nisi forte qui *Judaizat;* aut, quæ per orbem late patet, Catholicam, ad unam aliquam orbis partem revocet: quod olim Donatistæ, hodie Romanistæ faciunt. Utrique proin *abhorrentes a fide Catholica*, at hi magis. Illi enim ad Africam, quartam Orbis partem: hi, ad unicam *urbem* in angulo Italiæ.

Nullam factam esse Regi injuriam,... quod ... Clemens Pontifex ... spem habuerit bonam de Regis conversione, et existimare cœperit, ex eo .. quod Catholicos in Scotia quietam ac tranquillam vitam ducere patiebatur

[b] [Erasm. Adag. p. 179.]

eum a fide Catholica non abhorrere.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 48. [Op., tom. vii. col. 731. D.]

[Vana Clementis spes de Regis conversione.]

Vigilans somniavit Papa, et *spem bonam habuit, de Regis conversione.* At inanis spes, nec *bona,* nisi ratio substet bona. Ecqua autem ratio, *quia Catholicos in Scotia quietam et tranquillam vitam passus est ducere. Non miror, si multa hic dicantur non vera, quoniam* Cardinalis *de rebus sibi incognitis, et sine auctore loquitur* [c]. Vix in Scotia fuit, et est adhuc *de raro contingentibus,* ut quisquam ibi se *Papistam* profiteri
122 audeat. Nec ad diem usque hunc, *Recusantium* ibi vel nomen invaluit: Nec est hodie (sit Deo laus) melioris notæ quisquam, qui Sacris ibi, aut Rei divinæ subducat se, vel interesse detrectet. Quod siqui unquam extulere caput, de iis qui *Papismum* professi; ita est in eos animadversum, ut ex *tranquillo* eorum statu, in *spem bonam* venire non posset Pontifex, propendere animo Regem, ut faveret Papismo. Quin, de *Nobilium* numero, qui primi sese fautores ejus profiteri, læsæ Majestatis rei facti, solum vertere coacti, ædes eorum solo adæquatæ. Post vero eis, nec ad honoris gradum, nec ad rem familiarem, reditus ante datus, quam, et scripto suo, et juramento dato, et vero etiam Sacramento sumpto, *abhorrere* se testati essent *a fide Romana vestra.* Ain' vero *vitam tranquillam?* Hæc est illa, (scilicet) quam duxerunt in Scotia, *vita tranquilla,* unde *spes* tanta Pontifici, Regem in religione mutaturum. Quod valde voluit Clemens, de eo sibi somnia finxit: vana quidem spe productus est, et Cardinali hæc *injuria* nulla? imo summa! *Injuriam* enim facit constanti viro, qui eum putat *arundinem vento agitatam* [d].

Quod . . . scripsit Bellarminus, Regem in Scotia Puritanum, . . . ad historiam, non ad injuriam pertinet.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 48. [Op., tom. vii. col. 731. A.]

[Rex nunquam fuit Puritanus.]

Regem in Scotia Puritanum fuisse, Cardinali, *ad historiam pertinet.* Historiam? quam? a quo scriptam? Est in *historia* Rex (cum nondum decimumoctavum ætatis annum attigisset) infensus eorum hostis: et qui *paritatem* illam illorum explodere, antiquum vero *Episcoporum* regimen in integrum revocare in animo haberet. Nec aliam exinde Regi mentem *in historia* legas. Ad *injuriam* ergo *pertinet* hoc; ad *mendacium pertinet; ad historiam* non *pertinet.*

[c] [Verba Bellarm. de Rege Jacobo. Vide Apol. pro Resp., Bell. Op., tom. vii. col. 725. C.]

[d] [Matt. xi. 7.]

Id autem ita esse, non absolute pronuntiavit, sed addidit, si vera sunt, quæ narrantur ab iis, qui eum intime noverunt: Itaque de rebus sibi ignotis aliis credidit, qui fide digni visi sunt. Si falsa narrarunt, ipsi viderint.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 48. [Op., tom. vii. coll. 731. D. 732. A.]

[Iniqua Bellarmini credulitas.]

Ac se quidem ipse Cardinalis mendacem in eo monstrat, quod dixerat *de historia*. Subjicit enim paulo post, *narrasse hæc illi*, nescio quos, *sibi visos fide dignos*, se autem (nam quid aliud faceret) *credidisse*. Ita, Cardinalis *historia* jam *fabula* mera est. *Narraverunt impii fabulationes*[e], ille pro *Historiis* habuit. Siccine vero Majestati *Regum* defert Cardinalis, ut quorundam hominum susurris, quos nec nominare possit, ita sit credulus, ut referre audeat in scripta, de Regibus, quæ Regibus indigna? Tum, satis se excusatum putat, si jejuna hæc proferat, *Non absolute dixi, sed si vera narrantur, de rebus ignotis aliis credidi. Narrarunt hoc alii, qui fide digni visi sunt.* Tum, *si falsa narrarint, ipsi viderint.* Siccine etiam audacter calumniari fas, ut cicatrix hærcat, dum addas modo, *si vera narrantur?* et, ubi deprehensus falsi sis, ne id quidem curare, dum adjicias, *si falsa narrarunt, ipsi viderint?* Et nihilne nobis *narratur* de Cardinale? Eane sat erit propalare scriptis, addito tantum, *si vera narrantur?* aut si non narrentur, *si falsa narrarunt, ipsi viderint? Viderit* vero Cardinalis, *an hoc sit*, existimationem Regum sacram et illibatam servare? 123

Quanquam non desunt conjecturæ ex Basilico Doro; . . . nam. lib. i. p. 6. sic legitur: 'Religionem quam in Scotia profitemur Scripturæ verbis fundatam esse;' et lib. ii. p. 40: 'Reformata religio in hanc nostram Scotiam divino plane miraculo introducta est.'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 49. [Op., tom. vii. col. 732. A.]

[De reformata in Scotia religione.]

Veritus, ne *fabulæ* huic suæ deesset fides, *non deesse sibi dicit conjecturas*, quibus *fabulæ* fidem faciat. Scribit Rex, *Religionem, quam in Scotia profitentur, ipsis Scripturæ verbis fundatam esse*[f]. Quidni scribat? *Puritanorum* ea religio non est, quorum nulla est religio sua atque propria: disciplina est. Quod ipsum tamen de *Puritanis* generatim dictum volo, deque iis inter eos, qui præterquam quod *Disciplinæ* suæ paulo magis addicti sunt, cætera sobrie satis sapiunt; Qui, quantumvis *formam* illam suam perdite depereant, in reliqua tamen doctrina satis Orthodoxi sunt. Nec enim nescius

[e] [Ps. cxviii. (Vulg.) 85.]

[f] ["Religio nostra, quæ est Dei cultus juxta revelatam Ejus voluntatem, in sacris literis fundata est."—Bas. Dor. lib. i., Reg. Jacob. Op., p. 68.]

sum censeri, adeoque esse, eo in numero (non minus quam in *Societate* vestra) cerebrosos quosdam, pronos in schisma nimis. Etiam non deesse, qui, quoad religionis capita quædam, vix per omnia sani sint. Quos ego hic, quos ubique exclusos volo. Mihi ab exteriori regiminis forma *Puritani* sunt, non autem a religione, quæ eadem et est, et esse potest, ubi facies regiminis externa non eadem. Redit post, ad *introductam eo divino plane miraculo religionem* [g]. Respondi supra, quæ par erat. Nego jam, mentionem inibi ullam *divini miraculi*. Qui solet Anglicum inspicere Tortus, Cardinalis, ubi e re sua id est, inspiciat hic Βασιλικὸν Δῶρον, videbit, *extra ordinem, seu extraordinaria ratione introductam eo Religionem* [h]. Nullum autem *miraculum* ibi *Divinum*. Dixit autem *extraordinaria*, quod stabiliendæ religionis via *ordinaria* sit per interventum auctoritatis Regiæ. Qua via in Scotiam introducta non est. Nec enim Principis auctoritatem expectarunt: Scias autem, hunc ibi Regis animum fuisse; addit enim (ne verbo quidem unico interjecto) *id quod in Anglia, Dania, aliis Germaniæ partibus, factum est:*
124 quam hic Cardinalis clausulam, per suum *'etc.,'* præcidit statim; ante autem, per suum *'et paulo post:'* ne, si venisset in conspectum, *conjecturæ* statim ejus mole sua ruerent. Elucceret ex iis statim sensus illius, quod, *extraordinaria ratione introductam*, dixerat. Ubi enim, *ordine* quidem aditus religioni patefactus, per eos patefactus, penes quos rerum summa; ut in iis, (quas dixit,) Rebuspublicis: ubi secus, (ut in Scotia) extra ordinem plane. At, quod Anglice sic posuerat Rex, Latinus interpres vertit, *Divino miraculo*. Rege autem nescio, sic vertit. Nescio enim Rege, publicatus liber ille aureus, Gallice, Italice, Teutonice, Latine, quem *Rex*, inter κειμήλια esse voluit Henrico Principi, cui in privatos usus cum dicarat. Nec de Latino faciendo cura illi, postquam emanasset; nec, de versione ejus Latina, vel corrigenda: Quodsi cura illi aliqua: (qui alibi, cum Tortus; hic quoque cum Cardinalis tam curiosus est, in versandis Anglicis,) si vel aliqua ei cura hic, Anglica vel inspiciendi; cessante *miraculo*, statim

[g] ["Religionis in Scotia reformatio," etc. lib. ii. ibid. p. 72., ut supra, p. 42. not. w.]

[h] ["The reformation of religion in Scotland, being extraordinarily wrought by God."—Bas. Dor. Lib. apud Reg. Jacob. Op. Ang., p. 160.]

cessasset tota hæc calumnia Cardinalis. Ejus hic *incuria*, Regis *injuria*.

Catholicum se non esse palam profitetur, cum in tota illa Apologia nomen Catholicorum semper tribuatur [leg. tribuat] illis, qui Romano Pontifici adhærerent [leg. adhærent.—Bell. Apol. pro Resp.] p. 49. [Op., tom. vii. col. 732. B.]

At *cura* quidem in hoc; in sequente vero *cor* illi deest, et *frons*, ubi Regem dicit *Catholicum se non esse palam profiteri*, qui nusquam id fecit, nunquam facturus est. *Profitetur palam se Catholicum*, at non *Romanum*, ne, quod voce prima posuit, evertat secunda; nec compinget unquam vim vocis tam late patentem, in unius vel urbis, vel pectoris angustias. Quod, quo magis facit, eo magis *Catholicus*. Secundum huic accenseri potest, perinde falsum. *In tota Apologia nomen Catholicorum semper illis tribui, qui Romano Pontifici adhærent*. Non enim, vel *in tota*, vel *semper*: Ostendi hoc copiose alibi[i]. Quibus autem id tribuit in locis, ita tribuit, ut ad illorum ingenium, non sensum suum loqui, facile quis possit agnoscere. De quo cum Cardinalis Tortus sit, Tortus autem responsum jam acceperit; quod Torto satis fuit, sufficiat et Cardinali. Sed, nec *abhorret a Catholicorum*, qui veri et veteres sunt, quæ vera est et vetus, vel *religione* vel *fide*. *Fidei* adnata quædam sunt, in *religionem* irrepserunt nonnulla: inter *hæc* distinguit, et *religionem*; inter *illa*, et *fidem*: *fidem*, *religionem* amplectitur: tum hæc, tum illa rejicit: nec cum *zizaniis* simul *eradicat et triticum*[k]; quod sanum est, retinet, quod vetus, renovat, quod recens a Roma vel Tridento, non agnoscit pro Catholico. [Rex est Catholicus.]

Quamvis autem . . . Catholicum se probare nitatur, cum tamen a Romana Religione, et a Romani Pontificis obedientia, alienum se esse dicat, non ideo judicio orbis terræ Catholicus unquam haberi vel dici poterit; quoniam nomen 'Catholici' Ecclesia Romana ita obtinuit, ut etiam hæretici interrogati, ubi ad Catholicam conveniatur, non suas domos, sed istam unam ostendant . . . [unde hæretici omnes, tanquam rami fracti, exciderunt.—Bell. Apol. pro Resp.] p. 49. [Op., tom. vii. col. 732. B. C.]

Utcunque vero *se probet Rex Catholicum*, narrat ei Cardinalis, operam omnem perire; *A Romana religione, a Romani Pontificis obedientia si alienus sit*, nihil egit. Nomen *Catholici* Ecclesia Romana obtinuit: nempe pars, totius: individuum, generis. Narret hæc *idiotis* suis: nam qui doctrina [Romanistæ Donatum sapiunt.]

[i] Vide Tortur. Torti, pp. 399, 400. Edit. Lond. 1609: et nostr. in marg.

[k] [Matt. xiii. 29.]

vel leviter tincti, agnoscunt statim vocem hanc Donatum sonare, qui, quasi deserto jam orbe reliquo, *in meridie cubare Christum et pascere*[l], nec alibi usquam, nisi in Donati parte inveniendum. Æquior autem Donati *vox*, qui *partem orbis integram* Christo reliquam fecit; non in *unam urbem semirutam* contrusit. Iniquior Cardinalis, quanto Roma minor Africa est. At illud, nec *idiotis* (credo) suis persuasurus, fieri posse, ut, *judicio Orbis terræ*, abjudicetur *Orbi* terræ nomen *Catholici*, adjudicetur *Urbi*. Nec, per immensa terrarum spatia, (qua per Asiam, qua per Africam, qua per ipsam Europam, Gentes existere tantas, tam multas, ut, qui Pontifici adhærent, præ eis, manipulus modo sint;) apud quas si quæras, *ubi ad Catholicam conveniatur, Romanam ostensuræ sint*[m], cum nec Romana ibi sit, quam *ostendant:* et si esset, non tamen pro *Catholica*, sed pro *ramo diffracto ostenderent*. Nec si qua parte hæretis adhuc, et aliquis ibi de vulgo vestram *ostenderet*, (interrogatus de *Catholica*,) id valde ad rem faciat: nec id usquequaque habendum pro falso; fuit enim, adeoque et jam est, sed quæ vitium jamdiu traxit, nempe, ut parietinæ nomen ferunt, quod ibi olim fuerat, ædificii. Idem autem, *interrogatus* de *Reformata*, digitum ad *nostram* intenderet, eo ipso fassus (scilicet) *Catholicam vestram* ruinas ducere. Utrique hanc nominis gratiam facerent; sed malus veritatis magister vulgus.

Itaque S. Ambrosius . . . 'Quæsivit . . . an cum Romana Ecclesia consentiret[n].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 50. [Op., tom. vii. col. 732. C.]

[Romani Pontifices non semper sanæ fidei.]

Quod affert de Ambrosio, ne id quidem ad rem. Recte *quæsivit, an cum Romana consentiret?* Sciebat enim *Episcopum* tum Romæ *Catholicum:* At paulo ante, cum Liberius ibi *in hæresεως subscriptionem consenserat*[o], nec diu post, cum

[l] ["Scriptum est, inquiunt (Donatistæ) in Canticis Canticorum, sponsa, id est Ecclesia, dicente ad sponsum, *Annuntia mihi, quem dilexit anima, ubi pascis, ubi cubas in meridie.* Hoc est unicum testimonium quod pro se isti resonare arbitrantur, eo quod Africa in meridiana orbis parte sit constituta."—S. Aug. contr. Donat. Epist. (aliter De Unitate liber.) §. 40. Op., tom. ix. col. 577. A. Confer quoque Serm. xlvi. §. 37. tom. v. col. 351. C. et Serm. cxxxvii. §. 9. ibid. coll. 974. D. 975. A.]

[m] [Confer S. Cyr. Hier. Catech. xviii. sect. 26. pp. 297. D. E. 298. A. citat. ad fin. Tortur. Tort.]

[n] ["Sed non ita avidus fuit, ut esset incautus; scimus enim plerosque aviditate studii prætermittere cautionem. Advocavit ad se episcopum, nec ullam veram putavit nisi veræ fidei gratiam, percontatusque ex eo est, utrumnam cum episcopis Catholicis, hoc est cum Romana Ecclesia conveniret."—S. Ambr. de Excessu Fratr. Satyri. sect. 47. Op., tom. ii. coll. 1126. E. 1127. A.

[o] [Vide S. Athanas. Hist. Arian. ad Monachos. sect. 42. Op, tom. i. p. 368. D. E.]

idem fecit Honorius[p]; non hoc de *Romana* quæsiisset Ambrosius. Pro illius temporis ratione, *quæstio* illa illius; quæque, nec semper ante, nec post vero semper, tuto quæri poterat.

De quo nomine vide quæ diximus in extrema pagina prioris . . . libelli.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 50. [Op., tom. vii. col. 732. C.]

Nam, quæ *in extrema pagina* scripsit Cardinalis, et ita valde *videri vult* a Lectore, fatemur omnia: nec de nominis honore lis ulla; sed utri e re magis nomen habeant.

Hæreticum non esse Christianum, non ideo dixi, quod ignorarem, ampla quadam significatione Christianos dici posse, quotquot in Christo baptizati Christum se colere profitentur: sed quoniam proprie illi soli veri Christiani sunt, qui veram atque integram Christi fidem [in Ejus Ecclesia] tenent, nullique hæreticæ sectæ adhærent.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 50. [Op., tom. vii. col. 732. C. D.] 126

Recognoscit post Cardinalis, quæ *de Hæretico non Christiano* minus caute dixerat, et ex ampla jam gratia Christianos dici permittit, *quotquot in Christo baptizati, Christum se colere profitentur.* Fecit ingenue hoc, et ut se dignum erat: porro, de cætero idem sæpe faciat. Nam si, qui *Christiani* sint *proprie,* quærat, debet ad *fidem veram caritatem* quoque *non fictam* adjungere; ut nec *hæreticæ sectæ,* nec *vitiosæ vitæ* adhæreant. Id si fecerit, Ecclesia Romana, quæ sic (ut dicit) *Catholicæ nomen obtinuit, judicio orbis terræ* Christianæ nomen vix *obtinebit.* Quare, sinat Christi baptismo et cultu rem Christianam stare, et qui uspiam per Orbem totum *Christo nomen dederunt,* in hujus nominis societatem venire. *Hæreticus,* per hoc, *Christianus* esse non desinit: et *atrocem injuriam fecit ei,* quem sic appellavit; *injuriam* et *Patribus,* qui aliter eum loqui docuerunt. [Hæretici sensu quodam sunt Christiani.]

Regem, religionem, quam cum baptismo susceperat, dimisisse.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 50. [Op., tom. vii. col. 733. A.]

Rex autem, quibus in *baptismo abrenuntiavit,* iisdem hodie quoque abrenuntiat: eadem, quæ ibi credere se professus, jam credit, quæ *Baptismo suscepit,* eorum haud quicquam *dimisit.* De Missa ibi Latina, nec intellecta populo; privata, nec populo data vel accepta; sub una modo specie, nec integra; de Purgatorio, Imaginibus, Reliquiis, operibus supererogationis, Monarchia Pontificis; præstare non tenetur quis, de his nihil ibi stipulatus est. [Rex fidei suæ nunquam renuntiavit,]

[p] [Conc. C.P. iii. (Gen. vi.) Act. xiii.—Conc. tom. vi. col. 943. seq.]

Vere injuriam gravissimam illi fecit, qui eum abstraxit a Matre Catholica, et instituendum Calvinianis tradidit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 50. [Op., tom. vii. col. 733. A.]

[Quomodo institutus,] *Institutio* quidem ejus ea fuit, etsi *a matre abstracti*, ut *judicio Orbis terræ* ejus illum pœnitere non debeat. Ad rem divinam, ad Dei verbum frequenti, ad sacrosanctam Eucharistiam, debita, devota præsentia, Vitæ castimonia, terrenarum rerum contemptu, et (quæ in minimis non est laudum) clementia, Regum in numero, quos Cardinalis *Catholicos* indigitat, (parce dicam) nulli cedit. Nec vel melior, (ausim dicere) vel vir fuisset, vel Rex, si præclara illa (quam Cardinalis somniat) *institutione frui* datum ei fuisset. Qualis autem Noster hic, quales alibi Vestri sint, in theatro positi Orbis terrarum, latere non possunt.

Jacobus Rex non solum unus esset ex ordine Regum, sed . . . e numero Catholicorum Regum, si a Parente Catholica institui posset [leg. potuisset]. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 50. [Op. tom. vii. col. 733. A.]

[Quam orthodoxus,] Est vero *in ordine atque numero Principum Orthodoxorum* Rex noster. Ut constet esse, ad eam rem, *Confessionem* suam edidit, inque illo *ordine* atque *numero*, æquiores judices expectat: Cardinali, non vel stat vel cadit, qui *Controversias* suas forte omnes fieri vellet de *symbolo*: quarum pleræque
127 (quod vel plebeii, nedum Principes facile agnoscent) laciniæ modo sunt, et assumenta ad fidem, quæ, præcisis his, potuit olim diu, potest et jam recte consistere.

Sed quod princeps, qui ab ipsorum religione abhorret, =

Aliam ergo a Regibus censuram certo sibi pollicetur, postquam *de majoribus illis*, sanam sibi, solidamque fidem probavit esse. Non enim, *ab illorum religione abhorret*, sed a quibus *abhorret*, illa illorum *religio* non sunt.

= qui [ut] Antichristum execratur, [quem illi ut Christi vicarium colunt,] =

Papam quidem, nisi in Templo sederet, pro Deo se gereret[q], Vicedeum se scribi sineret[r]; pro *Antichristo* non haberet: cui inustas notavit notas multas, quibus fieri vix potest, quin valde Antichristum referat. Nec execratur tamen, quin mensuram suam nosse, et ad meliorem mentem redire ex animo optat: si id non detur, saltem, ne Regibus sceptra, subditis ne fidem ereptum veniat.

[q] [2 Thess. ii. 4.]

[r] [Quo titulo Thomas Maria Caraffa, in dedicatione Thesium suarum, Paulum V. insignivit. Vide Burnet's Life of Bedell, p. 11.]

= qui intercessionem Sanctorum palam irridet, qui venerationem Reliquiarum intolerabilem idololatriam vocat, qui Purgatorium, Missam, et cætera fidei Catholicæ dogmata conspuit, Hæreticus . . . dicatur, moleste ferre non possunt, nec commoveri, nisi commotione fraterni doloris, quod tantum Regem, quem ipsorum ordini sceptrum et corona conjunxerat, ab ipsorum communione hæresis et schisma disjunxerit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 51. [Op., tom. vii. col. 733. B.]

Nec *Sanctorum invocationem irridet,* sed ab *invocatione* eorum abstinere tutius putat, nulli præcepto nixa, voluntario modo cultu introducta. *Reliquias* honorifice asservari sinit, religiose adorari non sinit. Adorationem enim religiosam Latriæ copulari: uno versu utramque *soli Deo* a Christo vindicari[s]. In *Missa,* si missa fiant, quæ cum Transubstantiatione vestra ibi submissa sunt, bono si loco res esset, non valde de nomine litigaret. *Purgatorio* nonnulla alia dogmata vestra, etiam *Purgatorium* ipsum, opus habere, non invitus agnoscit: certe, ad *fidem* ea non pertinere: ut probare possit, ut probarit abunde eis fidem suam: nec illis opus sit *commoveri viscera,* nisi ira forte in Pontificem, qui Brevibus; in Cardinalem, qui Epistolis et Apologiis, avertat ei ab officio populum suum. Mirentur magis, *commoveri paterna ejus viscera,* ad subditos ejus a fide (qui tam sanc sapiat) avocandos. Quem adeo eis *sceptrum et corona conjunxit,* ut non debeant næniæ istæ et religionis cortex (si tamen cortex) *ab ipsorum communione disjungere;* sed neque disjungent unquam. Nam et cum Henrico VIII., et cum filia ejus Elizabetha, et cum eo qui Gallias nuper feliciter rexit, (fremente licet et frendente Pontifice) reliqui Christiani Principes et inierunt libenter fœdera, et religiose semper, constanterque coluerunt. [Quam dogmata Pontificia condemnat.]

Ac ut Rex intelligat non esse novum in Ecclesia, ut Sacerdotes libera voce arguant Reges hæreticos, adscribam . . . verba S. Hilarii . . . ad Constantium. . . . 'Tyrannus non humanorum sed divinorum,' etc. . . . Et 'Scelestissime mortalium,' etc. — [Bell. Apol. pro Resp.] p. 51. [Op., tom. vii. col. 733. B. C.]

Minitabundus autem, ut Epistolam suam ad Cæsarem, atque Principes[t], ita locum hunc concludit hic, *ut Rex intelligat,* (nec solus tamen,) Cæsar quoque et Principes, (ne hoc *novum* illis atque insolens videatur,) caveant sibi, atramentum Cardinali non deesse, nec fel, quibus, cum opus sit, scribat in [Bellarm. in Regem minax.] 128

[s] [Matt. iv. 10.]
[t] [Vide Bell. Præf. ad Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 707. A.]

eos Satyram vel Philippicam, *cum tempus transiit tacendi*[u]. Et phrases ipsas selegit, et ascripsit. *Tyrannos enim divinorum, et scelestissimos mortalium* appellabit (scilicet), ut Constantium olim excepit Hilarius[x], excepit et Lucifer. Et hæ Cardinalis *liberæ voces* sunt, *O tu sceleste, o sceleratissime mortalium.* Cæsari *dictæ* olim, iterum, ubi res postulat, *dicendæ.* Quanto autem melius is, (quem paulo post nominat) Nazianzenus (qui propius abfuit, et Constantii Imperatoris indolem melius nosse potuit:) apud quem reperias pleno ore laudatum; apud quem, multa et seipso magis digna et Constantio. Imo, quanto melius Hilarius ipse, libellis suis (qui supersunt) duobus ad eundem Constantium: ubi etsi Constantii nonnulla improbaret, (quis enim omnia ejus probet?) ita tamen notavit *vitia,* ut *conviciis* abstineret. *Non licet tibi facere istud,* dixit Herodi Baptista[y], imitandus in hoc Hilario: sed procul aberat contumelia, nec vel male Petrus Neroni dixit, vel Decio Cyprianus.

[Ex S. Hil. Pictav.,]

Possent addi non dissimilia ex Lucifero Calaritano.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 52. [Op., tom. vii. col. 734. A.]

Ex *Lucifero,* (est ut dicit) *consimilia addi possunt,* quin pejora longe, sed quæ nemo libenter numeret inter ejus *κατορθώματα.* Quin *in Deum deliquisse eum,* dum titulo hoc conviciis suis fucum faceret, *De non parcendo in Deum delinquenti*[z]. Excuset ista quis, sic potc: Exularat, commotior erat, dolori indulsit: ut vero factum hoc *insolens* non fuerit, ut laudi datum Lucifero, ut posteris *imitabile,* non hoc efficiet Cardinalis, ne si Baronium advocet.

[et Lucif. Calarit. similia allegat convicia.]

Librum illum [S.] Hilarii . . . Constantio . . . vivente editum et viventi oblatum convincit Baronius, tom. iii. Annal. p. 715.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 52. [Op., tom. vii. col. 734. A.]

Eccuinam enim persuasit Baronius paradoxum illud suum, *Viventi Constantio oblatum ab Hilario scriptum hoc?*[a] oblati pretium mortem non futuram? Aut Constantio vivo impune laturum fuisse suum illud, *O scelestissime mortalium?* Imo

[S. Hilarius, mortuo jam Constantio,]

[u] [Vide S. Hil. Pict. in Constantium ad init. Op., tom. ii. col. 561. A.]

[x] ["Tyrannus non jam humanorum sed divinorum es."—S. Hil. Pict. Lib. in Constantium, sect. 7. Op., tom. ii. col. 566. B. "Scelestissime mortalium, omnia persecutionis mala ita temperas, ut excludas et in peccato veniam, et in confessione martyrium."—Ibid. sect. 8. col. 567. C.]

[y] [Matt. xiv. 4.]

[z] [Vide Bibl. Max. Patr. tom. iv. p. 227. seq.]

[a] [Baron. Ann. Eccl. ad ann. 360. Num. viii.—xiv., tom. iii. coll. 1007, 1008.]

premebat apud se in chartis, nec *edi* passus est[b]. Et hæc suspicio non est. Quæcunque enim libelli illius reperta sunt exemplaria, in fronte hoc ferunt omnia, non nisi *mortuo* demum *Constantio* lucem aspexisse. Baronius, contra fidem exemplarium omnium, Cardinalem agit, (quoties vero id?) Sed et alia multa, et hoc cum aliis, reponat quis inter *Errata* ejus Cardinalia.

Possent addi non dissimilia . . . ex Greg. Nazianzeno, et [ex] aliis.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 52. [Op., tom. vii. col. 734. A.]

De Nazianzeno[c] alia res est. Fœdissimum Apostatam (ut par erat) punxit, verum et *mortuum* jam, cum resipiscendi 129
spes nulla: et *orbum*, cum posteros non haberet, quos alienos eo facto posset reddere. Cyrillus[d] autem, octogesimo demum anno post, ad Juliani scripta respondit: nec nisi redacto jam in pulverem Juliano. Et horum uterque quod fecit, ad rem nihil. Nec enim inter Reges *Christianos* Julianus, osor *Christi*, et *Religionis Christianæ*.

[S. S. Greg. Naz. et Cyril. Alex., mortuo item Juliano, libros suos ediderunt.]

Quo vero redeunt hæc? Nempe, ut *Pontifici*, cum volet, liceat *Principi* cuicunque hæresin impingere. Post autem, ut sine nota aliqua insolentiæ, Cardinalibus liceat impune in eos debacchari. Id enim tandem vult dicere Cardinalis, pepercisse se Regi nonnihil, cum *non Catholicum*, *non Christianum* diceret: saltem si non *pepercerit*, *novum in Ecclesia non esse* linguas in Cæsarem *laxare*, *Regum* autem in eadem urna cum Cæsare sortes esse.

[b] [Vide Dissert. præviam Editoris Benedict. in hunc librum, sectt. xiii. xiv., S. Hil. Pict. Op., tom. ii. coll. 557–560.]

[c] [Vide S. Greg. Naz. Orat. iii. (in Jul. I.), Op., tom. i. pp. 76. A. seq., 84. C., 101. C. seq., 102. D.]

[d] [De Conviciis S. Cyr. Alex. in Jul. vide Contra Jul. lib. iv. ad init., et lib. vii., Op., tom. vi. par. ii. pp. 114 et 224.]

Ad Caput Sextum.

Quod Cardinalis Bellarminus directe responderit ad Apologiam pro Juramento Fidelitatis. Adversarius vero statum causæ mutet, et ad alia extra rem digrediatur.—[Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 734. A.]

Quod Cardinalis Bellarminus directe non responderit ad Apologiam pro Juramento Fidelitatis: Adversarius vero statum causæ non mutet, nec ad alia digrediatur extra rem.

Bellarminus ad prius illud Caput directe respondit, in illo Juramento fidelitatis non contineri solam civilem obedientiam, sed abjurationem Pontificiæ potestatis.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 54. [Op., tom. vii. col. 734. C.]

[Bellarminus ad Apologian directe non respondit.]

Quæritur jam, An *directe responderit Cardinalis* ad Apologiam, an vero *statum causæ mutaverit, digressus ad alia.* Capita duo erant. Primum; In juramento Fidelitatis, contineri solam civilem obedientiam. *Directe respondisset,* si, cum tribus locis ponatur ibi in juramento vox ipsa *obedientiæ,* in aliquo trium *obedientiam* aliam quam civilem requiri docuisset: Non docuit, *directe* ergo *non respondit.* Verba ipsa, quæ inibi operativa sunt, *fidelitatem tamen et veram obedientiam præstabo Regi,* an alium sensum habere possunt, quam de civili sola et obedientia et fide? An, contra aliquod
130 religionis Papisticæ caput ex adverso ponuntur? annon contra depositionem Regis, dispositionem Regni, et quæ ibi similia sunt, sola? At respondit, *abjurationem inesse Pontificiæ potestatis.* Ne sic quidem *directe.* Non enim ullius potestatis, quæ vere Pontificia sit, non ullius, nisi quam usurpant in Cives, ne civilem Principibus obedientiam præstare teneantur: ut, et hæc potestas abnegari possit, et sola tamen ibi civilis obedientia contineri.

Idque ostendit tribus argumentis, ex Titulo Edicti, qui est ad detegendos et reprimendos Papistas; ex verbis Juramenti, ubi negatur Pontifici potestas

ligandi et solvendi; et ex alio Juramento clariore, quod est de Primatu Regis in spiritualibus[a].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 54. [Op., tom. vii. col. 734. C. D.]

Friget vero argumentis *Sic Titulus Edicti.* Imo dic quibus Juramenti verbis potestas Pontificia abnegetur. Titulus enim *Edicti* Juramenti pars nulla est. 1. *Titulus Edicti, Ad detegendos Papistas,* an (scilicet) civilem obedientiam præstare renuant? Ergo *Juramentum soli obedientiæ civili præstandæ non est.* Imo vero est. 2. Negatur, excommunicatione solvi vinculum, quo filius parenti, Principi subditus obligatur, (id est) vinculum solum civilis obedientiæ; ergo negatur excommunicatio. [Argumenta ejus breviter recensentur.]

[Illa vero consecutio, quam vitiosam esse, et solam in ejus libro positam Rex dicit[b], nusquam in libro Bellarmini invenitur.—Bell. Apol. pro Resp. p. 54; et Op., tom. vii. col. 734. D.]

Habetur autem *vitiosa* hæc *consecutio* pag. 17[c]. Negatur potestas solvendi a Juramento civilis obedientiæ; negatur ergo potestas solvendi (Petro cum clavibus concessa). 3. Postremo fuit *aliud Juramentum* ante septuaginta annos de potestate Pontificia. Hoc ergo etiam est. Nisi reddat incudi *argumenta* hæc sua, *recudat* librum, quantum volet, quoties *recusus* erit, quot exemplaria, tot testes exstabunt, quod ad Caput primum Cardinalis *directe* vel nolit, vel nesciat, *respondere.*

Bellarminus non disputavit universe, possetne Summus Pontifex Reges deponere, quod ad rem ipsius non faciebat, sed assumpsit solum, posse a Summo Pontifice Reges hæreticos excommunicari atque deponi, quod apud Catholicos in dubium revocari non solet.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 54. [Op., tom. vii. col. 734. D.]

Quod ad secundum: et in eo quoque diversus abit. Ut enim de potestate Reges abdicandi verba faciat, ægre adducitur, nec *disputasse se universe, an hæc insit potestas in Pontifice Reges deponendi, sed assumpsisse solum, Reges hæreticos a Pontifice deponi, quod apud Catholicos in dubium revocari non solet.* Quorsum autem hæc modificatio de *Hæreticis?* Pontifici si stomachum moverint, triduo fient *hæretici:* quis nescit? Et hoc tamen, *in dubium apud Catholicos revocari solet.* Vidimus in Gallia nuper, nec (a *Catholicis* suis) agni- [Pontifex reges primum hæreticos facit, dein deponit.]

[a] [Resp. Torti, pp. 8—12.; et Bell. Op., tom. vii. coll. 639—641.]

[b] [Præfat. Monit. p. 25.]

[c] [Resp. Torti, pp. 10, 11. Edit. Polit., et Bell. Op., tom. vii. col. 640. A.]

tum pro deposito Regem, quem duo Pontifices deposuerant[d]. Idem et in Hispania visuri, si Philippum II., quod habebat in animo Sixtus V., excommunicatum primo, deponendum post censuisset. Assumere ergo hæc non debuit, quæ sic *in dubium revocari* solent; sed disputare: si sic (ut ait) ad Apologiam *directe respondere* in animo habuisset.

131 Posterius caput ad fallendos lectores ambigue . . . proponitur, (cum dicitur . . . . 'Hanc in Reges potestatem, &c.)[e]. Quæro enim quid sibi vult illud, Hanc potestatem.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 54. [Op., tom. vii. coll. 734. D. 735. A.]

[Qualem in Reges potestatem habeat Pontifex.] Quin, hoc ipso jam loco, ubi satagit, ut excuset se criminis, quod *directe non responderit, statum causæ non mutavit, extra rem digressus non sit,* tria hæc (inquam) hoc ipso jam loco facit: dum cavillo eludit lectorem, *ambigue a Rege positas* voces has, *Hanc in Reges potestatem.* Ubi, *hanc potestatem, quid* sibi velit, *quærit.* Omissis autem illis, *in Reges.* Vix *directe* hoc. *Potestas* enim *in Reges* Pontificis *quid sibi velit,* quis nescit? ut anxie opus sit *quærere,* quid voce *potestatis in Reges* intelligendum veniat. Quod autem, *hanc in reges potestatem,* dixerit, id ad superiora referri debet, Ubi *duo tantum esse capita* dicit, de quibus in Apologia disseruit, *ut supra monui.* Supra *monitus* lector, non hic jam denuo *monendus* erat tam cito. *Hanc in Reges potestatem,* facile per se intellexerit, de qua Rex *supra monuerat.* Nam ut *hanc in Reges potestatem* Pontificis, de obedientia subditorum intelligeret, aut, ut *hanc in Reges potestatem,* de *potestate prohibendi juramenta;* nemo tam (credo) insulsus. Et lectori injuria fit a Cardinale, qui sic nugis his detinetur. Verum Cardinali certum *digredi,* ad alia omnia *digredi* et *retrogredi,* quam ut de odiosa hac *in Reges potestate congredi* velit, aut *universe* vel disputare, vel dicere. Diceret in Brevi Pontifex, diceret, quam partem, quam vocem ibi prohiberet. Responderet Cardinalis *directe,* sicubi, in Juramento, obedientiæ vox, aliter quam civilis obedientiæ sensu veniret intelligenda. Non facit: ambages quærit, principium petit, *directe* non *respondet.*

[d] [Henr. sc. IV. depositus primum a Sixto V., (Thuan. Hist. lib. lxxii. cap. 5. tom. iv. p. 301.) iterum a Greg. XIV., (ibid. lib. ci. cap. 14. tom. v. p. 66.) pro rege agnitus, (ibid. lib. xcvii. cap. 4. tom. iv. p. 794.) et absolutus demum (ibid. lib. cxiii. cap. 22. tom. v. pp. 522, 523.]

[e] [Præfat. Monit. p. 25.]

Pasce oves . . ., et Tibi dabo claves, non adduxit . . . ad oppugnandum caput illud posterius, sed . . . probandum esse in . . . Pontifice potestatem excommunicandi, &c.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 55. [Op., tom. vii. col. 735. B.]

Pasce oves meas, Tibi dabo Claves, non probant posterius caput, de jure Pontificis, ad Regna Regibus abroganda. At hoc quæritur. Probant dispensare, excommunicare, absolvere posse, qui ad Gregem suum spectant. At hoc non negatur, utique nec affirmatur; nec enim ea ibi res agitur. Ad caput prius (uti videt Lector) penitus adhærescit: ad posterius, de *hac in Reges potestate,* ne pertrahi quidem potest *directus* iste *responsor.* [Potestas deponendi Scripturis non fundatur;]

Reliqua, . . . nihil esse aliud, nisi digressiones ad invidiam atque odium . . . Pontificibus . . . conciliandum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 55. [Op., tom. vii. col. 735. B. C.]

Illa vero quæ dicit, *a Rege posita ad odium Papæ conciliandum,* vere posita, non negat. Cur ergo ea dicunt, faciunt Papæ, unde illis *odium* merito *conciliari* possit? cur culpam hic non præstant? cur illa, tam *odiosa,* non damnant? cur subinde refricant? *Odio* enim si digna non facerent, *odio* inde (quod ita amoliri cupit Cardinalis) non laborarent. [Justum Pontifici odium parit.]

A Rege hæretico, quique se hostem manifestum Ecclesiæ Catholicæ, totiusque Orthodoxæ religionis profitetur, nihil aliud expectari posse, nisi fidei religionisque contemptum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 55. [Op., tom. vii. col. 735. C.] 132

Nec est in eo *contemptus* ullus, vel *Religionis* vel *fidei,* si, quam infesti fuerint olim Papæ Principibus, narret quis ex historia: quam etiam futuri jam, si veteres illis ad hoc vires responderent. Ubi, *incivilis* et *inverecunda est* calumnia Cardinalis, *Regem se hostem manifestum Ecclesiæ Catholicæ totiusque Orthodoxæ religionis profiteri.* Imo et *religioni,* et *Ecclesiæ* amicus summus, qui has *Ecclesiæ* labes, et *Religionis Orthodoxæ* probra, qui hos certos Regum Principumque hostes, in scenam protrahat, ut eos omnes simul novisse, simul odisse jam possint. [Rex non manifestus fidei Catholicæ hostis.]

Hæc omnia . . . meræ calumniæ sunt. Non solum enim nihil horum in Bellarmini libro reperietur, sed contra potius de solis Hæreticis.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 56. [Op., tom. vii. col. 735. D.]

In eo vero accusatio Regis injusta, fraus mera Cardinalis est, et mendacium, qui *calumniam* dixit. Imperium in Reges (quo Regna illis, cum vult, adimit) *in solosne hæreticos* usurpat [Reges, etiam non hæretici, sæpe depositi.]

Papa? De *solisne* jam *Hæreticis* sermocinatur Cardinalis? Et quæ ergo tandem Othonis IV. hæresis[f], quem imperio, quæ Joannis Navarreni[g], quem regno exuit? Quæ Philippi Pulchri, cujus Regnum in Albertum Austriacum transcripsit[h]? quod autem et ademptum ei non sit, per Pontificem non stetit. Nulla autem horum hæresis fuit, sed nec Henrici IV., nec Friderici II. Imperatorum, quos tamen *hæreticos* denunciavit. Quodsi, ubi demum *hæretici* sunt, exauctorari possunt, nihilo eis melior exin conditio, nimis lubrico in loco versantur. Nimis enim illi in proclivi potestas, *Hæreticos* faciendi, et ubi volet, et quos: et, qui ipsi non recedunt, sententia sua saltem præcipitandi. Etsi autem tam deforme sit *hæresis* crimen, ut vix quisquam sit, qui de eo fateatur: tamen, ne, si fateatur quis, obedientiæ tamen vinculum solvitur: vel arcendi obedientia subditi; *Cæsari tamen, quæ Cæsaris, reddenda sunt*[i]. Cæsari Tiberio, Caligulæ, Claudio, Neroni, Domitiano, ab Apostolis: Cæsari, Commodo, Severo, Decio, Diocletiano, a Martyribus: Cæsari, Constantio, Valenti, Anastasio, a Patribus: Regibus Arianis, Theodorico et Gothis, a Pontificibus, Gelasio, Anastasio, Symmacho, Hormisda, Joanne. Quibus vivis, quam hæc parum abfuisset ab *hæresi* doctrina? arcendos ab obedientia subditos Regum vel *Hæreticorum*, ullamve esse, extra ultrave Censuras, coactivam in Ecclesia potestatem.

[Quid de hac re Bellarminus in Controversiis scripserit.]

Itane? *calumniæ meræ?* (sic enim Cardinalem loqui cogit familiaris illi modestia) *Nihilne in Bellarmini libro reperietur de Regibus, qui Pontificio de Grege sunt, sed contra potius de solis Hæreticis?* At, reperietur ibi aliquid *de Arietibus*[k] (si bene memini) *recludendis*. Et qui tandem Arietes illi? Non enim Lupi. Imo, ipsum audite; *Princeps est aries furiosus, quando est Catholicus fide, sed adeo malus, ut multum obsit Religioni, et Ecclesiæ*[l]. Et hos quoque recludit, id est, ipso etiam interprete, detrudit aliquo in *locum arctum et munitum*

133

[f] [Vide Blondi Hist. Decad. ii. lib. 6. p. 274. F. Basil. 1559.]

[g] [Vide Æl. Ant. Nebriss. de Bello Navar. lib. i. cap. 3. fol. lxxvi. a.]

[h] [Vide Raynald. Cont. Annal. Baron. tom. xiv., ad ann. 1303. Num. xxxv.]

[i] [Matt. xxii. 21.]

[k] ["Potest pastor arietes furiosos destruentes ovile, separare et recludere. Princeps autem est aries furiosus destruens ovile, quando est Catholicus fide, sed adeo malus, ut multum obsit religioni et Ecclesiæ, ut si Episcopatus vendat, Ecclesias diripiat &c. Ergo poterit pastor cum recludere, vel redigere in ordinem ovium."—Bell.] de [Rom.] Pontif. [lib.] v. cap. 7. § 'Alterum vero.' [Op., tom. i. p. 236. B.]

[l] Ibidem.

(puta carcerem,) sed excludit regno. Non ergo *solos Hæreticos*. 2. At et reperietur etiam apud eum, mulctatos, Childericum regno Galliæ, Irenem et Constantinum Imperio Occidentis [m], quibus nota tamen nulla hæreseως inusta est. Non *Hæreticos* ergo *solos*. 3. Etiam tale aliquid reperietur, *Pontifices etiam sine excommunicatione de Temporalibus disposuerunt* [n]; sine hæresi ergo, quam *Censura* sequitur. Non *solis* igitur *Hæreticis* infestus Pontifex.

Sed da, vel *solis;* præstigias tamen sic facit Lectori. Eodem enim res redit. Compendio Romæ fiunt *Hæretici*. Quæro enim: lis incidit Pontifici, cum hoc interdum, interdum cum illo Principe Christiano: semperne justa causa Pontificis? Ne vos quidem ipsi dicitis. Peccare potest, et litem injustam fovere. Factum memoria nostra sæpe, majorum, sæpissime: Jam, nullusne in Pontificum serie homo cerebrosus? Æquine et moderati ad unum omnes? Nimis in aperto res. Pontifices sæpe expertus est Orbis, cæco animi impetu, vindictæ, ambitionis cupiditate abreptos. Cerebrosus Papa jam, si litem foveat, utrumque gladium distringet. Sed spiritualis illi semper in promptu: nec ulla tam frequens, tam expedita ratio, quam ad Censuras suas confugiendi. Nec sine causa tamen Censuram stringi oportet: nec ulla occurrit causa tam idonea, quam *Hæreticæ pravitatis: Solus* ibi forum, *solus* cognitionem occupat: *Actor*, et *Judex*, ubi de hæresi agitur. Quem autem Pontifex semel Hæreticum scripsit, pro Hæretico habendus. Nosti cætera. Ubi sic habitus, dignus qui recludatur aliquo in angulum, excludatur regno. Eodem ergo revolvimur, si ad *solos Hæreticos* revocetur res. Nimis Pontifici in tenui labor [o] Hæreticos faciendi. Factum hoc sæpenumero. Restitit Cæsar Papæ, et *reputatum est Illi ad Hæresin.* Nec ergo *de Hæreticis* ibi *solis* reperitur: Et si *de solis*, ne sic quidem in tuto Principes. Per animositatem Pontificum Reges facile fiunt hæretici, *ubi macula tantum coloris candidi adjudicavit lepræ, et contaminavit eos* [p]. *Sanos* sæpe *reclusit* pro *furiosis*, nec 134
minus *orthodoxos* sæpe *exclusit* pro *Hæreticis*.

[Papa hæreseως notam sæpe injuste affingit.]

[m] [Bell.] de [Rom.] Pont. [lib.] v. cap. 8. §§ 'Sextum,' et 'Septimum.' [Op., tom. i. p. 236. E. F.]

[n] [Bell.] contr. Barcl. [al. de Excus. Barcl. cap. iv.] p. 57. [Op., tom. vii. col. 864. D.]

[o] [Cf. Virg. Georg. iv. 6.]

[p] [Levit. xiii. 39.]

At ubi, quæso, expositionem illam tam incivilem, et inverecundam in libro Bellarmini vidisti? Non igitur ipse affinxit sensum illum Christi verbis, . . . sed interpres tuus, o Rex, Bellarmino eum sensum sine ulla specie verisimilitudinis affinxit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 56. [Op., tom. vii. col. 736. A.]

[Quantam Pontifici potestatem Bellarminus ascribit.]

Nusquamne autem videat quis apud Bellarminum, verba illa, *Pasce oves*, sensu illo, *abdica Reges*? Cui rei ergo ibi sunt? quorsum affert, ubi de potestate ejus ad Reges abdicandos quæritur, si hoc sensu non afferat? Sed nusquamne tamen videat quis? At videat *Principes oves esse*[q], Videat *pascere, regio more imperare*[r]. Reges autem proscribere possunt, (ubi id ita expedit,) et abdicare subditos. Nusquamne exstat hoc in libris ejus? At lib. de Pontif. V. tale quid: *Pontifici datam facultatem omnem Pastori necessariam*[s]. Inter eas vero, quæ Pastori necessariæ sunt facultates, facultatem esse *arcendi lupos*, (id est) *privandi dominio in subditos*: nec *lupos* solum *arcendi*, sed et *arietes recludendi*, atque id etiam est, regnis privandi. *Deponere, non tolerare, privare dominio*, exstant ibi: *tollere, proscribere, abdicare*, quid tandem interest? Reperit ergo *sensum hunc in libris tuis, Interpres Regis o Bellarmine.* Certe, *sine specie aliqua veri, similitudinem non affinxit.* Utinam vero te sensus ejus tandem puderet serio.

Neque . . . Bellarminus unquam Patrem Christianæ plebis . . . in Caligulam, aut Neronem, aut Dionysium Syracusanum commutavit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 56. [Op., tom. vii. col. 736. A.]

[Pontifex sæpius durus pater.]

At, quam subito mitis! *Patrem Christianæ plebis, in Caligulam, Neronem*, aut *Dionysium Syracusanum, nunquam commutavit.* Cur ergo, eo loco, *Patres Christianæ plebis* memorat, Gregorium VII., Innocentios III., et IV., Clementem VI.,

[q] [Bell. Apol. pro Resp.] p. 26. [Op., tom. vii. col. 719. D.]

[r] [Bell.] Recog. p. 21. [p. 2. H. ad init. Op., tom. i.]

[s] ["Tertia ratio, non licet Christianis tolerare Regem infidelem, aut hæreticum. . . . At judicare, an Rex pertrahat ad hæresim, necne, pertinet ad Pontificem. . . . . Ergo Pontificis est judicare Regem esse deponendum, vel non deponendum. . . . .

Quinta ratio, Cum Petro dictum est, *Pasce oves*, (Joan. ult. [v. 16.]) data est illi facultas omnis, quæ est pastori necessaria ad gregem tuendum. At pastori necessaria est potestas triplex; nimirum, Una circa lupos, ut eos arceat omni ratione qua poterit. Altera circa arietes, ut, si quando cornibus lædant gregem, possit eos recludere, et prohibere, ne gregem ulterius præcedant. . . . . Si ergo Princeps aliquis ex ove aut ariete fiat lupus, id est, ex Christiano fiat hæreticus, poterit pastor Ecclesiæ eum arcere per excommunicationem, et simul jubere populo, ne eum sequantur, ac proinde privare eum dominio in subditos. Alterum vero sit, potest pastor, &c." ut supra, not. [k].—Bell. de Rom. Pontif. lib. v.] cap. 7. [Op., tom. i. pp. 235. F. 236. A. B.]

qui tam indigna, Henrico IV.[t], Friderico I.[u], et II.[v], Ludovico Bavaro[w] intulerunt, qui proscripserunt, etiam abdicarunt? Certe Caligula, vel Nero, non fecisset, quod factum legimus Friderico ab Alexandro III.

Pari calumnia Cardinalem Baronium, virum æque pium, ac doctum, ac de Historiis Ecclesiasticis optime meritum, aspergendum esse Rex duxit, majorem fidem habens famoso libello, quam viris gravibus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 56. [Op., tom. vii. coll. 736. B.]

Baronius tuus tibi sit: tu illi. At, *de Historia Ecclesiastica meritus* multis in locis, optime meritus spongiam. Verba vero, quæ Rex ibi refert, in fronte sunt libri, ut nec *famosis libellis* quicquam opus sit ad *aspergendam*, neque *gravibus illis viris*, ad *detergendam* infamiam. Surge Petre, *occide*[x], quid sibi velint; quorsum quis quærat interpretem? Neutrobique, vel in *pastione* tua, vel in *mactatione* ejus sensus verus vel pius, sed quem viri leves testentur forte, *graves* detestentur. Et labem ergo hic sibi *aspergit* Cardinalis. Falsum enim crimen scienter intendit, dum, (quam fatetur ipse rem) *asperginem* dicit *calumniæ*. Nam, ni sensum eum loco fecisset Baronius, cur illi, (quos dicit *viros graves*) *scriptis libris sensum bene ab eo explicatum* contenderent? [Tali severitati favet Baronius.]

Procul vero Rex habet a se *famosos* et *libellos*, et *libelliones*; procul et vos habete, quales Sanderi sunt, et Personii. Sed in hoc, *famæ* locus nullus, nec *famigerulo*. Recenti enim adhuc re Veneta, exiit Epistola, præscripta (non Torti alicujus, *secundum regulas Ecclesiasticas*[y], *sed*) Baronii ipsius nomine, passim, per manus hominum pervagata. Ibi, periodo pene prima, legat, *expugnandos penitus atque occidendos Venetos, sed ex summa charitate*[z]. Quo exemplo? *Nempe Gregorii VII., et Alexandri III., quorum ille Henricum, hic Fridericum* (non dubium, quin præ amore summo) *expugnarunt*. Duos hos, populares suos, Senenses, imitandos Paulo proponit, atque *idem illi, cum Venetis, certamen* dicit *ineundum*. Quorsum ergo fronte hic opus, ut rem indignam vultu audaci fulciat, ubi innumeris exemplaribus convinci potest, et in ruborem 135

[t] [Vide Gotf. Viterb. Chron. par. xvii. p. 504; apud Pistor. Rer. Germ. Script. tom. ii. p. 344; et alios auctores citatos in Tortura Torti, pp. 287, 288. Edit. nostr.]

[u] [Vide supra, p. 105. not. [g].]

[v] [Vide supra, p. 142. not. [c].]

[w] [Vide Raynald. Cont. Ann. Baron. tom. xv. ad ann. 1323. Num. 30. seq.]

[x] [Act. Apost. x. 13.]

[y] [Vide supra, p. 1. not. [a].]

[z] [Vide Sentent. Cardin. Baron., ad calc. paræn. ad Remp. Venet. pp. 82, 83. Aug. Vindel. 1606.]

dari? Voluit, *occidi Venetos,* Confrater ejus (*æque in eo pius, ac doctus,* neuter enim,) voluit *occidi:* sed, *Ecce duo gladii*[a] non erant: uno autem res confici non potuit. Censores enim egerunt Veneti Censuræ *Pontificiæ:* atque ita, *ruina hæc sub manu ejus*[b].

Digreditur deinde Rex sine ulla causa . . . ad exemptionem Clericorum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 57. [Op., tom. vii. col. 736. B.]

[De Clericorum exemptione,] Nec est illa *digressio*[c]: nec, si esset, *sine causa* esset *de Clericis exemptis,* ne Regum subditi sint, quorum in ditione nati. *Digressio* non est. Pertinet enim ad hanc Pontificis in Reges potestatem augendam, Regum vero in suos minuendam: si subditorum, in quoque regno, tertia pars vere Pontificis subditi sint, Regum suorum non sint, *sine causa* non est. Quæ enim Reges causa magis attingit, quam ut sciant, quot habent in Regno Clericos, tot habere Pontificis subditos, non suos? suos autem, de non subditis, hostes quoque, si digito Pontifex concrepuerit? *Congressio* ergo hæc est, atque *intra causæ* ipsius *viscera,* potius quam *sine causa digressio.*

Quasi vero [leg. ultro] novum aliquid ipse scripserit de Clericorum exemptione, et non potius id, quod Doctores omnes Juris divini atque humani docent, ipsa etiam Concilia, sacrique Canones jubent.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 57. Op., tom. vii. col. 736. B.]

[Bellarmini novitates] At nihil tamen hic *novum* scripsit. Metitur enim *novitatem* suam ad nostra hæc, non Apostolorum sæcula, quorum (uti novit) temporibus, *subdita* eis erat *omnis anima, etiam Apostoli, etiam Evangelistæ,* nisi erravit Chrysostomus[d]. Cum usurpata Papæ in Principes potestate adolevit, si ad ætatem nostram conferatur, *vetus error:* si ad veritatem primævam, *mera novitas:* Nec in eo tamen *omnes Juris divini Doctores*
136 consentiunt, ne *humani* quidem: (de quo Tortum monui[e]:) nedum, ut id statuerint *Concilia* prisca, *Sacrive Canones.*

[a] [Luc. xxii. 38; et conf. Bonif. VIII. "Uterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius, et materialis."—Extrav. Com. lib. i. tit. 'De majorit. et obed.' cap. i. 'Unam sanctam;' in lib. Extrav. p. 208., apud Corp. Jur. Can. tom. iii.]

[b] Esa. iii. 6.

[c] [Vide Præfat. Monit. p. 28.]

[d] [Καὶ δεικνὺς ὅτι πᾶσι ταῦτα διατάττεται, καὶ ἱερεῦσι, καὶ μοναχοῖς, οὐχὶ τοῖς βιωτικοῖς μόνον, ἐκ προοιμίων αὐτὸ τοῦτο δῆλον ἐποίησεν, οὕτω λέγων· Πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτάσσεσθω· κἂν ἀπόστολος ᾖς, κἂν εὐαγγελιστὴς, κἂν προφήτης, κἂν ὁστισοῦν.—S. Chrys. Hom. xxiii.] in xiii. ad Rom. [Op., tom. iii. p. 189. lin. 17.]

[e] [Vide Tortur. Torti, pp. 389—394. Lond. 1609., et Edit. nostr. in marg.]

Sed qualem animum erga Reges . . . Bellarminus gerat, illi omnes sciunt, qui librum ejus de laicis . . . legerunt. Ibi enim adversus Anabaptistas, aliosque hæreticos Principatum politicum defendit, atque ornavit ex divinis literis, ex testimoniis Patrum, ex fontibus Philosophiæ ductis multis ac varis rationibus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 57. [Op., tom. vii. col. 736. B. C.]

[Qualis in reges Bellarmini animus.]

Post, de *animo* suo in *Reges* prolixe profitetur, *ex libro quem scripsit de laicis.* In eo *Literæ divinæ, sunt Patrum testimonia, multæ, variæ rationes, ductæ ex fontibus Philosophiæ.* Quorsum autem? Ut *defendat politicum principatum, adversus Anabaptistas.* At *Anabaptistas* solos hostes non habet; at et *defendi* opus habet, *adversus Papistas.* Quid enim Reges juverit, ut a populari æstu vindicentur, si Pontificio fastui mancipentur? ut vespas abigat, si cynomyiam immittat? Ut in *libro de laicis*[f] eximat a tumultu Laicorum, si, *in libris de Clericis,* ad pedes Pontificum conculcandos abjiciat[g]? Adversus autem hos, Literæ divinæ mutæ sunt illi: Patres nesciunt deponere: Philosophiæ fontes exaruerunt penitus. Defensoribus istis Reges non egent. Quanquam Papismus Anabaptismum etiam sapit; dum revocando omnia ad unius Ecclesiastici arbitrium, vim omnem elidit Politici magistratus; dum non aliter animari vult atque regi Regnum ab Ecclesia, quam carnem a spiritu[h].

Transit . . . . Rex, ... nihil laborans, si libri sui partes inter se apte cohæreant, an non, ad bona temporalia Ecclesiarum et Clericorum, a quibus occupari dicit tertiam partem soli et fundorum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 57. [Op., tom. vii. col. 736. C.]

[Rex juste questus est de nimiis Clericorum possessionibus.]

Apte vero *cohærent* illa, idque ita, ut non possint aptius, de *tertio quoque subdito, de tertia parte soli et fundorum:* atque ut ita *cohærerent,* labor Regis utilis fuit, labor Cardinalis irritus, ut divellat; qui, dum convicium modo Regi dicat, apte id, an inepte, faciat, parum videtur laborare. Regi quidem, in præcipuis laudum suarum, via ac ratio scribendi dilucida. Tam connexæ autem inter se, et aptæ *libri partes,* ita recte singula, atque ex ordine digessit, et suo quamque loco rem collocavit, ut nec iniqui (ea quidem de re) lectoris examen reformidet. Vix reperias, qui magis laboret, ne laboret lector ex perturbato ullo partium suarum ordine.

[f] [Bell. Lib. de Laicis, capp. ix. seq. Op., tom. ii. p. 379.]

[g] [Bell. de Rom. Pont. lib. v. capp. 6, 7, et 8. Op., tom. i. pp. 234—237.]

[h] [Conf. S. Greg. Naz. supra, p. 117. not. P.]

Cardinali vero, omnium minime, sic arrodenda fuit Regis methodus; cujus, si scripta quis nupera ad severi ordinis legem exigat, quam vero in iis multa peccat in methodum? quoties iterat eandem rem? quoties uni eidemque rei non uno loco reddenda responsio? quam vero crebræ *ταὐτολογίαι* et *περισσολογίαι*, quibus, parum laborat, si lectori nauseam faciat? Ut duplici hic nomine Cardinalis (tam de peccatis in ordinem suis, quam de jejuna hac in regem calumnia) in ordinem re-
137 digendus sit. Vix reperias, qui separet duo hæc, *personas*, et *bona Clericorum*, ita omnes illa *cohærere* putant *aptissime*, ut qui *apte* ea *cohærere* neget, vix ipse sibi *cohæreat*. Occupari autem a Clericis, (non Regum jam, sed Pontificum subditis) *tertiam* cujusque *Regni partem*, nihilne hoc ad Reges? Habent in sinu populum non suum Reges, *Laicorum* jam modo Reges, non *Cleri*: nec regnum jam in solidum tenent, *duas* tantum regni *tertias* relictas habent, (*periculosæ plenum opus aleæ*[1]) nec pro nihilo habendum. Et male tamen hoc Cardinalem habet, quod Regibus hæc in mentem revocentur.

Hoc videlicet illum male habet, quod non omnes Principes exemplum Henrici VIII. sequi velint, qui, cum primum a Romano Pontifice defecit, seque caput Ecclesiæ declaravit, continuo Ecclesias et Monastoria omnia diripuit, et reditus Ecclesiasticos Baronibus suis attribuit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 57. [Op., tom. vii. col. 736. C.]

[Non tamen eas ad profanos usus vult collocandas.]

At alia ejus *inverecunda calumnia est*, quasi Regem *male habeat, quod Principes Ecclesiæ bona non diripiant, quod non in eo sequantur exemplum Henrici VIII., qui post sublata Monasteria, reditus eorum divisit inter Proceres*, ac postinde, gazas suas ex iis nihilo ditiores habuit. *Inverecunda* (inquam) *calumnia*, et *insensata*. Numquid enim Rex ipse exemplum hoc sequitur? Numquid Ecclesiæ per illum reditus imminuti? Annon id illum potius male habet, quod quæ sic devota Deo erant, (etsi *in vota inquiri* forte posset) præter voventium mentes alienata, et non, etsi in alios, sacros tamen usus collocata fuerint? Non quod nefas sit tamen, ubi immensa opum vis, et ad luxum usque redundans copia (et erat ea in Monasteriis copia, et excrevit in immensum), demere de acervo aliquid, tam congesto et cumulato. Dum ne desit Ecclesiæ, quod decet Ecclesiam, sed ei ante omnia consulatur de suis: Dum eorum menti ne fiat fraus, qui Deo hæc

[1] [Horat. Carm. II. 1. 6.]

solenni ritu dedicarunt: Dum bona fide constet rem geri, et superfluum bonorum, quod Ecclesiæ decedit, accedat Reipublicæ. Qui, cum *Tabernaculo oblata sufficerent, vetuit ne amplius offerrent*[j], videri potest passurus, (nec invitus) reduci aliquid, si nimio plus obtulissent. Et nimio plus obtulerunt Majores nostri: nec ullum sibi modum statuerunt, vel finem, Monasteria donis cumulandi. Sat erat superque, in illa tanta profusione, unde et Ecclesiæ abunde prospici, unde et (quæ Ecclesiam tutatur) Reipublicæ seponi posset aliquid, ad illius onera perferenda. Resecari poterat, nimium quod erat, quod modum excessit, et ad usus hos, pios quidem, etsi non pristinos, impendi. Tantum, ut absint incœpto sacrilegæ manus, nec, quod publicam rem capere oportuit, privata 138
intercipiat. Nam, populari opes sacras, et ad usus nescio quos, (certe parum sacros) addicere, bonis omnibus, Regi ante omnes, displicet, quo nemo a Sacris alienandis alienior. Testor autem hic Clerum, et populum universum. Testor leges, recenti memoria, ab eo latas. Sciat vero Cardinalis, totaque adeo Curia Romana, displicuisse Regi direptionem illam; displicere adeo omnem, atque hoc legibus suis testatum fecisse, ad æternam animæ suæ salutem, nominis sui gloriam, et posteritatis memoriam; quibus cautum, non modo de non *alienandis* in posterum, sed nec in diuturnum aliquod tempus elocandis Ecclesiæ fundis[k]. Ita vero interclusit huic aditum omnem, ut non *Barones* (quos dicis) aut alii Regni Ordines, sed ut nec ipse Rex, gazas inde suas, ex rebus Deo dicatis, ditare possit. Reges in eo pios imitatus, quorum socius fiet, et famæ in terra, et memoriæ in cælo; eritque illi hoc, et apud Deum acceptum, et apud seros nepotes gloriosum. Adeo illi exemplum, quod narras, non placet, adeo rerum Ecclesiæ expilatio omnis odiosa est. Vides ergo, quam non *verecunda*, sed neque *sensata* calumnia hic tua. At, nemone Rex (non tamen *Caput Ecclesiæ*) vendidit, distraxit, diripuit fundos, in ditione sua, Ecclesiasticos, idque vidente et consensum suum præbente eo, qui Se, quem Cardinalis *Caput Ecclesiæ* declaravit, Pontifice ipso, quem male hoc non habuit, idque ut militibus inde stipendia essent, ad sine misericordia fundendum Christianum sanguinem? Quorsum hæc igitur attinet refricare?

[j] Exod. xxxvi. 7.

[k] [2 (vulg. 1) Jacob. cap. iii.]

Longius exspatiando atque evagando, ad alia magis adhuc remota digreditur. . . . Qui multas paginas consumit in describendis Historiis Imperatorum et Regum, qui cum Pontificibus Romanis inimicitias gesserunt.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 58. [Op., tom. vii. coll. 736. D. 727. A.]

[De potestate Imperatorum in Pontifices.]

Lectori tamen nunquam imponet Cardinalis, ut ei persuadeat, ubi maxime rem premit Rex, ibi ad *remota* nescio quæ *exspatiari*. *Remota* non sunt *Imperatorum exempla* atque *Regum, qui nullum, ad hæc, in se Pontificium jus agnoverunt; remota* (inquam) non sunt. Hærent enim in causæ visceribus, ut doceant hanc in Reges potestatem, a Pontificibus inique usurpatam; pugnare enim cum exemplis Regum, prisco sæculo; quasque in illis recitandis paginas consumpsit, bene omnes locatæ sunt. Quare, ad abjurandam usurpatam hanc potestatem subditos; ad excutiendam hanc potestatem, Principes hortatur.

Qualis, obsecro, hæc argumentatio esset; Multi Reges nullum jus in se habere Pontificem Romanum crediderunt, sed contra potius eum, quando libuit, deposuerunt; Ergo Rex Anglorum in juramento suo fidelitatis nihil aliud, nisi civilem, et temporalem obedientiam requirit? Nam ne ipse quidem Aristoteles medium terminum in hac argumentatione reperiet [leg. reperiret.—Bell. Apol. pro Resp.] p. 58. [Op., tom. vii. col. 737. A. B.]

Nec illudit Lectori Cardinalis, sed sibi, dum miram illam *argumentationis* larvam concinnat sibi primum suaviter, post
139 fortiter debellat. Illa enim argumentatio stulta esset, addo stulta est, et ex stulto cerebro conficta. At hæc nervosa. *Multi olim Reges nullum jus in se habere Pontificem Romanum crediderunt, sed contra potius eum, quando libuit, deposuerunt.* Ergo, *quam nunc in Reges asserit sibi potestatem, ea usurpata est, nec olim a Regibus agnita.* In hac vero statim (cur Aristoteli molestus sit?) Tyro quivis in Dialecticis *medium reperiet. Quod olim in usu non fuit* (*imo ejus contrarium in usu,*) *id recens est, et recenter usurpatum: Potestas in Reges* (*quam vindicat jam sibi Pontifex*) *olim in usu non fuit, adeo non fuit, ut contrarium ejus in usu tum fuerit;* (Pontificem enim cum libuit deposuerunt) *Usurpata ergo et recens.*

At id, Lector, observa. Duo erant principio capita. 1. De juramento civilis obedientiæ licito. 2. De potestate in principes illicita, quia usurpata. *Posterius* hoc dissimulat perpetuo Cardinalis, abducit te semper ad *prius:* Regem, ubi de *posteriore* dicit, de *priore* fingit dicere. Non hoc de nihilo est. Aliquid monstri alit potestas illa in Reges, ita refugit

semper Cardinalis, ita declinat, et nisi invitus non *attingit*, vel verius prorsus non audet *attingere*.

Cum illo . . . et nos digrediamur, Evangelicum illud implentes; 'Quicunque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo.'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 59. [Op., tom. vii. col. 737. C.]

Angariari fatetur se capite hoc; fatenti credimus, *angariari*, autem, ad *duo mille passus*[l]. Mille passus, Canonem 'Hadrianus' verum largiri se. Duo mille; confictum videri, non verum. Canonem (si verus) contrarium potius probare, et nocere Cæsari.

Si Pontifex concedit Imperatori jus eligendi et investiendi Episcopos; non igitur Imperator ex se Caput est Ecclesiæ in ditione sua, cum Episcopos eligere, vel investire non possit sine privilegio . . . Pontificis.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 59. [Op., tom. vii. col. 737. D.]

Sequi enim, si concessit Carolo Hadrianus jus eligendi Papam, et ordinandi sedem, non Carolum, non Reges, ex se habere, ut Gubernatores Ecclesiæ sint, cum id sine concessione Pontificis non habeant. Extra Canonem hic paululum digreditur Cardinalis. Vis hæc Canonis est. Quid Imperator olim habuit, decernimus, habeat Carolus, qui Imperator jam nobis est. Nam, qui Imperator est, Imperatorum jure gaudeat: Jus autem Imperatorium, jus antiquum, *creare Pontifices*. At hoc Hadrianus[m] non concessit, (nec id habet Canon:) *Patriciatum* concessisse dicitur, at, *jus eligendi*, decrevisse, *jus investiendi* definiisse; nempe, quod Imperatores, ante eum, jus habuisse certum erat, id Imperator ipse jam haberet. Habuisse autem jus idem hoc, qui ante eum summæ rei præerant, Testes, Symmachus[n], Pelagius[o], Gregorius[p], Vitalianus[q], tota Pontificum series, Gregorius quo- 140

[Jus eligendi Papam Hadrianus Carolo concessit.]

[l] [Matth. v. 21.]

[m] ["Hadrianus autem Papa cum universa Synodo tradiderunt Carolo jus et potestatem eligendi Pontificem, et ordinandi Apostolicam sedem. Dignitatem quoque Patriciatus ei concesserunt. Insuper Archiepiscopos, et Episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere definivit, et ut, nisi a Rege laudetur et investiatur, Episcopus a nemine consecretur; et quicunque contra hoc decretum ageret, Anathematis vinculo cum innodavit, et, nisi resipisceret, bona ejus publicari præcepit."—Decret. Par. i. Dist. lxiii. cap. xxii. 'Hadrianus.' Corp. Jur. Can. tom. i. col. 322.]

[n] [Vide Plat. in Vit. Symmachi, in Vitis Pontif. p. 69.]

[o] [Vide Plat. in Vit. Pelag. II., ibid. p. 80.]

[p] [Vide Plat. in Vit. Greg. I., in Vitis Pont. p. 81.]

[q] [Vide Decret. par. i. Dist. lxiii. cap. xxi. 'Agatho,' § 'Item Vitalianus.'—Corp. Jur. Can. tom. i. col. 322.]

que VII.[r] Decretum vero hoc, juris veteris vel restitutio, vel continuatio, non concessio novi.

Si Pontifex donat Carolum Regem dignitate Patriciatus, quæ est dignitas temporalis, . . . ergo . . . jus magnum in imperio temporali habebat.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 59. [Op., tom. vii. col. 737. D.]

[Carolus Magn. Patriciatu donatus.] Civitas Romana Carolum donare Roma poterat, et *Patriciatus* ordine, qui in Galliis natus, nec *Patricius* esset, nec civis. Nec hoc quicquam ad *imperium* ipsum *temporale*. Patriciatus enim, Imperio accessio non est: solatium potius Papæ et Romanis suis, quo ita, ne sit *Imperator*, nisi qui simul *Civis* sit, et *Patricius* Romanus. *Cardinalis* Diaconus in Papam electus, *Presbyter* primo fit, nec tamen augetur, (credo) vel ornatur multum, Papatus *presbyteratu*.

Si Pontifex jubet eos, qui contra Decretum ipsius agunt [agerent], non solum anathematis vinculo alligari, sed etiam bona ipsorum temporalia publicari, jus igitur . . . habet non spirituale solum, sed etiam temporale. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 59. [Op., tom. vii. col. 738. A.]

[In suos, tantum Romanos jus temporale habet Pontifex.] At etiam *publicari jubet bona non parentium, non solum eos anathematis vinculo innodari. Jus igitur habet temporale Pontifex.* [1.] Quidni in Romanos? in eos quibus Dominus est temporalis, qui intra ditiones sunt suas, et Synodi suæ, si Decretis ipsius obtemperare nolint. Verum, etsi in hos habeat, in alios non habet, qui extra ditiones ei sunt: Populo enim Romano, et *Urbi* Decretum hoc, non *Orbi* scriptum est. 2. Tum (præsente ibi et assensum ad hoc suum præbente Imperatore Carolo) poterat etiam indici pro pœna bonorum publicatio, nempe in eos, qui, quod jus Imperatoris esset, id postea violarent: ut ita non *Canonis* modo, sed Legis etiam vim haberet.

Historiam (de privilegiis Carolo concessis) confictam videri: nam Sigebertus, qui primus illam mandavit literis, trecentis circiter annis posterior fuit Carolo[s].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 60. [Op., tom. vii. col. 738. A.]

[Hæc de Carol. Magn. Historia non conficta.] Nihil ex veritate lucri, Romæ. Restat, non ut vera ne sit, sed ut *conficta, non vera videatur*, atque hic iterum *angariatur* Cardinalis *'videri'* suo. *Sigebertus id primum literis mandavit. Is autem trecentis annis Carolo posterior.* Non

[r] [Vide Plat. in Vit. Greg. VII., in Vitis Pont. p. 176.]

[s] [Vide Bell. Recogn. pp. 2. E., 5. F.G., 11. F.G., ad init. Op., tom. i.]

primus id Sigebertus[t]. Walthramus[u] enim ante eum: sed neque Walthramus primus; utroque ducentis annis prior Eutropius Longobardus[v].

Eginhartus, et Annalium Francorum Auctor, nullam hujus privilegii mentionem fecerunt.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 60. [Op., tom. vii. col. 738. A.]

Sed *Eginhartus, et Auctor Annalium Francorum mentionem non faciunt.* Esto, sed non negant. Pluris autem in Historia, quid *asserat* unus, quam quid *taceant* centum. Quam multa vero vocentur in quæstionem, si ab Historici unius alteriusve *silentio* argumentari liceat?

Quo pacto verum esse potest, . . . cum tempore Hadriani Carolus Imperator non esset?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 60. [Op., tom. vii. col. 738. A.]

Verum vivente Hadriano, nondum Imperator Carolus. Non tam plenus forte primo die, quam post. Per incrementa enim, et gradus, ad novum in Occidente tandem Imperium emicuit. Addita forte post a Leone tertio solennia. Sed etiam tum salutatus Imperator, et qui Decreti illius capax esset.

Si Carolus . . . Pontifices . . . creandi jus habebat, cur nullum omnino creavit neque ipse, neque multi ex Successoribus?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 60. [Op., tom. vii. col. 738. B.] 141

Sed enim, *Cur nullum tum omnino creavit Pontificem Carolus?* Qui potuit, cum, vivente illo, nullus diem obierit, ut alium ei successorem designare posset? Leo enim tertius Carolo superstes. At successores ejus crearunt, Ludovicus, Paschalem[w], et Gregorium IV., Lotharius, Leonem IV.[x], Benedictum III.[y] [Multi Pontifices ab Imperatoribus creati.]

Anastasius Bibliothecarius . . . nusquam Caroli vel Successorum ejus meminit, sed a solo Clero et populo electos et creatos fuisse tradit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 60. [Op., tom. vii. col. 738. B.]

Nam *Bibliothecarios* vestros non audimus. Eruunt e *Bibliotheca* sua, non nisi quæ pro *Sede* faciant, quæ in rem *Pontificis* sint. Tacent, ubi *Cæsari* jus ullum, vel unde ei potestas in *Dominos Bibliothecæ*. Cur enim in *Bibliothecæ Dominos* officiosi non sint? in *Bibliotheca* sua eradant, quæ

[t] [Vide Sigeb. Gemb. Chronogr. ad ann. 773., apud Pistor. Rer. Germ. Script. tom. i. p. 780.]

[u] [Walthramus Naumberg. de Invest. Episcop., apud Schardium de Jurisdictione, pp. 711, 712.]

[v] [Eutrop. Longob. de Juribus et Privil. Imp. Rom., apud Goldast. Monarch. tom. i. p. 9.]

[w] [Vide Plat. in Vita Pasch. I., in Vitis Pont. p. 125.]

[x] [Vide Vitam Leon. IV.—Conc. tom. viii. col. 3. A.]

[y] [Vide Vitam Bened. III.—ibid. col. 224. C.]

contra eos: inserant, quæ pro iis faciant, dum in ordine id sit ad bonum sedis Apostolicæ?

Gulielmus . . . Bibliothecarius . . . scripsit vitam Hadriani II. a Clero et populo solum electi. Et cum forte legati Imperatoris . . . Romæ adessent, et quererentur se ad electionem . . . invitatos non fuisse, responsum eis . . . . scribit, ... id ea ratione factum, ne legatos Principum in electione Romani Pontificis [Romanorum Pontificum] expectandi mos inolesceret. Qua ratione accepta, ... Legati omnem suæ mentis indignationem medullitus sedavere[z].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 60. [Op., tom. vii. col. 738. B. C.]

[Hadrianus II. et qui post eum subsecuti.]

De Hadriano secundo seeus rem referunt. Platina Legatos Ludovici indignatos, quod auctoritas Imperatoris, in creando Pontifice, non interposita. *Satisfactum autem eis, quod dicerent, multitudinis voluntatem se in tanto tumultu moderari non potuisse*[a]. Nam, quam ex Gulielmo Bibliothecario responsionem narras datam, *ne legatos expectandi mos inolesceret;* non *sedasset* Legatis *indignationem,* excitasset magis. Sed vel ipse tuus Gulielmus Senatorum consiliis sedatum multitudinis tumultum refert; et accepta demum Imperiali Epistola, nec prius, Hadrianum sacratum fuisse. At qui post Hadrianum subsecuti sunt Pontifices quinquaginta a Joanne nono, usque ad Leonem nonum, omnes a Cæsare creati, teste vel Genebrardo, qui proin omnes ei censentur *Apostatici*[b], ut et Platina, quod *per posticum, non per ostium* ingressi sint[c]. Nec hæ igitur obstant conjecturæ, quin Carolo hoc datum. Nam, quod *datum,* nec *admissum,* ante Cardinalem nemo unquam somniavit.

Carolus in Capitulari suo, lib. i. c. 84. decernit liberas esse debere electiones Cleri et populi[d]. . . . Hadrianus II. in Concilio generali octavo, Can. xxii. prohibet omnino Principibus, ne se electionibus Episcoporum admisceant[e]. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 61. [Op., tom. vii. col. 738. C. D.]

[Utrum Canon 'Nullus laicorum' sit genuinus.]

Quod autem *in Capitulari suo Carolus, liberas esse electiones jusserit,* ne id quidem ad rem facit; *liberæ* enim esse poterant,

[z] [Vide Vitam Hadriani II.—Conc. tom. viii. col. 884. A.B.; et Decret. Par. i. Dist. lxiii. cap. xxix. 'Cum Hadrianus.'—Corp. Jur. Can. tom. i. col. 327.]

[a] [Platina in Hadr. II., in Vitis Pontif. p. 140.]

[b] ["Hoc vero uno infelix (sæculum), quod per annos fere CL. Pontifices circiter L. a Joanne scilicet VIII. . . . ad Leonem IX. usque, . . . a virtute majorum prorsus defecerint, Apostatici, Apostaticive, potius quam Apostolici."—Genebr. Chronogr. lib. iv.] init. sæcul. x. [p. 553. Paris. 1585.]

[c] [Hoc, non de omnibus hujus ætatis pontificibus, sed de Silvestro III. tantum, dicit Platina] in Silvestro III. [in Vitis Pontif. p. 169.]

[d] [Capit. Carol. Mag. fol. 18. a. Paris. 1603.]

[e] [Conc. Gen. viii. (C. P. iv.) Act. x. can. xxii. sec. Edit. Lat.—Conc. tom. viii. col. 1141. A—C.]

ut suum tamen Imperatori suffragium salvum fuerit. Nam Canonem XXII. Octavi Concilii pro subintroducto habemus, cum in Exemplaribus ejus Græcis quatuordecim modo exstent[f]: et est Gregorio quarto ascriptus Canon ille in Gratiano[g], qui quadraginta annis obiit, ante Hadrianum secundum. Carolus electionum *libertati* assensum suum nihil obesse statuit. Hadriani secundi Canon ipse nunquam rogatus est: nunquam ergo per illum Hadriani primi abrogatus.

Nihil præjudicari summæ . . . Pontificis auctoritati, etiamsi verum esset Pontifices aliquando ab Imperatoribus fuisse creatos, tum quia id, . . . non ex proprio jure, sed ex privilegio Pontificis . . . fecissent;—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 61. [Op., tom. vii. col. 738. D.] 142

Desperat tandem Cardinalis tot *angarias* passus, et quæ conficta modo, vera jam videntur denuo. Dat enim *creatos ab Imperatore Pontifices*, nec *præjudicii* tamen quid inde *Pontifici* generari. Non sane *præjudicii* quid ex eo, quod jure suo utantur. Nam si in voce *dandi* hæreat, in eoque vim ponat, ut non *proprio jure*, sed ex dono Pontificis hoc habeant, docebit cum Glossa ibi[h], *dare*, id est, *datam ostendere*. Et alibi, *dare*, id est, *datam pronuntiare*[i]. Ut concessio illa nihil aliud fuerit, quam agnitio Imperatori esse jus Pontificem creandi; tam Carolo Leonem tertium, quam Mauritio Gregorium[k], quam Constantino Agathonem[l], quam Theodorico Symmachum[m]. [Hinc præjudicatum est Pontificiæ auctoritati.]

Cum vero, quod semel Cæsaris est, amplius Cæsaris esse nequeat, reperies tamen et Hadrianum voce hac uti *tradidit*[n], cum Carolo: et eadem Leonem octavum, cum Othoni primo[o]; et eadem denique Paschalem, cum Henrico quinto[p]. *Dant* omnes, omnes *tradunt*, *concedunt*: quod tamen *omnes* non possunt. *Dant* ergo, *tradunt*, *concedunt*; (id est) *datum*, *traditum*, *concessum*, *ostendunt* modo, et *pronuntiant*.

[f] [Vide Conc. tom. viii. col. 1377.]
[g] [Decr. Par. i. Dist. lxiii. cap. i. 'Nullus laicorum,' Hadriano II. ascriptus est. Corp. Jur. Can. tom. i. col. 313. cap. xxix. 'Cum Hadrianus' (cf. p. 186. not. [z].) Gregorio IV. male.]
[h] [Decr. Par. i. Dist. lxiii. cap. xxiii. 'In Synodo.' in Gloss. ad voc. 'Confirmamus.' Corp. Jur. Can. tom. i. col. 323.]
[i] [Decr. Par. ii. Caus.] xxiii. [Quæst.] v. ult. [Corp. Jur. Can. tom. i. col. 1356.]
[k] [Vide Plat. in Vita Greg. I., in Vitis Pontif. p. 81.]
[l] [Decret. par. i. Dist. lxiii. cap. xxi. 'Agatho.'—Corp. Jur. Can. tom. i. col. 321.]
[m] [Vide Plat. in Vita Symm. I., in Vitis Pont. p. 69.]
[n] [Vide supra, p. 183. not. [m].]
[o] [Vide Decr. Par. i. Dist. lxiii. cap. xxiii. 'In Synodo.' Corp. Jur. Can. tom. i. col. 323. Verbum tamen 'tradidit' in hoc capite non occurrit.]
[p] [Vide Epist. Paschalis II. ad Henric Imper., citat. in Conc Lat.—Conc. tom. x. col. 780. D.]

= tum quia electores auctoritatem aliquam exercent in personam designandam, cui Pontificatus dignitas conferenda est, nullam exercere possunt in Pontificem electum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 61. [Op., tom. vii. coll. 738. D. 739. A.]

[Qui eligunt Pontificem, deponere possunt.]

At *potestas* hæc, in *eligendum* aliqua: in *electum, nulla* est. Nec enim hic agitur nisi de *instituendo*, de *destituendo* non agitur. Quæ vero sit in Papam potestas Cardinalium, etiam in *electum* (si vires eis adessent,) ex Pisano Concilio satis constat, in duos, Papam Gregorium XII., et Benedictum XIII.[q], ex Basiliensi, in Eugenium IV.[r]; sed jam *vires* fortasse *non adsunt*[s], *nec judicant expedire*[t].

Negare non possumus, quin principes Ariani . . . absque consensu suo, aliquando etiam absque numerata pecunia, Pontificem creari non permiserint. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 62. [Op., tom. vii. col. 739. B.]

[Per CC. fere annos Pontifices non sine Imperatorum consensu creatos fatetur Bellarminus.]

Vix tandem fatetur, *per annos circiter ducentos*[u], Electioni Pontificis intervenisse assensum Imperatoris: etiam, (quod dictu fœdum) *numeratas pecunias*. Qui annorum numerus præscriptioni satis est, etiam contra Romanam Ecclesiam[v]. At in Benedicto II. videtur ei desiisse. Aliis autem videtur secus: videtur autem non sine ratione. Nimis enim angustum temporis spatium, (vix decem mensium,) quibus sedit Benedictus, quo sanctitatis de eo fama usque adeo celebris, ut Constantinopolim usque trans mare inclaresceret: cui tamen delatum hoc dicitur a Cardinale[w]. Tum, si delatum, brevis mora: modico enim tempore observatum, ut in Cononc (si Platinæ credimus, qui intra annum subsecutus est Benedictum,) Exarchi Theodori consensus intervenerit[x]. Quo
143 vivente etiam, successor Theodori, Joannes Platina Exarchus, pecuniis a Paschale sollicitatus, ut suffragiis ipsius, post mortem Cononis, Pontificatus Paschali decerneretur[y]. Benedicti ergo, si ullum fuit, ὠκύμορον fuit privilegium; et ad pristi-

[q] [Vide Conc. Pisan. Sess. xiv.—Conc. tom. xi. col. 2126. D.–2128. C.]

[r] [Vide Conc. Basil. Sess. xxxiv. in qua deponitur Eugenius Papa IV. — Conc. tom. xii. coll. 619. C. — 621. B.]

[s] [Bell. de Rom. Pont. lib. v. cap. 7. Op., tom. i. p. 235. G.]

[t] [Resp. Torti, p. 24., et Bell. Op., tom. vii. col. 648. A.]

[u] Vide infra. [p. 189.]

[v] [Decretal Greg. lib. ii. Tit. xxvi. 'De Præscriptionibus.' cap. xiii. 'Ad audientiam.'—Corp. Jur. Can. tom. ii. col. 861.]

[w] ["Hic suscepit divales jussiones... Constantini . . . per quas concessit, ut persona, qui electus fuerit ad sedem Apostolicam, e vestigio absque tarditate Pontifex crearetur."—Anast. Bibl. in Vita Bened. II. (Conc. tom. vi. col. 1276. C. D.) Vide quoque Plat. Vit. Bened. II., in Vitis Pont. p. 100.]

[x] [Platina in Vita Cononis, in Vitis Pont. p. 102. col. 1.]

[y] [Ibid. col. 2.]

num morem cito res rediit. Nec id Cardinali *mirum* videtur, (sane nec cuiquam, credo, alii), in *Electiones* tum Pontificum jus fuisse *Imperatori*, cui in *personas* quoque tum fuit. Multos enim ex iis, ex *Imperatoris* sententia, *exilio*, *carcere*, *morte* mulctatos.

Fuisse autem tyrannicam illam legem . . . testatur Gregorius in explicatione Psal. iv. pœnitentialis.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 62. [Op., tom. vii. col. 739. C.]

[De quanam tyrannide Greg. Mag. questus sit.]

In *quinto* autem *Psalmo Pœnitentiali*, mentio fit a Gregorio, non quod *Tyrannica fuerit lex* ista, sed, quod aliqua tum *tyrannis* fuerit[z]. Verum illa, apud doctos et probos viros, Agilulphi creditur, Longobardi, qui tum sæviebat per Italiam: non Mauritii, quem toties alii, toties Gregorius tam honorifice appellavit.

Non . . . judicandum est de potestate Principum in . . . Pontifices ex eo, quod aliquando fecerant [fecerunt], sed ex eo quod juste facere potuerunt. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 62. [Op., tom. vii. col. 739. C.]

[De potestate Principum e factis judicandum est.]

In aperto igitur est, nec obscura, in Pontificem potestas Cæsaris. Quid ergo monet? *Non ex eo quod fecerint, sed ex eo quod facere potuerint, de Principum potestate, judicandum.* Etiam et de *Pontificum* quoque *potestate* idem moneat. Certet itaque utrobique causa cum causa: sed de potestate interim fateatur, quæ (utcunque legitima est) potest, adeoque solet interdum, ad injusta operari.

Si per annos circiter ducentos . . . sustinuit Ecclesia tyrannidem illam, . . . per annos mille quadringentos libertatem suam obtinuit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 62. [Op., tom. vii. col. 739. C.]

[Usque ad Callist. II. hæc potestas permansit.]

Tum non nisi *ducentis annis* potestatem hanc viguisse, non damus. Illam enim (ne tum quidem in Benedicto interruptam) mox in Conone[a] vim habuisse. Quæ *centum* post *annis* decreta est in *Synodo* ab Adriano primo[b]: Quæ *centum circiter post annis* vim adhuc obtinuit, in Hadriano II.[c] Quæ *centum adhuc annis post*, decreta est in *Synodo*[d] a Leone VIII.

[z] ["Terminos, quos posuerunt patres nostri, contemto divino timore transgreditur, et contra Catholicam veritatem suæ furore tyrannidis efferatur."—S. Greg. M. in Ps. ci. sect. 13. Op., tom. iii. par. ii. col. 518. E. Sunt autem qui censeant hoc opus S. Greg. Mag. esse abjudicandum, et Greg. VII. potius tribuendum.—Vide Cens. Edit. Bened. ibid. pp. 463—465.]

[a] An. 686. [Vide Platin. in Vita Cononis, in Vit. Pontif. p. 102.]

[b] An. 774. [Vide Decr. Par. i. Dist. lxiii. cap. xxii. 'Hadrianus,' ut supra, p. 183. not. [m].]

[c] An. 868. [Platina in Vita Hadr. II., in Vitis Pont. p. 140.]

[d] An. 963. [Vide Decr. Par. i. Dist. lxiii. cap. xxiii. 'In Synodo.'—Corp. Jur. Can. tom. i. col. 323.]

Quæ *annis* pene *centum post*, illustrem praxin habuit, sub Henrico nigro[e]: mansit denique ad Gregorium VII.[f], intermissa forte interdum, dum *bello* occupati Principes, sed, ubi *pax rursum*[g], statim revocata; donec Henrico V. tandem per Callistum II. ingratiis atque per vim extorta est[h]. Ubi locum habet, (quod supra paulo posuisti,) *non ex eo quod fecit Pontifex, sed ex eo quod juste facere potuit*, ferenda de facto sententia. Verum ita comparatum est apud Cardinalem, ubi *Pontifex* in *Cæsarem* quid, *libertas vera;* ubi *Cæsar* quid in *Pontificem, Tyrannis mera.*

Neque Otho Joannem XII., neque Henricus Benedictum, Sylvestrem, et Gregorium . . . imperiali potestate deposuerunt, sed per Synodum Episcoporum Ecclesiastica auctoritate, deponi curarunt.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 63. [Op., tom. vii. col. 739. D.]

[Imperiali auctoritate,] 144 Ad exutos Pontificatu, ab Othone et Henrico *respondet facile. Non factum id Imperiali potestate.* Quæ ipsa per se *facile* concidit *responsio.* Nam et *imperiali*, ait Sigebertus[i]. Sed a *Synodo* id factum. *Synodus* autem qua auctoritate convenit? Certe, quod a *Synodo* fit, quam *Imperialis auctoritas* non alium in finem indixit, id *imperiali auctoritate* factum haud quisquam negaverit.

Neque facile concedimus, justam fuisse depositionem eorum Pontificum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 63. [Op., tom. vii. coll. 739. D. 740. A.]

[et juste depositi ab Othone et Henrico Pontifices.] Etiam (quod miretur Lector) *non facile concedet justam fuisse horum Pontificum depositionem.* Non *justam Joannis XIII.*, (quem Platina *sceleratissimum hominem* dixit, *vel monstrum potius*[j]*?*) qui duobus Cardinalibus (*Christis Domini scilicet,*) alteri nasum, manum alteri præscidit? qui in adulterio deprehensus et confossus? quem Sigebertus, *nefariis de causis infamatum*[k]*?* Palmerius, *in omnem luxuriam dissolutum*[l]*?*

[e] An. 1037. [In Conc. Sutrino. Vide Herm. Contr. ad ann. 1046, apud Pist. Rer. Germ. Script. tom. i. p. 287.]

[f] An. 1073. [Vide Plat. in Vita Greg. VII., in Vitis Pont. p. 176.]

[g] [Terent. Eunuch. I. 1. 16.]

[h] An. 1122. [Vide Convent. Wormat. apud Conc. tom. x. coll. 889. B. 890. A—D.]

[i] ["Rex Henricus contra eos Romam vadit, et eis canonice et imperiali censura depositis, Suidigerus, Babenbergensis Episcopus, qui et Clemens, Romanæ Ecclesiæ præsidet."—Sigeb. Gemb. Chronog.] ad ann. 1046. [apud Pistor. Rer. Germ. Script. tom. i. p. 834.]

[j] [Plat. in Vita Joan. XIII., in Vitis Pontif. p. 155.]

[k] ["Collecto a tota Italia Episcoporum Concilio, Joannes Papa de nefariis causis infamatur."—Sigeb. Gemb. Chronogr.] ad ann. 963. [apud Pistor. Rer. Germ. Script. tom. i. p. 817.]

[l] [Palmerius in Chron.] ad ann. 955. [fol. 129. b. Paris. 1512.]

Polonus, *adeo lubricum, ut fœminas publice teneret*[m]*?* Non *justam* autem reliquorum trium? quos Platina *tria teterrima monstra*[n], Marianus[o], et Urspergensis[p], *non digne constitutos?* Frisingensis, *tres invasores, et pudendam confusionem Ecclesiæ Dei*[q]*?* Hermannus, *erroneos Pontifices*[r]. Nec *justam* tamen *fuisse eorum depositionem!* Ecqua *justior* causa, quam *invasionis*, et *Simoniæ?* Ecqua *justior* auctoritas, quam *Imperatoris* et *Synodi?*

Illud autem, quod subjicit ibi de *auctoritate usurpata*, eo spectat, quod Pontificatum rapserint, clepserint, auctoritate propria invaserint: (non autem quod ex Canone 'Hadrianus' faciendum illis fuerat, Imperatoris designationem expectarint,) atque ita, quod Cæsaris erat, per injuriam occuparint.

Non proprie Gregorius depositus fuit ab Imperatore, vel a Synodo; sed sponte cessit, eo quod de Simonia convictum se cerneret. Non desunt tamen viri gravissimi, qui Gregorium VI. nullius criminis convictum fuisse defendant. — [Bell. Apol. pro Resp.] p. 64. [Op., tom. vii. col. 740. C.]

Nam, quod cum uno Othone sentire malit Cardinalis, qui *abdicasse se Papatu Gregorium VI.*[s] autumat, quam cum reliquis quinque, qui *depositum fuisse;* facit id satis pro Imperio. Quod vero et Othonem unicum suum post rejicit, (qui Gregorio *simoniæ notam inussit:*) nec *ullius criminis convictum* velit, quem Hermannus *convictum*[t] asserit, (totidem syllabis) quid ei facias? qui *Historico* plane nulli fidem habet, ipse, quid ante *annos quingentos* actum fuerit, solus scit, solus sapit. [Greg. VI. non sponte cessit.]

Porro Platina . . . . nullam causam reddit. [Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 740. D.]

Platinæ vero censuram, si expectat, de *tribus* illis, Benedictum, *hominem ignavum et nullius pretii, merito ab omnibus accusatum, et divino judicio condemnatum, cujusque simulacrum monstrosum post mortem apparuerit*[u]. Sylvestrum, [Pravi mores Bened. IX.,] [Sylvestri III.,]

[m] [Mart. Polon. in Chronol. Rom. Pont. sub Joan. XII.] ad ann. 959. [leg. 956. Col. Agr. 1616.]

[n] [Plat.] in Greg. VI., [in Vitis Pont. p. 169.]

[o] [Marian. Scot. Chron.] ad ann. 1046. [apud Pistor. Rer. Germ. Script. tom. i. p. 650.]

[p] [Conr. Ursperg. Chron. lib. iii. Æt. vi.] ad ann. 1045. [p. 216. Basil. 1569.]

[q] [Ott. Frising. Chron. lib.] vi. cap. 32. [p. 125. Basil. 1569.]

[r] [Herm. Contr.] ad ann. 1046. [apud Pistor. Rer. Germ. Script. tom. i. p. 287.]

[s] [Ott. Frising. Chron. lib. vi. cap. 36. p. 127.]

[t] [Herm. Contr.] ad ann. 1045. [1046. ut supra, not. [r]]

[u] [Vide Plat. in Vita Bened. IX., in Vitis Pont. p. 168.]

Non a Collegio Patrum, sed largitione Papam creatum, merito pulsum, quod non per ostium, sed per posticum intrasset, ut fur et
145 *latro*[v]. Gregorio *venditum a* Benedicto *Pontificatum*[x]. Hæc
[et Greg. VI.] cum Platina de singulis scriberet, cum de omnibus, (*tanquam tria teterrima monstra abdicare se magistratu coactos*[y]) *nullamne causam reddidit, cur depositi fuerint?*

Si ex his [duobus] exemplis . . . aliquid efficeretur, ad probandum habere jus . . . Imperatores ad Pontifices deponendos, . . . facilius probaretur ex plurimis exemplis contrarium.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 65. [Op., tom. vii. col. 740. D.]

At importunus est cum *duobus* modo *exemplis* asserit niti causam hanc. Possent enim addi his plurima, et nos numero (scio) vinceremus. Nec alio exempla hæc animo adduxit Rex, quam ut doceret, quam jam astruit Pontifici potestatem Cardinalis, *usurpatam* esse, adeo non in more, prisco sæculo, ut contrarium tum ejus non semel usu venerit.

Gregorius junior . . . Leonem Isauricum . . . excommunicatum privavit vectigalibus Italiæ. . . . Testantur hoc . . . Cedrenus[z], et Zonaras[a].—Bell. Apol. pro Resp.] p. 65. [Op., tom. vii. col. 741. C.]

[Greg. II. Leon. Isaur. non privavit.] De Gregorio juniore, Græcis hominibus peregrinis non credimus, qui, cum longius abessent, sæpe in rebus nostris hallucinati. Platinæ potius, qui (quod Cardinalis fecisse Gregorium ait) id quo minus fieret, *auctoritate sua, ut obstaret,* scribit *annixum esse*[b]. *Vectigalibus* enim vel *censu* privare, esset id quidem, *quæ Cæsaris sunt, Cæsari ne reddant,* prohibere.

Leo III. transtulit Imperium totum Occidentale a Græcis ad Francos.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 65. [Op., tom. vii. col. 741. C.]

[Leo III. Carolo Mag. nihil contulit.] Carolo autem Leo III. nihil contulit, præter ritum unguenti et coronæ. Ipse sibi rem virtute sua acquisierat. Ipse *Græcos Imperii parte privaverat. Scito* autem *populi,* ait Blondus[c], Platina[d], Egnatius[e], etiam Pius II.[f] Pontifex,

[v] [Vide Plat. in Vita Sylvest. III., in Vitis Pont. p. 169.]
[x] [Vide Plat. in Vita Bened. IX. ibid. p. 168.]
[y] [Vide Plat. in Vita Greg. VI. ibid. p. 169.]
[z] [Cedren. Hist. Compend. p. 373. Basil. 1566.]
[a] [Zonar. Annal. tom. iii. p. 85. Basil. 1557.]
[b] [Plat. in Vita Greg. II., in Vitis Pont. p. 110.]
[c] [Flav. Blond.] Decad. II. lib. i. [p. 163. B. Basil. 1559.]
[d] [Plat.] in Leon. III. [p. 123.]
[e] [Jo. Baptist. Egnat. de Exempl. Illustr. Viror. lib. ii. cap. 2.] In Carolo Magno. [p. 50. Venet. 1554.]
[f] [Pius II.] Epit. Blond. [lib.] ii. [cap.] 1. [i. e. Abbreviat. cap. xi. Sign. C.C. iii. rect., ad calc. Flav. Blond. Forolivens. Hist., Venet. 1484.]

vestri omnes, denique et Onuphrius[g], *Imperator designatus est.* Ac sub Leone quidem ceremonia hæc, at res diu ante collata sub Hadriano: Sic enim Niem, *Populus . . . Romanus concessit Ei, et in Eum omne jus suum et potestatem transtulit. Ad eorum (autem) exemplum, . . . Hadrianus Papa, cum omni clero ac populo, ac universa sancta Synodo, concessit Carolo Augusto omne suum jus et potestatem eligendi summum Pontificem*[h].

Gregorius VII. . . . Henricum IV. . . . privavit Imperio[i].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 65. [Op., tom. vii. col. 741. A.]

Nec vel Henricum IV. privavit Imperio Gregorius VII. nisi ore tenus, bruto (quod aiunt) fulmine, ut qui plusquam *triginta post annis* Imperator sederit; etiam plusquam *viginti annis* Gregorio superstes fuerit: etiam Victorem, etiam Urbanum, fato functos viderit; nec, nisi sub Paschali demum, a filio suo, per vim et fraudem et impietatem summam, coactus sit abdicare. [Henr. IV. Greg. VII. non privavit imperio;]

Innocentius III. Othonem IV. . . . deposuit[k].—[Bell. Apol. pro Resp. p. 65. Op., tom. vii. col. 741. B.]

Neque Othonem itidem Innocentius III., sed, ubi infeliciter pugnasset cum Philippo Gallo[l], ultro se recepit in patriam, ibique mortem obiit[m]. Atqui Otho jure privari non potuit, qui jus nunquam habuerit; duobus modo suffragiis de septem lectus, atque ascitus ad imperium, in Philippi injuriam[n]. 146

Innocentius IV. . . . . publice deposuit Fridericum II.—[Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 741. B.]

Sed neque Friderico II. sententia (quæ exstat[o]) nocuit; non quod ab Innocentio IV. depositus, non quod Hassiæ Lantgravius ei suffectus. Nemo eo vivo imperium attigit, [neque Frid. II. Innoc. IV.;]

[g] [Onuph. Panvin.] in Leon. III. [p. 40. Venet. 1557.]

[h] [Theod. a Niem.] De jurib. et privil. Imperii. [apud Schard. de Jurisdict. p. 789.]

[i] [Vide Conc. Rom. vii. sub Greg. VII. cap. vii.—Conc. tom. x. col. 383, 384.]

[k] [Vide Fl. Blondi Hist. Decad. II. lib. vi. p. 274. F.]

[l] [Vide Raynald. Cont. Ann. Bar. ad ann. 1214. Num. xxi. tom. xiii. p. 238.]

[m] [Id. ad ann. 1218. Num. xxxvii. ibid. p. 283.]

[n] [Vide Decretal. Greg. lib. i. Tit. vi. 'De Elect.' cap. xxxiv. 'Venerabilem.'—Corp. Jur. Can. tom. ii. coll. 165—169.]

[o] [Conc. Lugd. I.—Conc. tom. xi. coll. 640. C.—645. C.; et VI. Decretal. lib. ii. 'De Sent. et Re Judic.' cap. ii. 'Ad Apostolicæ.'—Corp. Jur. Can. tom. iii. coll. 376—380.]

quinquennium post tenuit; tenuisset diutius, nisi Manfredi Spurii veneno, vel vi, sublatus de medio fuisset [p].

Clemens VI. Ludovicum IV. Imperatorem . . . . imperio privavit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 65. [Op., tom. vii. col. 741. B.]

[neque Ludov. IV. Clemens VI.] Denique Bavarus (si sine Pontificis consensu non fit Imperator[q]) qui potuit *privari Imperio?* Spreto enim Pontifice factus Imperator; etiam, qui succederent, fieri posse, *Decreto Imperiali* sanxit[r]. Cujus ea de re *Decretum* etiamnum viget. Ille vero, toties, a tot Pontificibus petitus, totos *triginta duos* annos sedit, nec ullis Pontificum diris, nec, nisi morte demum, *imperio privatus est.*

Omnino autem insignis hæc Cardinalis stultitia, si mundo jam putet persuaderi posse, ut Bullam jam suam *ebullivit* Pontifex, et *plumbum* appendit, eo ipso *privari imperio* Cæsares, Reges, regnis suis. Res accedat opus est, alioqui *vanæ* Pontificum, *et sine viribus iræ.* Non fiet autem id, nisi committere inter se principes possit, nisi facem præferre subditis, ad seditionem aliquam. Alioqui, vidit Orbis Christianus, Patrum memoria, privatum regno Henricum nostrum a Clemente VII.[s]; vidimus ipsi, ELIZABETHAM nostram a Pio V.[t], Regem (qui nuper fuit) Galliæ a Sixto V., a Gregorio XIV.[u], *privatos* (inquam) hos vidimus, nec tamen *privatos.* Tum disploso in Eos Pontificio hoc fulmine, pro Regibus tamen legitimis habitos, habitos autem non minus ab iis, qui Pontifici faverent: cumque Henrico nostro, et Carolum Cæsarem, et vero Franciscum Galliæ Regem, cum ELIZABETHA nostra Carolum IX., aliosque principes, fœdus iniisse, tanquam cum veri nominis Principibus, non obstante quod Eos Papa et sacris et Regnis per sententiam suam spoliasset. *Non* enim *semper ferit, quodcunque minatur*[v], fulmen Pontificis. *Ad alios pertinet executio,* qui sæpe tamen non censent *exequendum.*

Per non breve tempus consuevisse Episcopos a Regibus investiri: sed Gregorium VII. fortissimum Ecclesiæ Dei vindicem . . . non timuisse veteres et sanctas Ecclesiasticas leges revocare atque defendere. Scribit

---

[p] [Vide Auctores citatos in Tortura Torti, pp. 323, 324. Edit. nostr.]

[q] [Vide Raynald. Cont. Ann. Baron. ad ann. 1323. Num. xxx. tom. xv.]

[r] [Vide Decr. Lud. IV. apud Goldast. Const. Imp. tom. iii. p. 409.]

[s] [A Paulo III. Vide Bull. vii. Pauli III. 'Ejus, qui immobilis.'—Bullar. Rom. tom. i. pp. 707—711.]

[t] [Vide Bullam ei. Pii V. 'Regnans in excelsis.'—Bullar. Rom. tom. ii. pp. 324, 325.]

[u] [Vide supra, p. 172. not. [d].]

[v] [Vide Hor. Ep. ad Pison. lin. 350.]

enim . . . . ad Hugonem Diensem, ut . . . . Canonem xxii. 8. Synod. General. renovari curaret[x].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 66. [Op., tom. vii. col. 741. C. D.]

Restitisse Papæ Reges, strenue restitisse, et id quoque ad rem facit: ac primo de investitura Episcoporum, *per non breve tempus* (poterat autem, *brevius*, per longum tempus) consuetudinem illam invaluisse, fatetur Cardinalis. Quam vero longum? A *quingentesimo*, ipse ait. Per *annos* ergo quingentos et septuaginta, obtinuit hoc, vel Cardinale confitente. Ubi quidem, aucti fundis et feudis per orbem Episcopi, (aucti autem Imperatorum munificentia,) intererat Imperatorum nosse Episcopos, et de corum conditionibus et fide certos esse, quos illa tum incrementa honoris atque opum magnæ et potentiæ in Republica et auctoritatis reddidissent. Tum vero, post annos *mille et septuaginta*, visum *Vindici fortissimo* Gregorio VII., *veteres, et sanctas Ecclesiæ leges revocare. Veteres* autem et *sanctas?* par est. Quas illas? Unam modo memorat (*unum Canonem*, nullum *Canonem*) nempe *vicesimum secundum* Generalis VIII., ubi, (si Græcis ut æquum est, credimus de Concilio suo) *quatuordecim* modo *Canones* exstiterunt[y]. Fuerit tamen, ut talis ibi *Canon* editus fuerit; *Vetus* ea *lex* dici non potest, contra quam, per *trecentos et septuaginta* annos, consuetudo magis *vetus: vetus* potius *consuetudo* illa, hæc *nova lex*. Sed, anne *Lex* tamen? aut in quoquam vim *Legis* obtinuit? Non videtur certe. Nam qui Hadrianum mox insecuti sunt Pontifices quinquaginta per annos *centum et quinquaginta*, omnes *per posticum ingressi*[z], Cæsare nempe se in eorum electionibus admiscente. Nec *vetus* igitur *lex*, nec omnino *lex, Canon is* Hadriani II. Et Gregorius ergo septimus, non *veteres et sanctas leges renovavit*, sed *profanas et suas* innovavit.

[Per multa sæcula Reges Pontificibus, de investituris, restiterunt,]

147

Quam . . . sententiam . . . defenderunt non solum Successores ejus, ... sed etiam . . . sancti duo Anselmi, Cantuariensis, et Lucensis[a].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 66. [Op., tom. vii. col. 741. D.]

Successores Gregorii non mirum *defendisse*. Erat id e re illorum, rem alioqui non fecissent. Nec si Anselmus hic et

[x] [S. Greg. VII. lib. iv. Epist. xxii. —Conc. tom. x. col. 169. D. E.]

[y] [Vide Græcam Edit. hujus Concilii. Act. X.—Conc. tom. viii. coll. 1367. seq. Hic autem Canon xxii. in Latina Editione exstat, ibid. col. 1141. A—C.]

[z] [Vide supra, p. 186. not. [c].]

[a] [Vide Anselm. Lucens. contra Guibertum pro defensione Greg. VII. Bibl. Max. Patr. tom. xviii. p. 602. Lugd. 1677.]

ille etiam, mirum: *Sancti* enim non fuissent, nisi tempori tum, et scenæ servissent. Canonici autem Leodienses[b] canonizati non sunt.

Epistola Philippi Pulchri . . . ad Bonifacium VIII. . . . ridiculam continet salutationem, qualem scribere potuit iracundia potius quam consideratio. . . . Nec [neque] . . . mirum si iratis animis quædam exciderint.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 66. [Op., tom. vii. coll. 741. D. 742. A.]

[ut Philippus Bonif. VIII.] Etiamne vero? *deridicula* sunt illa Bonifacii, *in temporalibus subesse sibi* Philippum Regem? aut ab *iracundo homine* profecta? an potius a mortalium *superbissimo?* Salutatus sic a Pontifice Rex, non mirum, si graves inimicitias exercuit. Gravis enim causa. Et justa Regis resalutatio. Nec *excidit*, potius expressa est, quam et serio tum scripsit; et Bonifacium post ita sine deridiculo persecutus est, ut extra jocum tanquam canis sit mortuus[c]. In re calidissima friget hic Cardinalis. Sane enim Bonifacii *ridicula* hæc, vel fulmine digna.

Legi Pragmaticam Sanctionem, ... quæ habetur ad finem Tomi sexti Bibliothecæ S. Patrum, . . . ubi habentur eædem ordinationes, demptis verbis suprascriptis, quæ videntur postea addita in odium Ecclesiæ Romanæ. Legi etiam . . . apud Paulum Æmilium, et Robertum Gaguinum, . . . et verba illa a . . . Gillio recitata non reperio.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 67. [Op., tom. vii. col. 742. B. C.]

[DePragm. Sanct. Ludov. IX.] Vide autem hic Cardinalis indolem: quæ in *Arrestis Senatus* sunt, quæ *publicis monumentis* consignata, a Sancto Ludo-
148 vico, contra *exactiones Romanæ Curiæ*, in dubium revocat, et quærit in margine, *An eas S. Ludovicus prohibuerit:* Apud Æmilium, Gaguinum, in Bibliotheca Margarini, *non legit.* Quid tum? *Addita* ergo putat *in odium Ecclesiæ Romanæ* a Gillio. Itane? *Arrestis Senatus*, quæ sancte ubique et religiose asservantur? Imo (est enim et locus conjecturæ nostræ) non
[mala fide a quibusdam excusa.] a Gillio *addita in odium*, sed ab aliis *subducta in favorem Ecclesiæ Romanæ*, quam (si verba hæc addita non sunt, et non sunt addita) *odio dignam* hic fateri cogitur Cardinalis, idque

[b] [Vide Epist. Leodiensium adv. Paschal. II. circa ann. MCVII.—Conc. tom. x. coll. 630—642.]

[c] ["Ingreditur vulpes, regnat leo, sed canis exit." Aliter,
"Vulpes intravit, tanquam leo pontificavit,
Exiit utque canis de divite factus inanis."
Matth. Westm. Flor. Hist. lib. ii. p. 443. Lond. 1570.]

[d] ["*Bonifacius Episcopus . . . . Philippo . . . .* Scire te volumus quod in spiritualibus et temporalibus nobis subes." Cui respondetur; "*Philippus Dei gratia Francorum Rex, Bonifacio se gerenti pro Summo Pontifice, salutem modicam, seu nullam.* Sciat maxima tua fatuitas in temporalibus nos alicui non subesse." — Apud Bochell. Decr. Eccl. Gall. lib. ii. Tit. xvi. cap. 2. p. 321. B—D.]

non *ambitionis* modo, a Philippo: sed et *avaritiæ* quoque nomine, a Ludovico. *Recitata* vero *verba illa* videas, non apud Gillium[e] modo, etiam apud Tillium[f], apud Pithæum, etiam in Decreto Ecclesiæ Gallicanæ[g]. Apud Pithæum[h] autem videas, præterquam quod hodie in *Archivis exstent*, etiam in vetustis Exemplaribus excusa exstitisse. Duo autem nominat, Stylum Parliamenti 1515: et Eliæ Archiepiscopi Turonensis librum 1518[i]. Videas et inustam in eo notam perfidiæ iis, qui sic integro articulo mutilam ediderunt. Una etiam videas, qua fide vestri homines versari solent, in castrandis veterum scriptis, et *S. Patrum Bibliotheca excudenda.*

Legi apud eosdem auctores S. Ludovicum Romanæ Ecclesiæ . . . . fuisse addictum et obedientem.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 67. [Op, tom. vii. col. 742. C.]

Addictum Pontifici Ludovicum quis dubitat? (ut erat ætas illa) *Sanctus* alioqui non clueret; nec mirum quod *addictus* ipse, alioqui Friderici supplicio addicendus. Norat enim tum Pontificis *gravem iram, et inexsaturabile pectus*[k]. At id tamen hic illustre, quod, quantumvis *addictus* in causa Friderici, in causa tamen suorum et sua lentus non fuerit, *Exactiones* tam immanes non tulerit, *Sanctionem* illam, quantumvis *Sanctus*, ediderit.

Quod . . . Pius II. Ludovici temporibus efficere non potuit, ut Pragmatica . . . Sanctio omnino . . . tolleretur, effecit post Leo X. Francisco primo regnante. [Itaque in Concilio Lateranensi Sess. XI. Pragmatica illa Sanctio publico decreto sublata est. Sed hunc exitum Pragmaticæ Sanctionis, quia causæ suæ parum favebat, Rex facile præteriri passus est.—Bell. Apol. pro Resp.] p. 68. [Op., tom. vii. coll. 742. D. 743. A.]

Efficere non potuit, aut Pius apud Ludovicum XI.[l] *aut Julius apud XII.*[m]*, ut Sanctio illa de medio tolleretur. At effecit Leo* [Hæc Sanctio a Leone X. haud sublata.]

[e] [Les Croniques et Annales de France, par Nicole Gilles, fol. cx. Paris. 1549.]

[f] [Vide Memoire et Advis de M. Jean du Tillet sur les Libertez de l'Eglise Gallicane; ad calc. Recueil des Roys de France par Jean du Tillet. Paris, 1602.] p. 156.

[g] [" Item exactiones et onera gravissima pecuniarum per Curiam Romanam Ecclesiæ Regni nostri impositas vel imposita, quibus Regnum nostrum miserabiliter depauperatum exstitit, sive etiam imponendas vel imponenda, levari aut colligi nullatenus volumus."—S. Lud. IX. Pragm. Sanct. sect. 5, apud Bochell. Decret. Eccl. Gall. lib. iv. tit. xxi. cap. 2. p. 647. D. Bochellus quoque in Præfat. sua de hoc articulo Pragmaticæ Sanctionis a Marg. Bignæo in Bib. Patrum omisso multum queritur.]

[h] [Pithæi Op., Sacra, Juridica, Hist. Miscell.] p. 643. [leg. 634. Paris. 1609.]

[i] [Ibid. p. 633.]

[k] [Vide Virg. Æn. v. 781.]

[l] [Vide Pro Libert. Eccl. Gall. defens. Paris. Curiæ; apud Bochell. Decr. Eccl. Gall. lib. iv. tit. xxi. cap. 10. p. 662, sq.]

[m] [Vide Conc. Turon., apud Boch. Decr. Eccl. Gall. lib. v. Tit. v. cap. 5. pp. 757, 758; et Conc. tom. xiii. coll. 1481.]

cum Francisco. At non *effecit.* Nam, non obstante *sessione illa XI. Synodi Lateranensis* [n], necdum *sublata* est; necdum *sublatam* Sacramento tecum contendet Sorbona. Interpositam enim esse Appellationem Academiæ Parisiensis [o], *in Congregatione Generali apud S. Bernardum, anno* 1517. *Martii* 27: Et ad proximum Generale Concilium provocatum: tum, quod *Franciscum Regem Leo Pontifex, in medio* [leg. *maximo*] *armorum strepitu, consensum ei rei suum præbere coegerat* [p]: tum quod Parisienses (quorum maxime intererat) nec *vocati*
149 sunt, nec *auditi:* tum denique, quod Basiliensi (quod apud eos *Generale est,*) per Lateranensem illam non derogetur; quam nec Cardinalis ipse habet pro *Generali* [q]: sed appellationem hanc, *quia causæ suæ parum favebat, Cardinalis facile præteriri passus est.* Quomodo *passus* etiam *præteriri* minas de *Patriarcha* sibi per Gallias constituendo [r]: Et de *Papæ ab Ecclesia auferibilitate* [s]; Aculeos enim habebant hæc, *pungebant* credo.

Admiror intra spatium quingentorum annorum tam paucos inobedientes a Rege numerari potuisse: cum constet a Regibus Angliæ per hoc tempus plurimos . . . Episcopos et Archiepiscopos ob eam causam vexatos, quod mallent Pontifici potius obedire, quam Regi.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 69. [Op., tom. vii. col. 743. C. D.]

[Multos Episcopos, qui Regibus restiterint, profert Bellarm.,]

In eo autem hallucinatur egregie, quod *Exemplorum* inopia, non *plures* ibi Rex attulerit, qui Papæ restiterint. Satis hoc testium putavit esse, si *duodecim* citaret: ni putasset, facile illi accumulare plures, vel *duodecies duodecim:* facturus, ubi id volet Cardinalis: quique *Episcopos* ejus *plurimos a Regibus*

[n] [Vide Bullam Leonis X. De abroganda Pragmatica Sanctione, Conc. Lat. v. Sess. xi.—Conc. tom. xiv. coll. 309. D.—310. A—E.]

[o] [Appell. inclytæ Univ. Paris. a Leon. X., apud Bochell.] Decret. Eccl. Gallic. [lib. viii. tit. xxv. cap. 8.] p. 1249. [et vide 'Procès verbal des remonstrances.'—Ibid. tit. xvi. cap. 5. pp. 1215—1220.]

[p] ["Dominus Leo Papa serenissimum Principem nostrum Franciscum . . . in maximo strepitu armorum, consensum præbere quorundam suasu coegit. Et ne promissionis infractor idem Princeps illustris videretur, jam dicti domini Papæ monitis obtemperans, hæc quæ dicta sunt de novo statuta (quæ Concordata vocantur) ruinam Ecclesiæ totiusque regni inde imminentem, nobis, dictaque Universitate, et aliis quorum intererat, non vocatis, nec auditis, publicanda esse imperavit . . . . Ex quibus nos Rector et Universitas gravatos, læsosque et oppressos esse sentientes . . . idcirco a Domino nostro Papa, non bene consulto jam, dictique sacri Basiliensis Concilii, et ei adhærentes, Pragmaticæ Sanctionis statutorum abrogatione . . . ad futurum Concilium . . . provocamus et appellamus." — Ibid.] p[p.] 1252. [C. D. 1253. A.]

[q] [Conf. autem Bell. de Conc. lib. i. cap. 6. Op., tom. ii. p. 244. A.]

[r] [Conf. Spondan. Cont. Ann. Baron. ad ann. 1592. Num. xi. tom. ii. col. 877.]

[s] [Vide Libellum Joan. Gerson. 'De Auferibilitate Papæ ab Ecclesia.'—Op., tom. i. col. 154.]

vexatos longe superent. At, qui Regem *miratur Reges* tam *paucos numerasse*, ipse plures Episcopos tamen non numerat, *quinque* tantum: Dunstanus enim extra causam hanc, nisi *amor mulierum, libertas* quoque *Ecclesiastica* sit. Nec recte tamen subducit ibi rationes. Non enim ibi *Decanus unus* tenetur; sed *Decani duo, Episcopi quatuor; Abbas, et Prior*, præter *Canonicos duos*, totidemque *Rectores*[t].

Notum est, quanta passus . . . Anselmus . . . a Rege Wilhelmo, quot annis exulaverit, quoties ad . . . Pontificem confugerit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 70. [Op., tom vii. col. 743. D.]

Anselmus, annis vix duobus[u] ultro *exulavit* et volens. Nam Rex hominem exeundi cupidum retinere voluerat in Regno, ter exeundi veniam negavit. Et hoc tu *exilium* vocas? At quæ causa turbarum? Nondum concilium Romanum, nec adhuc conclusum ibi *de investituris*. Non ea ergo tum Anselmi causa, sed quod Turbanum[v] in schismate Papam agnoverit, quem Rex et Regnum nondum habuerant pro Papa. Ita vero tum non Sancta Anselmi causa hæc, vel liquidi juris; ut (audito Regis nuntio) inducias daret Urbanus, et amplius deliberandum censeret. At, cum Paschalis novus Pontifex, quique novo exemplo ad arma primus conclamavit, loricatus ipse: qui Regi, nec *pro sui capitis redemptione, Ecclesiarum investituras impune permissurum se, ecce, coram Deo, dixerat*[w], quid mirum, si paulo commotior Rex Regni aditum Anselmo interdixit, eadem tum cum Paschale sentienti? Quem tamen, Adelæ sororis suæ precibus, non ita multo post, recepit in gratiam, bonisque suis in plenum restituit. [S. Anselm. Cant.,]

Dedit illi tamen Deus post mortem Wilhelmi . . . gloriosam victoriam.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 70. [Op., tom. vii. col. 743. D.]

Nam *victoria* illa, (quam memoras) Paschalis erat, Cæsare tum et Principibus, non *causa*, sed *vi* superioris. *Furor in cursu* fuit, *currenti furori cessum* est[x]; fateris ipse, *usus Antecessorum relictus est*[y], quodque ex usu jus accreverat. Non jus ergo, sed justitia defuit. 150

[t] [Vide Præf. Monit. pp. 38, seq.]
[u] Edmerus [al. Eadmerus] in Vita Ansel. [Op., S. Anselm. ad init.]
[v] [Urbanum sc. II. Vide ejusdem, Hist. Nov. lib. i. p. 40. ad calc. Op., S. Anselmi, Par. 1675.]
[w] Idem ibidem. [i. e. Edmerus in Vit. S. Anselm. Op., S. Anselm. ad init.]
[x] [Vide Ovid. Remed. Amor. lin. 119.]
[y] [Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 744. A.]

Non minus notum est (et) quanta, et quam gravia passus sit S. Thomas . . . . ab Henrico II. . . . . cujus persecutionem fugiens ad Pontificem Romanum ipse quoque se contulit. Sed is etiam victoriam obtinuit, cum post ejus obitum clarificante eum Domino signis et virtutibus, idem Rex publicam pœnitentiam egerit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 70. [Op., tom. vii. col. 744. A.]

[S. Thomam Cant.,] At Thomæ alia causa fuit, nec ea multum a *Veneta nuper* diversa. Pro *Clerico homicida,* pro alio etiam, qui Judices ipsos Regni pro Tribunali sedentes petulanti ore lacessiverat, ex *libertate Ecclesiastica* intercessit, utrumque a mortis sententia vindicavit. Post vero, fidem Regi bis datam, de Regni consuetudinibus observandis, Oxonii primum, post Clarendoniæ, ultro fefellit; utque a Juramento, et fide Regi data solvi posset, a Papa impetravit. Nec tamen *Regno pulsus;* sponte excessit et ipse. At ubi ad pedes Regis bis projectus, bis culpam supplex agnovisset, et Regis gratiæ et Sedi suæ restitutus est. Non ergo in causa hac *victoriam* obtinuit, cessit potius. Hanc autem Regi, de hoc ejus tam benigno facto, gratiam retulit, ut reversus statim, circa Henrici junioris [z], Regis filii, coronationem, turbas daret, ac contra eos, qui solenniis præfuissent, censuras fulminaret. Cæsus est post furore militum, nec Rege tamen conscio, qui et purgavit se de facto satis, et vero, Orbi toti super potius, quam satisfecit. At nec illa, quæ narras *signa* subsecuta, *fraudis insignis,* nec *virtutes,* vitii suspicione caruerunt; Facile tum *signa* edere, cum in edita nefas esset inquirere.

S. Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis . . . multa, tum a Rege, tum a . . . proceribus passus est. Itaque ipse quoque in exilium voluntarium concedens . . . obiit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 70. [Op., tom. vii. col. 744. B.]

[S. Edmundum Cant.,] Edmundus, quæ *passus,* (si vera sunt, quæ in Historiis) potius ab Othone Papæ Legato, quam *a Rege passus;* et, (quia eundem esse Legati et Papæ animum dubitare nefas,) *a Pontifice* potius, quam *pro Pontifice:* qui hunc ei æmulum primo obtrusit. Emunxit dein *octingentis Marcis* Senem [a],

[z] Vit. et Proces. [S.] Thom. lib. ii. cap. 30. [sign. E. i. col. iii. Paris. 1495.]

[a] ["Et eisdem diebus, cum dominus Archiepiscopus Cantuariensis Edmundus, qui jam dictæ exactioni detestandæ spontaneus vel invitus se subjecit, octingentas marcas Papæ numerando, videns Ecclesiam Anglicanam diatim magis ac magis conculcari, et bonis suis temporalibus destitutam libertatibus suis spoliari; affectus est tædio, quod viveret, et videret mala super terram. Increpansque Regem de permissione, nil nisi dilationes reportavit. Variis ergo lacessitus injuriis, exulans, transiit in Franciam."]—Matth. Paris. ad ann. 1240. p. 514.

ut, jure devoluto, Episcopatus conferre posset; paulo vero post concessionem hanc suam revocavit. Ac tum primum, Edmundus de *exilio voluntario* cogitavit, postquam ita eum ludificatus Pontifex.

S. Dunstanus . . . ab Edvino, mulierum amore corrupto, in exilium pellitur. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 71. [Op., tom. vii. col. 744. B.]

Dunstanus quid agit inter hos, cujus nihil habet commune causa cum reliquis? Nam Dunstani sæculo Pontifices ipsi *a Cæsare investituras* habuerunt. Leo scilicet VIII.[b], deposito Joanne XII.[c], a quo donatus pallio Dunstanus. At (*pro quo passus Dunstanus,*) *mulierum amorem* ferunt in Regibus Pontifices: nec Dunstanos agunt, ament quam volunt, quot volunt mulieres, dum cætera morigeri sint, et *Ecclesiasticas libertates* non violent. [S. Dunstanum,]

S. Hugo . . . . Lincolniensis non pauca sustinuit a Rege Ricardo.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 71. [Op., tom. vii. col. 744. C.] 151

Hugo vero, qui Regi bellum gerenti, et (quæ belli nervi sunt) pecuniis indigenti, subvenire noluit, an et is in *Sanctorum* numero inserendus? Qui, quem Christus ipse, *pro se et Petro, solvit censum*[d]; qui, quem *Cæsari reddi jussit Christus*[e], reddi negavit, an inter *Sanctos* suos Christus haberet? An Domina ejus Sancta Maria, quæ in descriptione Augusti, ut profiteretur, prægnans tam longum iter emensa est[f]? [S. Hugonem Lincoln.,]

Hic nos quoque Ecclesiasticum hominem tenemus, cui nota erat Theologia, quam Jesuitæ hodie docent, non esse obediendum Regi in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 72. [Op., tom. vii. col. 745. A.]

Qui nec in re quadam parvi momenti gratificari Regi voluit, huncne *Ecclesiasticum hominem tenet* Cardinalis? hujus verba adscribit, quæ doceant subditos, Regi bellorum sumptibus exhausto, ex inopia laboranti, subsidium ab eis necessarium denegandum; tanquam sui sæculi Jesuitæ? Hic quidem *Ecclesiasticum hominem tenetis*, cujus vos pudere debeat: *Patella Jesuitica dignum operculum*[g]. *Hic nos quoque Cardinalem tenemus, cujus hæc prima Theologia*, Regem contra hostes dimicantem, pecunia opus habentem, non adjuvandum a subditis.

[b] [Vide Decret. Par. i. Dist. lxiii. cap. xxiii. 'In Synodo.'—Corp. Jur. Can. tom. i. col. 323.]
[c] [Plat. in Leon. VIII. p. 156.]
[d] [Matt. xvii. 27.]
[e] [Matt. xxii. 21.]
[f] [Luc. ii. 5.]
[g] [Erasm. Adag. p. 645.]

S. Ricardus Episcopus Cicestrensis claudat hunc locum. Is electus fuit Episcopus contra sententiam Regis: propterea Rex . . . . res Ecclesiæ Cicestrensis jussit confiscari.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 72. [Op., tom. vii. col. 745. B.]

[S. Ricardum Cicestr.] Nam Ricardus, qui *claudit* agmen, si invito Rege ordinatus *Episcopus* est, at, eo invito, *Baro* regni creari non potuit. Ad *Baroniam* autem spectant *temporalia*, in quæ Regi jus; ut carere illis necesse fuerit ei, qui citra assensum Regium ordinari voluerit. Inique enim comparatum esset, ut qui inter *Regni Proceres* annumerandi sunt, Regi obtruderentur per vim, cujus interest exploratam eorum fidem habere, qui eo in numero censeantur.

Atqui vero quærebat hoc Rex, nec præterea quicquam, quam venisse tum in discrimen potestatem Pontificiam, caque de re dimicatum esse. Quantumvis tum Hugones atque Thomæ tumultuati sint, quantumvis ab iis Pontifex, Reges tamen opposuisse se semper, nec inultam, vel eo sæculo, tulisse contumaciam suam, siqui mandato Papali Regium Imperium posthaberent. Utraque igitur quæsivit exempla, et Regum, de jure suo non cedentium, et Clericorum contumacium. Qui enim in custodiam duci, qui eorum bona fisco addici poterant, nisi Papa pleni tum suis hic Regibus restitissent?

Hos ipsos quinque Anglicanos reges, quicquid tandem egerint, fuisse fide Catholicos, neque unquam ab obedientia Summi Pontificis, ut supremi capitis Ecclesiæ, defecisse.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 73. [Op., tom. vii. col. 745. C. D.]

[Multi Reges Angliæ Pontifici restiterunt.] At *Reges illi quinque*, etsi in istis sic Pontifici ad oppositum fuerint, erant tamen alioqui sine dubio *boni Catholici*, nec secus quam Papa in religione senserunt; et insudat huic, per duas paginas, ut ita doceat sensisse. Miratur
152 (scio) Lector, inanem hic Cardinalis operam. Nam, ni ita cum Papa sensissent in religione, nihil mirum Papæ sic opposuisse se. Mirum autem, cum sic in religione senserint, quod ei tamen sic se opposuerint. Alioquin enim jaceret argumentum, cujus in eo vis omnis, quod in Pontificem alioqui satis devoti, tamen suam illi auctoritatem Regiam mancipari non tulerint. Quodque omnia, (quæ ibi narrat Rex,) etiam florentissimis Pontificis rebus, constet contigisse. Et, cum incubarent *Orbi* densissimæ errorum tenebræ, tamen vel tum, Reges illos eandem (quam noster nunc) potestatem

suam strenue semper vindicasse. Rem ergo nostram agit, bonus causæ suæ patronus: ut gratiæ porro nobis (ut video) agendæ sint Cardinali, qui quod in rem nostram futurum erat, id hoc loco prætereundum non censuit.

Sed esto, quinque illi Reges alieni a sede Apostolica fuissent, an non deberet Rex Jacobus imitari potius ducentos circiter Reges prædecessores suos, partim Anglos, partim Scotos, quam quinque?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 74. [Op., tom. vii. col. 746. C.]

[Quod illis laudi fuisse Rex credit.]

At Rex, apud tot Majores suos, qui vel in Anglia vel in Scotia regnarunt, quicquid Regiæ virtutis est, quicquid vere Christianæ, libenter in eo omnes imitatur. Eam vero in quibusdam (quibus occasio tum non defuit, aut animus) virtutem putat vere fuisse et *Christianam*, et *Regiam*, gliscenti *Paparum* tyrannidi, et *Romanæ Curiæ* non cessisse, invadenti jus Regium strenue restitisse: eamque sibi proponit imitandam. Quod illi tum fecerunt, faciendum sibi in re simili statuit. Quod ipse jam fecit, nec illos dubitat facturos fuisse, si in sæculum hoc eorum tempora incidissent, et, ut ad simile exemplum procederent, tam atrociter fuissent lacessiti. Nec tu mihi hic memora, scripsisse eos aliquando stylo Romano[h]; Censuras ejus in hostem suum expetiisse[i]; Urbanum Clementi (cui Gallus tum hostis faveret) prætulisse[k]; cum eodem ipso tempore videas, ne decimæ Papales colligantur[l], ne conferantur Prebendæ ex Papæ mandato[m], ne Causæ agantur in Curia Romana[n], ne Bullæ ejus impetrentur[o], interdicere, non parentes in carcerem amandare, bona fisco adjudicare: utut cætera unanimes, in hoc tamen diversos abiisse.

[h] [Vide Edvard. I. Epist. ad Bonif. VIII. apud Th. Walsingham. Hist. Angl. in ann. 1302. apud Camdeni Anglica, Normannica, &c. p. 81. Francof. 1603.; et Edvard. III. Epist. ad Clement. V. in ann. 1343. ibid. p. 161.; ut citat. apud Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 746. A. B.]

[i] [Edvard. II. in Robertum Regem Scotiæ, in ann. 1317. ibid. p. 109.; et in ann. 1318. p. 111.]

[k] [Vide 2. Ric. II. cap. 7.]

[l] [Præfat. Monit. p. 39.]

[m] [Ibid.]

[n] [Ibid. pp. 40, 41.]

[o] [Ibid. p. 41.]

Jacobum Regem ab hæresi excusari nulla ratione posse.—[Bell. Apol. pro Resp. p. 75. Op., tom. vii. col. 747. A.]

Jacobum Regem nulla ratione hæreseos accusari posse.

Apostatam proprie non esse facile concedi potest.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 75. [Op., tom. vii. col. 747. A.]

[Regem Apostatam proprie non esse fatetur Bellarminus.]

TANDEM recognoscit sua Cardinalis, et *concedi posse* concedit ejus contrarium, quod prius tamen flagitiose dixerat. Regem scilicet *Apostatam* proprie *non esse*. Nec Logice ergo, nec Theologice. Quam vero veritati cedit invitus! Nam quid opus *proprie?* cur ab initio, in tam gravi crimine, *improprietatem* loquendi consectatus est? cur voculam hanc *proprie* hic jam importune adhibet, nisi quia *improprie* loqui mavult, quam non *proprie* calumniator esse? Quid enim? an *improprie?* Loquatur vero quam volet *improprie*, in Regem, (qui, quam initio religionem professus est usque, et usque profitetur, nec mutavit in ea, nec vel nutavit unquam,) non poterit stringere. Porro de se potius viderit, an non ipse magis *proprie* Ordinis *Apostata* dicendus, qui renuntiavit ei, et Votum Purpuræ posthabuit [a].

Quamvis autem difficile illi Tortum penitus exuere; fatetur tamen, quod res est, *Apostatam non esse* Regem, nec ergo cum *Apostata*, qualis fuit Julianus, sic a se Torto conferendum. Ad hoc exemplum utinam et alia, quæ non minus merentur, multa recognoscat. *Improprie* enim non uno loco locutum se facile concedet: etiam in magni momenti re hoc idem illi accidit. *Potestatem* enim jam *in Pontifice nullam* agnoscit *proprie temporalem* [b]. Ut, si sic pergat, spes bona sit, *Recog-*

[a] [Vide supra, p. 6. not. [b].]

[b] [Bell.] contra Barcl. [i.e. de Excus. Barcl. cap. xii.] p. 117. [Op., tom. vii. col. 901. A.]; p. 120. [ibid. col. 902. D; cap. xxiv.] p. 195. [col. 945. A.]

nitionum librum novum, vel earum partem secundam brevi ab eo expectandam.

Credibile non est eam ceremoniam a Catholica Regina fuisse prohibitam.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 76. [Op., tom. vii. col. 747. C.]

De Hæresi etiamnum hæret. Certum enim aliqua nocere, qui nobis jam nodus solvendus est. Abest enim a Rege error, uti bona spes est: sed sine dubio abest pertinacia. Hæresin ab ovo orditur, neglectu scilicet *Sputi* in Baptismo. *Credibile Cardinali non est, prohibitam a Regina sputi ceremoniam*[c] *antiquam*[d]; at, quæ introducta demum est, postquam *omnia præsumptionibus jam plena*[e]: qua etiam antiquiores multo in desuetudinem abierunt. Sit vero, quam volet, incredulus; at certum tamen est, Regi non semel relatum ab iis, qui Testium jus apud Cardinalem omnino habituri sunt. 154

[Neque vero Rex est Hæreticus.]

Neque verum est ea ceremonia salivam presbyteri in os infantuli inspui.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 76. [Op., tom. vii. col. 747, C.]

Verum *inspui non solet infantis ori.* Ne soleat; at cum tantillum absit os a narium extremitate, poterat hoc Regina dicere; dixit quoque. Quæ enim illius verba fuerint, refertur ibi, non quid fieri soleat in ceremonia. Christus autem, nec naribus *Epheta* dixit, neque vero auribus, in Baptismo: nec nisi in cura surdastri; ac per hoc, sanandis, non baptizandis, ceremonia hæc a vobis fuerat applicanda. Ea (ut Sacerdotes nunc sunt) ceremonia, nescio quam sancta, certe parum salubris. Ad quam tamen quorsum Cardinalis revocat vocem *non nuperam?* A *nuperis Jesuitarum dogmatibus* Matrem abhorrere dixit[f]. At *Sputum* (credo) *ceremonia* est, *dogma* non est.

[De usu Sputi in Baptismo.]

Dico non deesse apud nos, qui Regis Patrem, et Matrem, fortasse etiam Avum Paternum viderunt, quique pro comperto habere se dicant, Patrem et Avum Regis fuisse Catholicos.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 76. [Op. tom. vii. col. 747. C.]

De Patre Regis *non deesse Romæ* dicit, *qui, pro comperto habere se dicant, Catholicum fuisse.* Non forte, qui dicant, sed quos Cardinalis *pro comperto habeat,* vera non dicere. Decessit ille quidem, ætate adhuc immatura, ut nec per eam *in altum ducere,* aut judicium ferre potuerit, de rebus controversis. At enim, etiamnum in Aula Regis superstites non-

[Cujusnam Religionis fuerint Pater et Avus Regis.]

[c] [Conf. Præf. Monit. p. 45.]
[d] ["Antiquissimam."] In marg. [Bell. Op., tom. vii. col. 747. B.]
[e] [S. Aug. Ep. lv. Ben. (al. cxix.) § 35. Op., tom. ii. col. 212. B.]
[f] Præfat. Monit. p. 36. [p. 44.]

nulli, qui illum inter Aulicos Reginæ ELIZABETHÆ, commeminisse possunt: qua in Aula qui educatus fuerat, qua fuerit fide, quæ fundamenta Religionis jecerit, quis non conjiciet? Præsertim, Patre ejus (Regis Avo Paterno) Leviniæ Comite, ad nostram hanc Reformatam (sic, ut erat) affecto. Nam de eo egregie Cardinalis os sublinunt, ad prodigium usque mendaces, qui *Papistam* ei pinxerunt: Qui in Anglia hic, domesticum semper haberet de presbyteris nostris Sacellanum; a quo, tum ipse, tum familia ejus, quotidie rem divinam audiebant, ritu nostro; a quo, statis temporibus et Eucharistiam accipiebant: Qui, cum in Scotiam post venisset, nihil antiquius habuit, quam ut fidei suæ ultro professionem ederet, haud aliam quam quæ in Scotia obtineret: idque auspicato, priusquam *Proregis* munus capessere, aut ad regni gubernacula manum admovere vellet: Nunquam post sacris concionibus, Eucharistiæ defuerit: tandem moriens (astantibus e ministrorum numero multis) testatus, in qua inter eos fide vixisset, in eadem et mori. Quodsi autem præterea nihil
155 esset, vel ex uno hoc discas, quam fuerit Catholicus non bonus, (in hac præsertim, quæ diu jam Orbem exercet, Clericorum a foro Regis exemptione.) *Tota* enim *spectante Scotia*, Archiepiscopum Sanctandræanum Metropolitanum et Primatem totius Scotiæ, sedens pro Tribunali, damnavit ad patibulum[g]. (Factum narro: de Juris ordinatione nihil statuo. An in eam exceptio forte aliqua, definire non est meum) sed factum hoc: damnatus ad laqueum est, laqueo vitam finivit, eo quod, atrocissimi illius facinoris conscius fuisset, quo filius ejus, Pater Regis, per summum scelus interemptus est. Nec aliter tamen conscius, quam Garnettus in nupero, non minus immani scelere *Pulverario*, nempe, *sub sigillo Confessionis*: de quo Garnettum Cardinalis tam diligenter excusat, haud scio, an excusaturus et *Archiepiscopum*; de *Patre* hunc, qui illum, de *Filio*. Vix Catholice tamen hoc ab *Avo* Regis factum dicet Cardinalis, sed vel inde egregie mendaces pro comperto habeat, qui de *Avo* Regis paterno audent vel hiscere.

Quin etiam ostenduntur hic Romæ Epistolæ non paucæ manu propria ejusdem Reginæ exaratæ, quæ satis testantur zelum ejus de conversione filii

[g] [Vide Spotswood's History of the Church of Scotland, lib. v. p. 252.]

ad Catholicam fidem [leg. religionem].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 76. [Op., tom. vii. col. 747. D.]

Quodsi autem ita valde anxia Regina Regis Mater, de Rege in partes vestras traducendo: ad ipsum in Scotiam, non Romam ad vos, scriptum oportuit. Literæ apud vos *non paucæ* sunt. Quorsum? non enim vos ad fidem Romanam invitandi: ad illum, quem ita voluit converti, nullæ. *Zelus* quidem ille *conversionis* tam vehemens, aliquando saltem, aliquibus literis, se prodidisset. At, frequentes ad Regem dedit, aliis de rebus: de ea re, quæ tam sollicitam habuit, nullas, ne unas quidem. Quis hæc non videt, quam non cohæreant? [Quantus fuerit Matri ad eum convertendum zelus.]

Neque fidem habemus præfecto domus Melvino, qui cum hæreticus sit, mirum non est, si ea sibi a Regina moriente dicta esse confingat, quæ ad hæresin suam commendandam pertinent.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 77. [Op., tom. vii. col. 747. D.]

At, in Melvinum[h] iniquior est Cardinalis: *fidem ei non habet*, quem tamen Regina Familiæ suæ præesse voluit: qui locus est hominis, qui spectata fide sit, cuique fides haberi debeat, certe cui fidem ipsa habuit. *Verum is homo, cum hæreticus, confingit rem.* Confingit hoc Cardinalis in virum spectatæ fidei, nec sine testibus illa referentem. Æquius autem hic multo vobis non credimus. Nulla enim est hæresis nostra, de fide hæreticis non servanda, de æquivoco responso confingendo. At est vestra, qui ita facere fas docetis, apud (quales nos vultis) hæreticos, apud quos et doctrina vestra, et experientia nostra, plus magisque lingua vestra, et sæpius

Ficti pravique tenax, quam nuntia veri[i].

Sed enim, nos, de vestris quoque, (siquid id ad rem) testes citamus, qui alia, et vero illa de Sputo, præsentes audierunt; ut, et a nostris, et a suis, ut utraque ex parte, cadat Cardinalis. 156

Jam de *quadringentis* aut *quingentis*[k], ne ita criticus sit, ne ita valde se cruciet Cardinalis, utrumque in *αὐτογράφῳ* numerum scripsit Rex, hunc interdum, interdum illum. Ex æquo habet, perinde uterque numerus Regi est. Nolim ita litigare [Auctoritati Patrum antiquiorum Rex cedit.]

[h] [Conf. Præfat. Monit. pp. 45, 46.]
[i] [Virg. Æn. iv. 188.]
[k] ["Quicquid enim quadringentis post Christum annis, unanimi consensu, Patres ad æternam salutem esse necessarium statuerunt, aut cum iis ita esse sentiam, aut modesto saltem silentio obmutescam, reprehendere certe non audeo."—Præfat. Monit. p. 48.]

hominem de eo amplius; utrum volet sumito, (ad *statutum de his aliquod*, tanquam *de fide*, tanquam *de rebus ad salutem necessariis*) vel si volet, quingentos.

Sed hæc non satis esse, ut hæreticus dici non possit, facili negotio demonstrabimus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 77. [Op., tom. vii. col. 748. A.]

[Quod quidem satis ad hæresim vitandam.]

Non satis autem Cardinali, siquis Scripturis Canonicis credat, si in tria Symbola libens juret, si prima quatuor Concilia veneretur, si Patrum consensum unanimem admittat, de re ulla ad salutem necessaria; deest adhuc unum, ut Pontificem agnoscat, pro horum omnium fundamento; at tum hæreticus ne sit; alioqui plus erit in uno Pontifice virium non agnito, ut impingat ei hæresin, quam in Scripturis, Symbolis, Conciliis, Patribus, ut inde illius notam effugiat. Hæc enim satis non esse, denique nihil satis esse, nisi accedat ad hæc Pontifex: Is ubi accessit, satis superque.

Primum . . . Scripturis Canonicis sine certo fundamento Rex credit, ac per hoc proprie non credit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 77. [Op., tom. vii. col. 748. A.]

[Scripturis Canonicis certo fundamento credit.]

Videamus, quam hoc *satis non esse, facili negotio* effectum dabit: ac de Scripturis primo. *Scripturis Canonicis non credit Rex, quia sine certo fundamento credit.* Novum dogma; quasi, *incertum sint fundamentum Scripturæ sacræ*, alio certo magis opus habeamus. *Scripturæ ipsæ, fidei fundamentum*, ad earum fidem, alione *fundamento* nobis opus? *Superædificatur Ecclesia super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, Ipso summo angulari lapide Jesu Christo*[l]. *Alione Præter Apostolos, Prophetas, Christum ipsum, fundamento et lapide angulari*, fides jam nostra indiget? An jam *fundamentum aliud ponere vult* Cardinalis, *præter id, quod positum est*[m]? Et hoc illius *facile negotium* est? Sed *sine certo fundamento credit Rex.* Quod vero *fundamentum* illud tam *certum* post narrat, *Mater Ecclesia per os summi Pontifici loquens*[n]. Ubi ludos nobis facit, et *Matri Ecclesiæ*. Non enim *Mater Ecclesia* sine *Pontificis ore:* at *os Pontificis* sine *Matre Ecclesia* fundamentum est. Mater Ecclesia, nudum nomen est. Partes illius nullæ sunt. Prodit in scenam scilicet tanquam persona muta, nec quod dicat quicquam habet, nisi *os* a Pontifice
157 mutuetur. Quid illa taceat, quid loquatur, non valde refert.

[l] Ephes. ii. 20.
[m] [Cf. 1 Cor. iii. 11.]
[n] [Bell. Apol. pro Resp.] p. 79. [Op., tom. vii. col. 748. D.]

Ad *os* unum res redit. *Certum fundamentum* Scripturarum, in *ore Pontificis*, sæpe impuro, interdum et blasphemo. Concilia ipsa quantumvis legitima, Pastores vestri medii, summo proximi (Cardinales ipsi scilicet), errare possunt, errarunt, absque hoc ore sit Pastoris summi, arenosum omnes hi, incertum *fundamentum*. Certum autem et firmum, unum os illud, cui qui non credit, *sine certo fundamento credit*. Dixin' vobis, cætera illa nihil esse, labascere statim, sine *fundamento* hoc *certo proprio* fidei, qua credunt *ori Pontificis?* Nam Augustinus *minus* hic *caute locutus est* [o], dixit, *Nisi me Ecclesiæ commoveret auctoritas* [p]; addendum, *per summi Pastoris os loquentis;* quod miror ab Augustino prætermissum, sed supplevit hic Cardinalis. Sed neque Ecclesia illa, de qua Augustinus, Ecclesia vestra jam est; verum, quæ fuit olim Apostolorum tempore. Et auctoritas commovens, *fundamentum* non est: Et alia *Ethnici* ratio, etiam de Scripturis dubii, alia nostri, qui in Ecclesia nati, anticipatam de Scripturis notionem habemus. Et quæ ibi dicit Augustinus, de seipso dicit, cum de Manichæis jam transisset ad Ecclesiam: id autem non dicit, nunquam diceret, Qui Scripturis sine Ecclesiæ auctoritate credit, (nedum autem *sine ore summi Pontificis*) *sine certo fundamento* credit; ac, per hoc, *proprie non credit.*

> Unde habetis Scripturas primi ordinis esse . . . Canonicas: . . . secundi ordinis non esse tales? . . . . Scriptura nusquam docet libros Hebraice scriptos esse Canonicos, alios non esse. Neque æquum est Spiritum Sanctum . . . alligare velle ad linguam Hebraicam, ut Judæi faciunt.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 78. [Op., tom. vii. col. 748. B. C.]

Componit post Genesin cum Judith, libros Regum cum libris Machabæorum. Satis inepte *quærit* post, *unde habeamus Canonicos illos, hos vero Apocryphos esse.* Non enim hoc in sacris literis scriptum, totidem verbis. Non est certe. Tum, *an Hebraice scripti illi sint, hi non sint? at ne id quidem docere Scripturam.* Atqui vero id scriptura docet, *Judæis credita esse eloquia Dei* [q]; vestra autem hæc *Apocrypha illis credita* non esse, concedet (scio) Cardinalis. Elici ergo e Scripturis non alium *Ecclesiæ* Canonem, (quoad Testa- [Canon Veteris Test. idem nobis et Hebræis.]

[o] [Verba Bellarmini de Nicolao Lyrano.—Vide Bell. de Rom. Pont. lib. ii. cap. 10. Op., tom. i. p. 163. E.]

[p] ["Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret auctoritas."—S. Aug. contr. Ep. Fundam. cap. v. Op., tom. viii. col. 270. A.]

[q] Rom. iii. 2.

mentum Vetus) quam qui fuit olim *Synagogæ*. Etsi vero Hebræos (cum Hieronymo) libenter sequimur in Canone veteri, non tamen *Spiritum Sanctum alligamus ad linguam Hebraicam, ut Judæi:* neque *ad linguam Italicam,* et *os summi Pastoris,* ut vos; liber erat Spiritus, *ubi voluit, spiravit*[r]*:* neque, quid hic facere potuerit, sed quid fecerit, disputamus.

158 Potuit *Græce* dictasse tum: non dictavit. *Credita sunt Judæis eloquia Dei; Græca* illis *credita* nec Cardinalis dixerit.

Recte [S.] Augustinus lib. xviii. de Civ. Dei, cap. 36. 'Libros' inquit 'Machabæorum non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet[s].'—[Bell. Apol. pro Resp] p. 78. [Op., tom. vii. col. 748. C. D.]

[De hac re testimonia Patrum.] Augustinus autem, ibi vel *Canonicos* dixit *Machabæorum libros* ad mores, (unde scilicet, exempla virtutum, morum regulæ peti possent:) vel, si non dixit, audimus Cardinalem: mittimus hunc, (qui in angulo Africæ Hipponensis Episcopus fuit) audimus *os Summi Pontificis,* Gregorii Magni[t], qui, ducentis post annis, *Canonicos* pernegavit. Sed nihil opus: etiam Augustini ipsius *ore*[u], (De Mirab. Script. ii. 32.; contra 2. Epist. Gaudent. c. 23.) *Canonici* negantur esse.

Alioqui fides nostra ab hominum dubitatione, vel non dubitatione, penderet. Sed illi soli sunt habendi.. Canonici, . . . quos mater Ecclesia . . . per os summi Pastoris, [vel Conciliorum legitimorum,] esse dicit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 78. [Op., tom. vii. col. 748. D.]

Scit autem Cardinalis scire nos, etiam de quibusdam primi Ordinis Canonicis dubitatum esse, nec *a dubitatione, vel non dubitatione, pendere* nobis illorum auctoritatem. Gratis ergo

[r] [Cf. Joan. iii. 8.]

[s] ["Quorum supputatio temporum non in Scripturis sanctis, quæ Canonicæ appellantur, sed in aliis invenitur, in quibus sunt et Machabæorum libri, quos non Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet, propter quorundam martyrum passiones vehementes, atque mirabiles, qui, antequam Christus venisset in carnem, usque ad mortem pro Dei lege certaverunt, et mala gravissima atque horribilia pertulerunt."—S. Aug. de Civ. Dei, lib. xviii. cap. 36. Op., tom. vii. coll. 833. D; 834. A.]

[t] ["De qua re non inordinate agimus, si ex libris, licet non Canonicis, sed tamen ad ædificationem Ecclesiæ editis, testimonium proferamus. Eleazar namque in prælio elephantem feriens stravit."—S. Greg. M] Moral. [in Job. lib.] xix. [cap.] xiii. [xxi. Ben. Op., tom. i. col. 622, A.]

[u] ["In Machabæorum libris, etsi aliquid mirabilium numero inserendum conveniens fuisse ordini inveniatur, de hoc tamen nulla cura fatigabimur; quia tantum agere proposuimus, ut de Divini Canonis mirabilibus exiguam, quamvis ingenioli nostri modulum excedentem, historicam expositionem ex aliqua parte tangeremus."—August. Monachus Cantuar. (vide Cavei Hist. Lit. tom. i. p. 294.) de Mirab. Script. lib. ii. cap. 34.; apud S. Aug. Op., tom. iii. Append. col. 2778. C, D.

" Et hanc quidem Scripturam, quæ appellatur Machabæorum, non habent Judæi sicut Legem, et Prophetas, et Psalmos, quibus Dominus testimonium perhibet, tanquam testibus suis . . . Sed recepta est ab Ecclesia non inutiliter, si sobrie legatur vel audiatur."— S. Aug. contr. Gaudent. lib. i. cap. xxxi. Op., tom. ix. col. 1006. C, D.]

hæc ab eo dicta sunt. Nos vero, de Canone nostro, nec Ecclesiæ judicium abnuimus, dum *per os suum* ei loqui permittat Cardinalis, non *per alienum*, nempe *Pontificis.*

Quemadmodum igitur Ecclesiæ credimus nos Catholice docenti, libros primi Ordinis esse divinos, ita eidem credimus docenti, libros secundi Ordinis esse divinos. Omnes enim istos libros enumerat inter . . Canonicos et divinos, Innocentius I.[x] . . . Gelasius I.[y] — [Bell. Apol. pro Resp.] p. 79. [Op., tom. vii. col. 749. A.]

Quemadmodum igitur Ecclesiæ credimus, nos Catholice docenti, libros primi Ordinis esse Canonicos: ita eidem credimus docenti, libros secundi Ordinis non esse Canonicos. Istos enim libros non enumerat inter Canonicos vel divinos. Diu autem ante Innocentium Primum, (qui post annum quadringentesimum sedit) nedum ante Gelasium, (qui pene post quingentesimum) Melito Sardensis [z], Origenes [a], Athanasius [b], Hilarius [c], Epiphanius [d], Cyrillus [e], Nazianzenus [f], Amphilo-

[x] [Innoc. I. in Epistola iii. ad Exuperium Tolosanum, sect. vii.—Conc. tom. ii. col. 1256. D. E.]

[y] [Gelasius I. in Conc. Romano.—Conc. tom. iv. coll. 1260, 1261.]

[z] [Ἀνελθὼν οὖν εἰς τὴν ἀνατολήν, καὶ ἕως τοῦ τόπου γενόμενος ἔνθα ἐκηρύχθη καὶ ἐπράχθη, καὶ ἀκριβῶς μαθὼν τὰ τῆς παλαιᾶς διαθήκης βιβλία, ὑποτάξας ἔπεμψά σοι· ὧν ἐστὶ τὰ ὀνόματα· Μωϋσέως πέντε. Γένεσις, Ἔξοδος, Λευιτικὸν, Ἀριθμοὶ, Δευτερονόμιον, Ἰησοῦς Ναυῆ, Κριταὶ, Ῥοὺθ, Βασιλειῶν τέσσαρα, Παραλειπομένων δύο. Ψαλμῶν Δαβὶδ, Σολομῶνος Παροιμίαι, ἡ καὶ Σοφία, Ἐκκλησιαστὴς, Ἆσμα ἀσμάτων, Ἰὼβ· Προφητῶν, Ἡσαΐου, Ἱερεμίου, τῶν δώδεκα ἐν μονοβίβλῳ, Δανιὴλ, Ἰεζεκιὴλ, Ἔσδρας.—Melit. Sard. apud] Euseb. [Hist. Eccl. lib.] iv. [cap.] 26. [p. 191.]

[a] [Orig. in Expos. Ps i. apud Euseb. Hist. Eccl. lib.] iii. [leg. vi. cap] 25. [p. 289; et Hom.] vii. in Josua [§ 1. Op., tom. ii. p. 412. col. 1. A. B. de Scriptis Novi Test.]

[b] [Ὁμοῦ τὰ κανονιζόμενα τῆς παλαιᾶς διαθήκης βιβλία εἴκοσι δύο, ἰσάριθμα τοῖς γράμμασι τῶν Ἑβραίων, τοσαῦτα γάρ εἰσι παρ' αὐτοῖς τὰ στοιχεῖα. Ἐκτὸς δὲ τούτων εἰσὶ πάλιν ἕτερα βιβλία, τῆς αὐτῆς παλαιᾶς διαθήκης, οὐ κανονιζόμενα μὲν, ἀναγινωσκόμενα δὲ μόνον τοῖς κατηχουμένοις, ταῦτα. Σοφία Σολομῶνος . . . Σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ Σιρὰχ. . . . Ἐσθὴρ . . . Ἰουδὴθ . . . Τωβὶτ . . . Τοσαῦτα καὶ μὴ κανονιζόμενα. Τινὲς μέντοι τῶν παλαιῶν εἰρήκασι κανονίζεσθαι παρ' Ἑβραίοις καὶ τὴν Ἐσθὴρ, καὶ τὴν μὲν Ῥοὺθ, μετὰ τῶν Κριτῶν ἑνουμένην, εἰς ἓν βιβλίον ἀριθμεῖσθαι, τὴν δὲ Ἐσθὴρ εἰς ἕτερον ἕν· καὶ οὕτω πάλιν εἰς εἴκοσι δύο συμπληροῦσθαι τὸν ἀριθμὸν τῶν κανονιζομένων παρ' αὐτοῖς βιβλίων.—S. Ath. Synop. Script. Sacr. § 2. opus dubium, apud S. Ath. Op., tom. ii. p. 128. D. E.]

[c] ["Et ea causa est, ut in viginti duos libros lex Testamenti veteris deputetur; ut cum litterarum numero convenirent . . . Quibusdam autem visum est, additis Tobia et Judith, viginti quatuor libros secundum numerum Græcarum litterarum connumerare."—S. Hil. Pict.] Prolog. in Psalm. [sect. 15. Op., tom. i. coll. 10. B. C; 11. A.]

[d] [Καὶ αὗται εἰσὶν αἱ εἰκοσιεπτὰ βίβλοι, αἱ ἐκ Θεοῦ δυθεῖσαι τοῖς Ἰουδαίοις. εἰκοσιδύο δὲ ὡς τὰ παρ' αὐτοῖς στοιχεῖα τῶν Ἑβραϊκῶν γραμμάτων ἀριθμούμεναι, διὰ τὸ διπλοῦσθαι δέκα βίβλους εἰς πέντε λεγομένας . . . εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλαι δύο βίβλοι παρ' αὐτοῖς ἐν ἀμφιλέκτῳ, ἡ Σοφία τοῦ Σιρὰχ, καὶ ἡ τοῦ Σολομῶντος, χωρὶς ἄλλων τινῶν βιβλίων ἐναποκρύφων.—S. Epiph.] Hæres. viii. [Epicur. cap. 6. Op., tom. i. p. 19. B. C.]

[e] [Τούτων τὰς εἴκοσι δύο βίβλους ἀναγίνωσκε· πρὸς δὲ τὰ ἀπόκρυφα μηδὲν ἔχε κοινόν· ταύτας μόνας μελέτα σπουδαίως, κ. τ. λ. — S. Cyril. Hieros.] Catech. [iv. § 35. Op., p. 68. E.]

[f] Ἱστορικαὶ μὲν ἔασι βίβλοι δυοκαίδεκα πᾶσαι
Τῆς ἀρχαιοτέρης Ἑβραϊκῆς σοφίης·
Πρωτίστη Γένεσις, κ. τ. λ.
S. Greg. Naz. Carm. xxxiii]. De Veris

chius[g], Hieronymus[h], Ruffinus[i], testes decem omni exceptione majores, *Canonem consignarant.* Non enim cuiquam fidem feceris, caruisse Canone Ecclesiam, antequam venisset in mentem Innocentio ad Tholosanum scribere. Vel ad fixum semel Canonem accessiones fieri potuisse.

Concilium Carthaginense III. Can. xlvii.[k]—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 79. [Op., tom. vii. col. 749. A.]

[Vox 'Canonici' ambiguo usurpatur sensu.]

Ante autem Carthaginense Tertium, didicit Ecclesia Canonem a Laodiceno[l], in quo secundus Scripturarum ordo exclusus est. Atque hoc nos docuit *Mater Ecclesia,* etiam priusquam *Summus Pastor* Innocentius Primus os suum aperuisset: docuit post *os* Gregorii contra *os* Innocentii. At cum in Sexto Generali[m] utriusque, et Laodiceni Canones, et Carthaginensis recepti fuerint, atque comprobati: necesse erit vocem *Canonici* alio, atque alio sensu, in illis accipi: ut in Laodiceno Canon *fidei* intelligatur, in Carthaginensi Canon *morum.* *Non* (enim) *Canonici* sunt, id est, *Regulares*

et Genuinis [germanis] Scripturæ Libris, [Op., tom. ii. p. 98. C.; et Beveregii Pan. Can. tom. ii. pp. 178, 179.]

[g] [Vide Amphiloch. Iamb. ad Seleuc. apud Beveregii Pan. Can. tom. ii. pp. 179, 180.]

[h] ['Hic Prologus Scripturarum, quasi galeatum principium, omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire potest: ut scire valeamus, quicquid extra hos est, inter ἀπόκρυφα esse ponendum. Igitur Sap. quæ vulgo Solomonis inscribitur, et Jesu filii Sirach liber, et Judith, et Tobias, et Pastor, non sunt in Canone." S. Hier.] in Prolog. Gal. [Op., tom. ix. coll. 457, 458.]

[i] ["Itaque veteris Instrumenti primo omnium Moysi quinque libri sunt traditi, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: post hos Jesu Nave, et Judicum simul cum Ruth; quatuor post hæc Regnorum libri, quos Hebræi duos numerant; Paralipomenon, qui Dierum dicitur Liber; et Esdræ libri duo, qui apud illos singuli computantur, et Hester; Prophetarum vero Esaias, Hieremias, Ezekiel, et Daniel; præterea duodecim Prophetarum liber unus: Job quoque, et Psalmi David singuli sunt libri; Solomonis vero tres Ecclesiis traditi, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum."—Ruff.] in Expos. Symb. [Apost. p. 26. col. 2. ad calc. Op. S. Cypriani.]

[k] ["Item placuit, ut præter Scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur, sub nomine Divinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesus Nave, Judicum, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Job, Psalterium Davidicum, Salomonis libri quinque, libri duodecim prophetarum, Isaias, Jeremias, Ezekiel, Daniel, Tobias, Judith, Esther, Esdræ libri duo, Machabæorum libri duo. Novi autem Testamenti, Evangeliorum libri quatuor, Actuum Apostolorum liber unus, Pauli Apostoli epistolæ tredecim, ejusdem ad Hebræos una; Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Judæ Apostoli una, et Jacobi una, Apocalypsis Joannis liber unus."—Conc. Carth. III. Can. xlvii.—Conc. tom. ii. col. 1177. A. B.]

[l] [Ὅσα δεῖ βιβλία ἀναγινώσκεσθαι τῆς παλαιᾶς διαθήκης, κ. τ. λ.—Conc. Laod. Can. lx. (Conc. tom. i. col. 1507. A. B.) in quo omnes, sicut nosmet ipsi habemus, S. Scripturæ enumerantur libri, nisi quod Baruch et Epistolæ Jeremiæ sub nomine Jeremiæ recenseantur.

[m] [Vide Concil Trullan. seu Quinisext. Can. ii. — Conc. tom. vi. coll. 1139. E. 1142. A.]

ad firmanda ea, quæ sunt fidei, ait Cardinalis Cajetanus[n], 159
non, ad auctoritatem fidei, non ad Ecclesiasticorum dogmatum auctoritatem confirmandam: non ad illa, quæ in contentionem veniunt, roboranda: sed, quoad Canonem *morum,* quia ad ædificationem *morum* leguntur.

Ecclesia vero non ex verbo Dei scripto, sed ex verbo Dei a majoribus per temporum Successiones tradito didicit, qui sint libri Canonici, qui sint Apocryphi.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 79. [Op., tom. vii. col. 749. A.]

[Oracula Dei Judæis tradita.]

Ut Scripturis Canonicis credamus, quasi ad certum magis fundamentum abduxit nos Cardinalis, ad *os summi Pontificis,* sine quo Ecclesia elinguis est. Post vero, *a verbo Dei scripto,* ad *verbum Dei traditum.* Cum jam *os summi Pastoris* ex *verbo Dei tradito* responsa dederit: salva res est, *fundamento certo* nitimur; *Certum* enim *fundamentum os Pontificis,* præsertim si de *non scripto,* sed *verbo tradito* respondeat. Fruantur sane *Veteratores:* Rex vero hic nec *arbitrio suo,* nec opinionibus vel *Novatorum,* vel *Veteratorum,* acquiescit. *Verbo Dei credit,* de verbo Dei, *Eloquia Dei Judæis fuisse credita*[o]: Quæ autem illis *credita* fuerint, a nemine, nec Cardinale ipso, in dubium vocari posse.

Novatores . . . ubi Scriptura propriis disertisque verbis loquitur, pro nihilo ducunt ea verba in tropos et figuras transmutant [leg. transmutare] . . . Sic verba illa cœnæ rotunda. . . 'Hoc est . . . corpus meum,' mille figuris involvunt.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 79. [Op., tom. vii. col. 749. B.]

[Scripturæ sacræ sæpe figurate sunt intelligendæ.]

Porro, negotium sibi facit; *de Scripturarum sensu, Novatores* (*ubi Scriptura propriis verbis loquitur*) *pro nihilo ducere.* Imo, *pro nihilo* non *ducere,* sed quod *propriis verbis loquatur,* negare. Nec *tropos* quærere, sed, de Sacramento uno loqui, ad morem reliquorum. De Circumcisione, *Hoc est fœdus meum in carne vestra*[p]. De Agno, *Hoc est enim Pasche, id est, transitus Domini*[q]. *Verba* vero illa *rotunda* cur dixit Cardinalis, nisi quia adaptare *rotunda verba* voluit ad Hostiæ formam *rotundam?* De quibus tamen, non est quod molesti sibi sint *Novatores.* Non enim verba hæc, *Hoc est enim,* in Bibliis suis reperiunt, ut de involucro eis quærendo laboran-

[n] ["Libri isti non sunt Canonici, hoc est, non sunt regulares ad firmandum ea quæ sunt fidei; possunt tamen dici Canonici (hoc est regulares) ad ædificationem fidelium."—Thom. de Vio Cajet.] in fin. lib. Hist. [apud Comm. in S. S. tom. ii. p. 400. b. Lugd. 1639.]

[o] [Rom. iii. 2.]

[p] Gen. xvii. 8. [q] Exod. xii. 11.

dum sit; Tum, nec *mille figuris* rem agunt. Una modo; nec alia, quam qua vos ipsi explicatis illud, *Hic est calix, qui effunditur*[r]; quem nec vos expedire potestis sine *tropo*. Denique, vestri homines, dum *figuram* unam fugiunt, *mille se quæstionibus involvunt*. Nec tam *rotunde* moverunt *verba illa rotunda*, ut hic illic non impingant ad absurda, quibus mirifice implicantur: ut *tropum* unum adhibere præstet, quam ad tot scopulos allidere.

Sic illud, Apoc. xi., de duobus Prophetis cum Antichristo pugnaturis, . . . omisso literali, plano, proprio, ac perspicuo sensu, omnino laborant, ut metaphoris obscurent.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 80. [Op., tom. vii. col. 749. C.]

Nam, quod secundo loco allegat locum ex Apocalypsi, parum id ab eo consulto factum est: nusquam enim minus loci habet sensus *planus* et *literalis*, quam in libro illo. Audi,
160 quæ ibi sunt, de duobus his Testibus, *verba rotunda: Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra*[s], nisi quod deest ibi *enim*; quam vocem nobis (quod vos in Sacramento facitis,) inserere religio est, non minus clara et perspicua; quæ tamen *involvet* (credo) Cardinalis *tropo aliquo*, ne necesse habeant *Candelabra* interfici ab *Antichristo*. Quod nisi *omisso* ibi interdum *sensu literali, metaphora* aliqua voces sinas *obscurari*, Antichristus *Bestia* erit, non homo, et *Bestia quæ*, id est, non *mas*, sed *fœmina*. Sed si locus ibi *spiritualiter* vocetur *Sodoma*[t]; quidni, ad idem exemplum, *spiritualiter* vocentur et alia? et in iis fas sit a proprio sensu discedere? *Singulos ibi versus singula mysteria* dixit olim Hieronymus[u]. Patere vero in mysteriis *Metaphoræ* locum esse. Denique, utri de *Testibus illis* magis apposita sentiant, remittit Lectori rem, qui, non ex vocum (spero), sed ex sensus *rotunditate* judicium feret.

Non satis est ad hæreticum nomen fugiendum illa recipere . . . quæ Rex Anglorum recipere atque admittere se dicit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 80. [Op., tom. vii. col. 749. D.]

[Satis est si recipiantur tria Symbola,]

Non satis hoc, si quis *tria Symbola* suscipiat, et *quatuor Concilia*, ut *ne Hæreticus sit*: Ubi caudor? Quatuor pro-

[r] [Luc. xxii. 20.]
[s] [Apoc. xi. 4.]
[t] [Apoc. xi. 8.]
[u] ["Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta, quot verba. Parum dixi pro merito voluminis. Laus omnis inferior est: in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ."—S. Hier. Epist. liii. Vall. (al. ciii.) ad Paulin. sect. 8. Op., tom. i. col. 278. D.]

ponit Rex, de iis duo *non satis esse* Cardinalis excipit. De *Conciliis* post videbo. De *Symbolis*, id quæro, quodnam habet Cardinalis *quartum*, cui *tria* satis non sunt?

Scimus Pelagianos, et Monothelitas . . . hæreticos esse, et tamen . . . recipiunt Scripturas Canonicas, tria Symbola, et quatuor prima Concilia, et Patres primorum quadringentorum annorum [minime spernunt.—Bell. Apol. pro Resp.] p. 80. [Op., tom. vii. col. 749. C. D.]

Sed *Pelagiani et Monothelitæ recipiunt Concilia quatuor; tum, Patres primorum quingentorum annorum minime spernunt.* [et quatuor prima Concilia.] De Pelagianis falsum: nec modo iis, qui ante duo de *quatuor Conciliis* exstiterunt: sed de reliquis illis, quæ Prosperi ætate fuerunt et Fulgentii: ii (mitto de Conciliis) nisi Augustinum, nisi Hieronymum sprevissent, Pelagiani esse non poterant. De Monothelitis, vel, post Scripturas, Patrum nobis scripta sat esse debent, vel, quid nobis futurum sit, nescio. *Os enim* hic *Pastoris summi* consulere non possumus, qui ipse Monothelita est; eique tanquam Hæretico Monothelitæ in Conciliis *Anathema* dictum [x]; ut satis nobis esse oporteat, quod Cardinali satis non est; ut parum hic opportuna fuerit de Monothelitis mentio.

Ut etiam hoc tempore Græci in articulo de processione Spiritus Sancti . . . hæretici habentur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 80. [Op., tom. vii. col. 749. D.]

De Græcis itidem; si Patres antiquos venerentur, (nec nostros de Occidente, sed suos) non possent non *de Spiritus Sancti processione* sentire, ut Orthodoxos par est. [Græci non hæretici.]

Quæro a Rege, cur quatuor tantum prima Concilia generalia recipit? Cur non quintum etiam, sextum, septimum, octavum, etc.?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 81. [Op., tom. vii. col. 750. A.]

Verum, *Cur quatuor tantum prima Concilia veneratur Rex?* Quære id a Gregorio, qui, tametsi post quintum fuerit, tamen *quatuor* modo *prima* honore hoc dignatus est [y]. Mag- [Posteriora Concilia minoris habenda.]

[x] [Honorius I. sc. in Conc. Gen. sexto (C. P. iii.) Act. xiii. condemnatus.—Conc. tom. vi. col. 943. B. seq. Vide quoque Epist. Tarasii et Septimæ Synodi ad Imperatores. Conc. Nic. ii. Act. vii.—Conc. tom. vii. col. 581. A.]

[y] ["Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere et venerari me fateor . . . . tota devotione complector, integerrima approbatione custodio; quia in his, velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura surgit, et cujuslibet vitæ atque actionis oxistit, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiam si lapis esse cernitur, tamen extra ædificium jacet. Quintum quoque Concilium pariter veneror."—S. Greg. M. lib. i. Ep. xxv. Op., tom. ii. col. 515. B. C. "Et sic quatuor synodos sanctæ universalis Ecclesiæ, sicut quatuor libros sancti Evangelii recipimus."—Lib. iii. Ind. xi. Ep. x. Ibid. col. 632. D. E.]

161 nifice de *quatuor* primis dixit; de *quinto* siluit. Quæ illi ratio fuit, ut ne *quintum* in pari honore haberet, eadem et Regi, ne reliqua post *quintum*. Nec tam (fortasse) Deo pleni, qui in Conciliis sequentibus, ut par illis veneratio debeatur: nec Spiritus tam in iis spiravit, qui non solum *ubi*, sed *quantum vult, spirat*[z]. Nec dereliquit tamen Ecclesiam Deus; etsi plus eam interdum, interdum minus illustret. Post Malachiam, Canoni non est additum (ait Josephus[a]) nec deseruit tamen Ecclesiam suam Deus. Nam inter *Apostolos* et *Patres* discrimen ingens: interque *ipsos Patres:* at *eos* inter, et *nos*, concedit (credo) Cardinalis nonnihil interesse: ut horum alia, alia illorum, etsi omnium (suo cujusque loco), uti par est, ratio haberi debeat.

Fortasse Ecclesia Christi post annum quingentesimum periit, . . . fortasse mansit, . . . sed invisibilis, et in antris et [ac] speluncis delitescens?—Bell. Apol. pro Resp.] p. 81. [Op., tom. vii. col. 750. A.]

[Concilii vere generalis magna auctoritas.]

Non ergo ex eo jam sæculo *periit Ecclesia:* ne *delituit* quidem. Et *oportet esse hæreses*[b]: et ubi sunt, oportet coerceri; et fuit ad eas coercendas Conciliorum sancta et salubris auctoritas. Et diu jam est, cum ad *Concilium* provocamus, sed *rite congregatum:* sed in quo, eodem modo atque ordine gerantur res, quo in primis illis quatuor; ubi libertas suffragii, ubi præjudicium non sit pro judicio; ubi non sedeat judex, qui peragendus est reus; ubi Titulares Episcopi non sint, vel Factitii; ubi minuatur Italorum numerus, qui soli suffragiorum numero vincunt cæteros, qui per Europam sunt, simul universos.

In primo adfuit Imperator Constantinus, adfuit et in sexto Imperator ejusdem nominis.—[Bell. Apol. pro Resp.] p 82. [Op., tom. vii. col. 750. C.]

[Conc. Nic. a Conc. Gen. vi. multum distat.]

Sed abesse tamen multum dicimus Constantinum Pogonatum a primo illo et Magno Constantino; tum Episcopos, qui in Sexto Constantinopolim, ab iis, qui in Primo Nicæam convenerunt. Sed neque rejicimus tamen Sextum, ubi non discedit *a quatuor primis*, ubi eodem modo atque ordine pro-

[z] [Joan. iii. 8.]

[a] [Ἀπὸ δὲ Ἀρταξέρξου μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου γέγραπται μὲν ἕκαστα· πίστεως δὲ οὐχ ὁμοίας ἠξίωται τοῖς πρὸ αὐτῶν, διὰ τὸ γένεσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν. Δῆλον δ' ἔστιν ἔργῳ πῶς ἡμεῖς τοῖς ἰδίοις γράμμασιν πεπιστεύκαμεν· τοσούτου γὰρ αἰῶνος ἤδη παρῳχηκότος οὔτε προσθεῖναί τις οὐδὲν, οὔτε ἀφελεῖν αὐτῶν, οὔτε μεταθεῖναι τετόλμηκεν. — Flav. Joseph.] contra Apion. lib. i. [cap. 8. Op., tom. ii. pp. 441, 442.]

[b] [1 Cor. xi. 19.]

cedit, eodem ad Eloquia sacra respectu, quo *prima quatuor*. Sed neque vos Sextum recipitis: non (credo) Canonem xiii., neque lv.; qui duo ex diametro contra morem editi sunt *Romanæ Ecclesiæ* [c].

Frustra recipit quatuor prima, qui non recipit alia subsequentia.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 82. [Op., tom. vii. col. 750. D.]

Dicendum igitur, quod et a Primis illis fuerint et alia, nec eadem tamen omnibus auctoritas tribuenda; nec, per hoc, *frustra ab eo recipi quatuor*, qui *recipiat* quidem, sed pari veneratione *non et alia recipiat subsequentia.*

Christum descendisse ad inferos, et [leg. est] pœnas damnatorum pertulisse. [Pertulisse autem pœnas damnatorum].. Calvinus dicit, primum in horto, . . . deinde in Cruce.[d] . . . At Symbolum Apostolicum dicit [leg. tradit].. ad inferos descendisse [post mortem]. . . . Et hæc est traditio omnium .. Patrum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 83. [Op., tom. vii. col. 751. A.]

Venit ad *Symbola;* ubi, *magno conatu magnas nugas agit* [e]. [De Symbolis.] Et loca, de *Patrum* scriptis, nescio quot congerit, ut, quod 162
non negat Rex, strenue probet. Tam est (scilicet) rerum nostrarum peritus Cardinalis. Christum enim, nec *in Horto,* [Descensum Christi ad inferos,]
nec *in Cruce,* dum viveret, sed *post mortem, secundum animam, vere ad inferos descendisse,* secundum corpus vero, jacuisse in sepulcro, ex veteris Ecclesiæ sententia credit, confitetur Rex, nèc alia est de Articulo V. Ecclesiæ nostræ doctrina. O ergo frustra susceptos hic labores Cardinalis! Sed, *sic solet beare* lectorem: ubi nihil opus, implet paginas: ubi demum opus, altum silet. Desinat vero Calvinum exprobrare nobis. Tam non Calvinum, quam neque Papam sequimur, ubi a Patrum vestigiis hic vel ille discedit.

Neque . . . credere potest Ecclesiam esse Catholicam, dum Ecclesiam non habet, nisi particularem, quæ Regnum Angliæ non egreditur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 84. [Op., tom.vii. col. 751. D.]

---

[c] [Ἐπειδὴ ἐν τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἐν τάξει κανόνος παραδεδόσθαι διέγνωμεν, τοὺς μέλλοντας διακόνου ἢ πρεσβυτέρου ἀξιοῦσθαι χειροτονίας καθομολογεῖν, ὡς οὐκέτι ταῖς αὐτῶν συνάπτονται γαμεταῖς· ἡμεῖς τῷ ἀρχαίῳ ἐξακολουθοῦντες κανόνι τῆς ἀποστολικῆς ἀκριβείας καὶ τάξεως, τὰ τῶν ἱερῶν ἀνδρῶν κατὰ νόμους συνοικέσια καὶ ἀπὸ τοῦ νῦν ἐῤῥῶσθαι βουλόμεθα· μηδαμῶς αὐτῶν τὴν πρὸς γαμετὰς συνάφειαν διαλύοντες, κ. τ. λ. —Conc. Quinisext. seu Trullan. Can. xiii. — Conc. tom. vi. col. 1147. B. C. Ἐπειδὴ μεμαθήκαμεν ἐν τῇ Ῥωμαίων πόλει ἐν ταῖς ἁγίαις τῆς τεσσαρακοστῆς νηστείαις, τοῖς ταύτης σάββασι νηστεύειν, παρὰ τὴν παραδοθεῖσαν ἐκκλησιαστικὴν ἀκολουθίαν, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ, ὥστε κρατεῖν καὶ ἐπὶ τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἀπάρασαλεύτως τὸν κανόνα τὸν λέγοντα Εἴ τις κληρικὸς εὑρεθείη τῇ ἁγίᾳ κυριακῇ νηστεύων, ἢ τὸ σαββατον, πλὴν τοῦ ἑνὸς καὶ μόνου, καθαιρείσθω· εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀφοριζέσθω.' Conc. Quinisext. seu Trull. Can. lv. —Ibid. col. 1167. C. D.]

[d] [Vide Calv. Instit. lib. ii. cap. 16. § 10. Op., tom. ix. p. 132.]

[e] [Vide Terent. Heaut. IV. 1. 8.]

[Ecclesiam Catholicam,] At in Articulo *de Ecclesia Catholica*, Regem convenit, magis ipse conveniendus. *Ecclesia* enim, *quam habet*, quamque moderatur Rex, *Britanniæ fines non egreditur* et Hiberniæ; at credit tamen *Catholicam*, nec *Catholicam* dicit *Britanniæ* vel *finibus* vel *fide* circumscriptam tamen; sed tum verbis, tum sensu *Catholicam*, nempe toto terrarum orbe proseminatam. At Cardinalis *Catholicam* non credit, nisi *Romanam* addat; diffisus scilicet *Catholicæ* per se, atque ita hujus *Articuli* neque sensum tenet, neque verba. *Roma* enim, pars Universi: *Romana*, particularis in universali: venit ergo contra et *fidem*, qui *Romanam Catholicæ* æqualem facit: et vero *rationem*, qui *totum parte sua majus* non fatetur.

Neque veram peccatorum remissionem credere potest, qui cum Novatoribus credat peccata semper hærere in homine, quantumvis justificato, quamvis non imputentur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 84. [Op., tom. vii. col. 752. A.]

[remissionem peccatorum Rex minime negat.] Sed neque, *de remissione peccatorum* fidem nobis relinquit; quod, etsi in carne nostra hærere peccatum sentiamus, credamus tamen, *per Christi gratiam non imputari*. Non ergo, cum Apostolo[f], Cardinalis, et Davide[g] *beatitudinem* diceret *hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Deus peccatum.* 'Apage vero hanc *beatitudinem* Davidis et Pauli, et Abrahæ, (ait Cardinalis,) *Majus opus moveo*[h]. Et proprie, et in totum, plene *tolli* volo, non *tegi*: peccata et *amputari* penitus, non autem non *imputari*. Si *tegat* Deus, si *non imputet*, sint oportet, quæ *tegat*, et *non imputet*. Ego nulla volo, ne esse quidem volo, quæ in me *tegat*: quæ mihi Deus peccata *non imputet*. Si remissa sunt, sublata sunt, penitus nulla sunt, *tegumento* opus
163 non habent (nam quod non est, *tegi* non potest): si *amputata* penitus, *imputari* nequeunt.' Siccine vero *remissionem* credit Cardinalis, ut non credat *non imputationem?* At nos credimus (quantumvis *in se confidat tanquam justo, et aspernetur cæteros*[i]) hærere etiam in eo peccatum, et sentire hoc eum in seipso.

Sed de his multa in Controversiis diximus, quæ repetenda non sunt.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 84. [Op. tom. vii. col. 752. A.]

---

[f] Rom. iv. 6.
[g] [Ps. xxxii. (xxxi. Vulg.) 1.]
[h] [Virg. Æn. vii. 45.]
[i] [Luc. xviii. 9.]

Et quicquid in Controversiis dixerit, *multa* an pauca, quandocunque, ubicunque dixerit, *quoniam peccatum non habet, ipsum se seducere, et veritatem in eo non esse*[k]. Nec vera ergo quæ *dixit in Controversiis*, si hæc dixit: nec, vel hic, vel usquam, ab eo *repetenda; nec vera*, quæ *Jesuitæ quidam*, se, ab annis nescio quot, peccatum nullum admisisse.

In symbolo Niceno [si Rex illud admittat cum additione Concilii secundi generalis] . . . inveniet . . . 'Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.' Quæ verba recitari solent, sed credi non solent a Calvinianis, quorum doctrinam Rex ipse sequitur. [leg. Angli et Scoti sequuntur.—Bell. Apol. pro Resp.] p. 85. [Op., tom. vii. col. 752. A. B.]

[Symbolum Nicenum, de remissione peccatorum in Baptismo,]

In *Niceno Symbolo* nihil reperit: sed nec ab eo (etiam, *cum additione Concilii secundi Generalis*) alienum quicquam credimus, dicimus, docemus; ejusque, ut verba recitamus, ita sensum tenemus. Tametsi enim, *gratiam Dei Sacramento non alligemus;* tamen, *neque falsam in parvulorum Baptismate remissionem peccatorum; nec verbo tenus dici, sed veraciter agi, credimus*[l]; Nec *aliter ad originalium peccatorum indulgentiam, vel ab infantibus, vel ab adultis perveniri, quam si omnes omnino abluant peccata sua lavacro salutari*[m]. Poterat ergo, de *Fide* hic nostra, Cardinalis *fidem* non habere hominibus tam læsæ *Fidei*, atque ita labore hoc suo tam supervacuo supersedere.

Symboli tertii articulum, de ratione reddenda, de propriis factis Rex credere non poterit. Confitemur judicium novissimum, in quo . . . judex pro qualitate factorum reddet aliis coronam justitiæ, aliis . . . supplicium sempiternum. Nam si non pro meritis operum, sed in gratiam fidei, et [leg. vel] justitiæ [Christi] misericorditer imputatæ [fidelibus], vita æterna daretur, non esset opus judicio, neque discussione factorum: neque oporteret Judicem justum, sed Patrem misericordem advenire: neque rationem de factis . . . reddere, sed Christi justitiam nobis imputatam . . . ostendere deberemus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 87. [Op., tom. vii. col. 753. B.]

[et Symbolum S. Athanasii, de ultimo judicio, recipit.]

Symbolum quoque *tertium* ab Athanasio conscriptum recipimus integre. De *Judicio*, nihil inde opus fuit, mentionem fieri, cum et in *Apostolico Symbolo* expressum sit, et in

[k] [1 Joan. i. 8.]

[l] ["Non est enim falsa, etiam in parvulorum baptismate, remissio peccatorum, nec verbo tenus dicitur, sed veraciter agitur."—S. Aug. Epist. cxc. (al. clvii.) ad Optatum. § 23. Op., tom. ii. col. 1060. D.]

[m] ["Noli credere, nec dicere, nec docere, Infantes, antequam baptizentur, morte præventos, posse pervenire ad originalium indulgentiam peccatorum."—S. Aug. de Anima, lib. iii. cap. ix. (sect. 12.) Op., tom. x. col. 747. B.]

Niceno. *Reddendam* quoque de *factis rationem:* non tamen, qualem Cardinalis hic videtur redditurus; qui non comparebit (opinor) cum sua hac Theologia, in Judicio ultimo: nec dicturus ibi; 'En *operum meorum merita,* En *factorum qualitatem,* pro quibus reddi mihi postulo vitam æternam. Nec *Patrem* hic opto *misericordem, Judicem justum advenire* mihi volo. Apage vero *gratiam fidei* a me, vel *justitiæ Christi misericorditer imputatæ. Facta mea discuti* volo; *Exierunt* enim a me *opera, quæ opprobrium non merentur,* ut quæ nihil *vitiosi* habeant, nihil *misericordia tegendum.* Nam, *si ita esset, non justitia judicis, sed misericordia Patris, vel liberalitate Principis opus esset,* quibus mihi nihil opus.' Mirum, ni addidisset, *Non enim sum, sicut cæteri hominum*[n], *velut etiam*
164 *hi homines Novatores,* quibus opus est misericordia tua, ne malefacta eis imputentur; et justitia Christi, ut benefacta reputentur. *Hæc* si ita sint, *Pone scalam,* diceret Cardinali Constantinus, (ut olim Acesio Novatiano) *et solus in cœlum ascende*[o].

At si ita esset, non justitia Judicis, vel [leg. sed.] . . . . misericordia Patris, vel liberalitate Principis opus esset.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 87. [Op., tom. vii. col. 753. C. D.]

[In extremo judicio misericordia nobis opus.]

Jure tamen miretur quis, et quærat, an sic serio affectus sit, sentiatque Cardinalis, ut hic sentire videtur, de seipso. *Nihil sibi opus fore misericordia Patris, nihil liberalitate Principis,* justitiam Judicis non extimescere, *pro qualitate factorum, pro meritis operum* vitam sibi æternam vindicare: gratiæ, fidei, Justitiæ Christi, renuntiare, procul a se habere, absque his in judicio comparere velle, opera sua ibi ostentare, plena, pura, perfecta, quibus nihil sordium, vitii nihil adhærescat.

Vix enim credibile, quod de aliquo sibi conscius non sit Cardinalis, tamen *Si nihil sibi conscius sit, non in hoc justificatus est*[p]. Mirum, ni *cor ejus reprehendat eum* de aliquo; si tamen non reprehendat, *major est Deus corde* Cardinalis[q]. Et hoc in *Ore* fuit *Pastori* ejus *summo; Sæpe in oculis*

[n] [Luc. xviii. 11.]

[o] [Τοῦ γὰρ προφέροντος . . . ὡς μετὰ τὸ βάπτισμα κοινωνίας οὐκ ἀξιοῖ μυστηρίων τοὺς ἁμαρτίας ἐνόχους, ἣν πρὸς θάνατον καλοῦσιν αἱ θεῖαι γραφαί· Θεοῦ γάρ ἐξουσίας μόνου, οὐχ ἱερέων ἠρτῆσθαι τὴν ἄφεσιν· ὑπολαβὼν ὁ βασιλεὺς εἶπεν· Ὦ Ἀκέσιε, κλίμακα θὲς, καὶ μόνος εἰς οὐρανοὺς ἀνάβηθι.] — Sozom. [Hist. Eccl. lib.] i. [cap.] 22. [p. 41.]

[p] 1 Cor. iv. 4.

[q] 1 Joan. iii. 20.

sordescere supremi Judicis, quod in intentione fulget operantis[r].

At, non omnium hæc (credo) Cardinalium causa est, non tam purgati omnium mores, (puto nec Jesuitarum) ut hanc vocem usurpare audeant, quin nobiscum misellis, magis indulgentia Dei, quam innocentia sua, et gratioso Dei promisso, quam merito suo niti velle. Quid autem dixi nobiscum? Cum Jobo viro (opinor) non minus Sancto, quam Cardinalis, qui, etsi *justus esset, levare caput noluit*[s]: *etiamsi haberet quidpiam justum, non respondere tamen, sed Judicem deprecari*[t].

Judicium confitemur fore: locus tamen erit, et in judicio, misericordiæ. Apud S. Jacobum legimus, *quibusdam sine misericordia judicium fore*[u]; Fore ergo *aliis, non sine.* Et in eo, non nihil solatii reperit Christianus, quod *Advocatus noster futurus est Judex noster.* Alioqui, *si remota pietate homo discutitur, in illo examine, etiam justorum vita succumbet*[x]. Reddet vero Deus, vel ante Generale illud, in particulari cujusque judicio, cuique animæ secundum opera sua: nec Generali opus erit, nisi ut in procinctu Orbis terrarum constet, nemini eorum factam injuriam, quorum ante animæ, vel in cœlum receptæ, vel ad inferos ablegatæ sunt.

De operibus nostris, agnoscimus *imperfectum nostrum*[y], et adhærere operibus nostris impuri quid, non diffitemur; nec 165
nos scilicet hoc commenti sumus: Discat hoc, vel a Gregorio, *Si districta discussio sit, non remanere salutis locum, quando et mala nostra pura mala sunt, et bona, quæ nos habere credimus, pura bona esse nequaquam possint*[z]. Apud quem, *Sanctus . . . . vir Job omne virtutis nostræ meritum esse vitium conspicit, si ab interno Arbitro districte judicetur*[a]. Discat et ex Bernardo: *Nostram, siqua sit, humilem justitiam, rectam forsitan, sed non puram; Nisi forte meliores nos esse credamus* [leg. *credimus*], *quam Patres nostros, qui non minus*

[r] ["Sordet in districtione Judicis, quod in æstimatione fulget operantis."—S. Greg. Magn. Mor. in Job. lib. v. cap. xi. Op., tom. i. coll. 147. E. 148. A.]

[s] Job. x. 15.

[t] Job. ix. 15.

[u] [S. Jacob. ii. 13.]

[x] ["Si remota tunc pietate discutitur, in illo examine etiam justorum vita succumbit."—S.] Greg. [Magn.] Moral. [in Job. lib.] ix. [cap.] viii. [rec. (xiv. Ben.) Op., tom. i. col. 298. C.]

[y] Psa. cxxxix. [cxxxviii. Vulg.] 16.

[z] ["Si autem de his divinitus districte discutimur, quis inter ista remanet salutis locus, quando et mala nostra," etc.—S. Greg. Magn.] Moral. [in Job. lib.] ult. [cap.] ult. [Op., tom. i. col. 1168. C.]

[a] [S. Greg. Magn.] Moral. [in Job. lib.] ix. [cap.] ii. [Op., tom. i. col. 288. E. F.]

veraciter quam humiliter aiebant; Universæ justitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ[b], (fœdior autem est illa *panni* tinctura, quam ut referri possit ad *venialia*:) Et Cardinalis, qui sic ab *ore* pendet *Summi Pastoris*, audiat vel ex *ore* ipsius, *Omnis humana justitia injustitia esse convincitur, si districte judicetur*[c].

[Ratio de factis est reddenda.] *Rationem de factis cuique reddendam*, nec id negamus, sed *de factis*, quorum, quicquid vitiosum fuit, ante deletum, quam coram Judice comparendum fuit. Quod vitiosum est, pœnitenti prius *condonari*, condonato eo, reliquum a Deo *coronari*. Separatur ab opere vitium; Quidni? Vitium, ex gratia remittitur; opus, ex promisso coronatur. *Omnia* enim *mandata facta deputantur, quando, quicquid non fit, ignoscitur*[d]. Scit vero Cardinalis *fieri posse, ut . . . impetrata indulgentia, ita tum salvetur quis, ac si omnia mandata custodisset*[e]. *Reddi* ergo *rationem de factis*; prius tamen, quicquid vel in nobis, vel in illis est, peccati, vel imperfecti, remitti vel *tegi*, vel *non imputari*: ac, tum demum *reddi*: illud quidem ante Judicium, hoc in Judicio.

[Secundum opera,] *Secundum opera* reddi ibi cuique, fatemur (ita nobis linguam Scriptura formavit[f]), non autem *pro meritis operum*. Ignotus hic Spiritui Sancto loquendi mos. *Pro meritis* enim, causam adæquatam dicit: *Secundum*, in comparatis, non causis, locum habet.

[non pro meritis suis Deus cuique tribuet.] Reddi autem, *non ex pondere humani meriti, sed ex vi promissi divini*: cujus promissi ex gratia fons quoque; qua gratia sua benignus Servator mercedem plenam, operi non pleno, mercedem *diariam* operi *horario* repromisit[g]: quodque ex gratia promisit, ex justitia reddit: justus nequaquam futurus, nisi dictis maneret. *Redde quæ promisisti*, cum ea, qua par est, humilitate dicere possumus: *Redde quod merui,*
166 *quod mihi ex merito debes*, puto, non debemus. *Seclusa* (*enim*) *promissione* (*divina*) *non suppetit aliquis sufficiens titulus, propter quem Deus debeat compensare tale opus vita æterna*[h].

[b] [S. Bern.] Serm. v. de verb. Esa. [sect. 9. Op., vol. i. (tom. iii.) col. 953. C. D.]
[c] [S.] Gregor. [Magn.] Moral. [in Job.] lib. ix. cap. xi. [rec. (xviii. Ben.) Op., tom. i. col. 301. D.]
[d] [S.] Aug. Retract. [lib.] i. [cap.] 19. [Op., tom. i. col. 64. A.]
[e] [Bell.] de Justif. [lib.] iv. [cap.] 14 [§ 'Atque hæc.' Op., tom. iv. p. 265. F.]
[f] [S. Matt. xvi. 27.]
[g] [S. Matt. xx. 9.]
[h] [Greg. de] Valent. [Disput.] viii. [Quæst.] vi. [De Effect. Grat. ut est Princip. Operandi. Punct.] 4. [Op., tom. ii. col. 1399. B. C. Ingolstadii, 1603.]

Denique aliter in Missa Cardinalis loquitur, aliter hic in Apologia. In Missa, *Ut non æstimator meriti, sed veniæ largitor*[i]: Hic jam, per *ἀντιστροφὴν*, ut *non veniæ largitor* sit, sed *æstimator meriti*, audacter postulat.

Nec ergo delemus articulum: nec Judicium ultimum evacuamus; et reddenda ratio de operibus, et cuique reddendum, secundum opera. Reddenda ratio de operibus, non tamen *impuris*, sed per pœnitentiam nostram, per Dei gratiam, prius *depuratis*: Reddendum cuique secundum opera, sed ex vi promissi, non valore meriti.

Conc. Nicenum . . . primum . . . duabus [potissimum] de causis convocatum est, ut quæstio de fide Divinitatis Filii Dei, et dissensiones de celebrando Paschate definirentur.—Bell. Apol. pro Resp.] p. 88. [Op., tom. vii. col. 754. A.]

Dicendum et de primis quatuor *Conciliis*: sed *γλώσσης χάριν*[k], ne nihil dicat, cum nihil tamen dicendum habeat. *Quæstionem* ibi *fidei, de Christi divinitate, ex traditione non scripta definitam esse;* Etiam *alteram quoque, de Paschate celebrando.* Nobis itaque (qui Traditiones scilicet rejicimus) cum Nicena Synodo non convenire. [De Conciliis.]

De Quæstione fidei testis est Theodoretus. lib. i. [Hist.] cap. 8. eam ex sermonibus non scriptis fuisse terminatam.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 88. [Op., tom. vii. col. 754. A. B.]

Ex Theodoreto docere vult, *quæstionem fidei ex traditione* non *scripta terminatam.* Theodoretus id eo loco non dicit: contrarium dicit. Nam et Constantinus ibi, dum viam aperit, quam teneri vult, ad quæstionem illam definiendam, sic loquitur. *Evangelici enim, et Apostolici libri, nec non antiquorum Prophetarum oracula, plane instruunt nos, de sensu Numinis: proinde, hostili posita discordia, sumamus ex dictis Divini Spiritus explicationes quæstionum*[l]: Ea igitur Constantini mens, ut de libris explicatio sumatur; at de *traditione* non *scripta* ne meminit quidem. Quid Patres ibi? quam viam ingressi sunt? *Animadversa fraudulentia* (*Arii,*) *allegaverunt Episcopi ex Scriptura, ἀπαύγασμα, fontem, flumen, characterem substantiæ.* Et hoc, *In lumine tuo videbimus lumen,* Et, *Pater,* [Quæstiones de fide quomodo in Conc. Nic. terminatæ;]

[i] Collect. [in Can. Missæ.]
[k] [Hesiod. Op. et Dies, 707.]
[l] [Εὐαγγελικαὶ γάρ, φησι, βίβλοι, καὶ ἀποστολικαὶ, καὶ τῶν παλαιῶν προφητῶν τὰ θεσπίσματα, σαφῶς ἡμᾶς ἃ χρὴ περὶ τοῦ Θεοῦ φρονεῖν ἐκπαιδεύουσι· τὴν πρὸ λεμοποιὸν οὖν ἀπελάσαντες ἔριν, ἐκ τῶν θεοπνεύστων λόγων λάβωμεν τῶν ζητουμένων τὴν λύσιν.—Theod. Hist. Eccl.] lib. i. cap. 7. [pp. 26, 27.]

et Ego unum sumus, &c.[m] Hoc vero, non tam ex *traditione* (credo) quam ex *Scripturis*. Quomodo autem *terminata?* Visum est, uti voce *ὁμοούσιον*, (nec tamen ex *traditione non scripta*.) Reperiri enim testatur eo ipso loco Eusebius, *priscos, doctos, et spectatos Episcopos Scriptores,* qui *ea ipsa voce ὁμοούσιον usi fuissent, de Patris et Filii divinitate*[n]. Ita, nihil ibi *non scriptum*. Res ipsa Scripturis definita, vox e priscis scriptoribus petita. Date et vos de Scriptis rem: vobiscum nemo de voce litigabit.

167 Decretum autem de Paschate celebrando die Dominica ne poterat quidem ex Scripturis ullis deduci, sed ex sola traditione ab Apostolis, atque inprimis a S. Petro accepta, et in Urbe custodita, formatum est.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 89. [Op., tom. vii. col. 754. B.]

[et dissentiones de Paschate celebrando.]

At, de Paschate, alia ratio, cum ex eo rerum genere sit, quæ *fidem* non spectent, *moresque* vivendi; quæque, per annos ducentos, praxin indifferentem habuit; aliter hoc, aliter alio loco celebratum: ex se proinde, inter adiaphora. Nam, in rebus ejusmodi, locum habere praxin Ecclesiæ non negamus. In Paschate tamen, eousque, non habuisse. Qui potuit? cum alia Ephesi praxis fuerit, alia Romæ? alia Joannis Apostoli per Orientem, alia Petri per Occidentem[o]? nec totum tamen: Diu enim post, Britannia nostra Orientis hic morem servavit[p]. Res vero sic se habuit. Cum par esset, Christianos omnes, qui cætera jam idem sentirent, in hujus quoque *Festi* celebratione uniformes esse: nec deceret, *decima quarta Lunæ* hos quidem jejuniis sese macerare, illos

[m] [Ἀλλὰ καὶ ἐνταῦθα οἱ ἐπίσκοποι, θεωρήσαντες ἐκείνων τὸ δόλιον, συνήγαγον ἐκ τῶν γραφῶν τὸ Ἀπαύγασμα, τήν τε Πηγὴν, καὶ Ποταμὸν, καὶ Χαρακτῆρα πρὸς τὴν Ὑπόστασιν, καὶ τὸ, Ἐν τῷ φωτί Σου ὀψόμεθα φῶς, καὶ τὸ, Ἐγὼ καὶ ὁ Πατὴρ ἕν ἐσμεν. Καὶ λευκότερον λοιπὸν καὶ συντόμως ἔγραψαν, Ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ τὸν Υἱόν. Τὰ γὰρ προειρημένα πάντα ταύτην ἔχει τὴν σημασίαν· καὶ ὁ γογγυσμὸς δὲ αὐτῶν, ὅτι ἄγραφοί εἰσιν αἱ λέξεις, ἐλέγχεται παρ' αὐτῶν μάταιος· ἐξ ἀγράφων γὰρ ἀσεβήσαντες, (ἄγραφα δὲ Τὸ, ἐξ οὐκ ὄντων, καὶ, Τὸ, ἦν ποτὲ ὅτε οὐκ ἦν,) αἰτιῶνται διότι ἐξ ἀγράφων μετ' εὐσεβείας νοουμένων λέξεων κατεκρίθησαν . . . οἱ δὲ ἐπίσκοποι, οὐχ ἑαυτοῖς εὑρόντες τὰς λέξεις, ἀλλ' ἐκ τῶν πατέρων ἔχοντες τὴν μαρτυρίαν, οὕτως ἔγραψαν . . . καὶ τοῦτο ἐγίνωσκεν Εὐσέβιος ὁ γενόμενος ἐπίσκοπος τῆς Καισαρείας, πρότερον μὲν συντρέχων τῇ Ἀρειανῇ αἱρέσει· ὕστερον δὲ ὑπογράψας τῇ ἐν Νικαίᾳ συνόδῳ. ἔγραψε καὶ τοῖς ἰδίοις διαβεβαιούμενος, ὅτι καὶ τῶν παλαιῶν τινὰς λογίους καὶ ἐπιφανεῖς ἐπισκόπους καὶ συγγραφέας εὕρομεν, ἐπὶ τῆς τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ Θεότητος, τῷ τοῦ Ὁμοουσίου χρησαμένους ὀνόματι. —S. Athan. apud] Theodo. [Hist. Eccl. lib.] i. [cap.] 8. [p. 30.]

[n] [Ἐπεὶ καὶ τῶν παλαιῶν τινὰς λογίους καὶ ἐπιφανεῖς ἐπισκόπους καὶ συγγραφέας ἔγνωμεν, ἐπὶ τῆς τοῦ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ θεολογίας, τῷ τοῦ Ὁμοουσίου συγχρησαμένους ὀνόματι. — Euseb. apud] Socrat. [Hist. Eccl. lib.] i. [cap.] 8. [p. 25.]

[o] [Vide Euseb. Hist. Eccl. lib. v. capp. 23, 24. pp. 241—249.; et Socrat. Hist. Eccl. lib. v. cap. 22. pp. 293, 294.]

[p] [Vide Bedæ Hist. Eccl. lib. ii. cap. 2. pp. 110—114; lib. iii. cap. 25. pp. 233—236. Cantab. 1643.]

vero eodem die festum diem, hilaremque sumere: visum est Constantino, Sacram suam ad (quæ passim erant) Ecclesias, mittere, quibus id egit, ut unum ubique morem in tenendo Paschate sequerentur: ut autem illum potius, quo die Dominico, ne vero illum, quo decima quarta Lunæ celebrari mos erat: quod is proxime ad Judaismum accederet, qui tum Pascha suum immolant: quibus iniquum esset ut Christiani se conformes redderent[q]. At de S. Petro, ejusve *traditione*, vel de *urbe* ipsa, nihil ibi reperias. Sed neque Canon ullus ea de re editus: tantum Constantini Epistola transacta res est. Nec hic ergo *Traditio* obtinuit. Sed nos tamen, in materia Festorum, *Traditionem* non rejicimus: Ecclesiæ praxin libenter adhibemus. At, ad quæstiones reddendas interminabiles, latiorem multo fenestram patefieri, si *Traditione non scripta*, quam si Scripto agatur res. Plus enim (ubi non Scripto locus) erroris esse, minus certitudinis.

> Exstat . . . Canon tertius Niceni Concilii, ut non permittantur in domibus Episcoporum, &c. mulieres habitare[r] . . . Quomodo igitur . . . in domibus eorum inveniuntur uxores . . . . Dicent . . ex [historia] Sozomeni . . . interveniente Paphnutio in arbitrio [Episcoporum atque aliorum] Ecclesiasticorum relictum esse[s]. . . . At historia illa . . . convincitur esse falsa. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 89. [Op., tom. vii. col. 754. C. D.]

Est tamen *Canon tertius Nicenus, ne cohabitent mulieres ulli de numero Clericorum. Nostri autem uxorati sunt.* Verum respexit hic Cardinalem Paphnutius sublato digito, quem ille ut declinet, plagam accipit: et Sozomenum falsi reum peragit, scilicet! Quid factum in Synodo Nicena credat quis Cardinali, potius quam Sozomeno. At Sozomeni tempora, (qui Theodosio juniori historiam suam inscripsit) non procul aberant a Nicena Synodo, nec ullum mendacio

[De Conjugio Clericorum testimonia Conc. Nic.]

[q] [Vide Euseb. de Vita Constantini, lib. iii. capp. 18, 19. pp. 587—589.]

[r] [Ἀπηγόρευσε καθόλου ἡ μεγάλη σύνοδος, μήτε ἐπισκόπῳ, μήτε πρεσβυτέρῳ, μήτε διακόνῳ, μήτε ὅλως τινὶ τῶν ἐν τῷ κλήρῳ, ἐξεῖναι συνείσακτον ἔχειν· πλὴν εἰ μὴ ἄρα μητέρα, ἢ ἀδελφὴν, ἢ θείαν, ἢ ἃ μόνα πρόσωπα πᾶσαν ὑποψίαν διαπέφευγε.—Conc. Nic. I. Can. iii. Conc. tom. ii. col. 29. D.]

[s] [Ἀναστὰς δὲ Παφνούτιος ὁ ὁμολογητὴς, ἀντεῖπε· τίμιόν τε τὸν γάμον ἀποκαλῶν, σωφροσύνην τε τὴν πρὸς τὰς ἰδίας γυναῖκας συνουσίαν, συνεβούλευσε τῇ συνόδῳ, μὴ τοιοῦτον θέσθαι νόμον, χαλεπὸν γὰρ εἶναι τὸ πρᾶγμα φέρειν· ἴσως δὲ καὶ αὐτοῖς, καὶ ταῖς τούτων γαμεταῖς, τοῦ μὴ σωφρονεῖν αἰτία γενήσεται. κατὰ δὲ τὴν ἀρχαίαν τῆς ἐκκλησίας παράδοσιν, τοὺς μὲν ἀγάμους τοῦ ἱερατικοῦ τάγματος κοινωνήσαντας, μήκετι γαμεῖν· τοὺς δὲ μετὰ γάμον, ὧν ἔχουσι γαμετῶν μὴ χωρίζεσθαι. καὶ ταῦτα ὁ Παφνούτιος, καίπερ ἄπειρος ὢν γάμου, εἰσηγήσατο. ἐπήνεσε δὲ καὶ ἡ σύνοδος τὴν βουλὴν, καὶ περὶ τούτου οὐδὲν ἐνομοθέτησεν· ἀλλὰ τῇ ἑκάστου γνώμῃ τὸ πρᾶγμα, οὐκ ἐν ἀνάγκῃ ἔθετο. —Soz. Hist. Eccl. lib. i. cap. 23. p. 41. vide quoque Socr. Hist. Eccl. lib. i. cap. 11. p. 39.]

pretium, ut Cæsari referret rem falsam, quæ Patrum memoria contigisset. Non conductus (credo) ad hoc, a *Novatore*
168 ullo. Sed *convincet* tamen *falsi*, quod *Canon ille tertius uxores non excipiat.* Quid opus, quas excepisset Paphnutius, priusquam Canon rogari posset? Quid opus, quas *συνεισακτῶν* nomine nemo intelligat, et de quibus, suspicio non sit?

Deinde [S.] Epiphanius . . . et [S.] Hieronymus . . aperte scribunt esse contra Canones . . . . Et certe . . . . majori fide digni sunt, quam Sozomenus, qui posterior tempore et inferior doctrina, et sanctitate fuit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 89. [Op., tom. vii. col. 754. D.]

[SS. Epiph. et Hieron.] Sed *Epiphanius*[t] *et Hieronymus*[u], *contra Canones asserunt, ut Episcopus, Presbyter, Diaconus, liberos gignant.* Sozomenus *vero posterior tempore.* Minutiæ: *posterior,* qui tamen cadem ætate vixit. *Inferior* etiam *doctrina et sanctitate;* at id non quæritur, an *doctior sanctiorve,* sed an verus in historia. Nam, quos illi Canones contravenire dicunt, Romani erant. Videas hoc in sexta Synodo Generali, Can. xiii.[x] ubi Romanam Ecclesiam, de Canone illo, nominatim perstringunt Patres, et ne, vel sacris arceantur, qui *conjugati,* neve usu *conjugii* voto aliquo priventur, severe sanciunt. Suum vero hunc Canonem antiquis et Apostolicis consentaneum: Romanum vero contrarium.

Episcopi Anglicani, contempta lege Concilii, . . . uxores ducunt etiam post adeptum Episcopatum. Itaque nullam habent excusationem. — [Bell. Apol. pro Resp.] p. 90. [Op., tom. vii. col. 755. A.]

[Totum hoc juris tantum positivi,] Nova lis. *Ducunt nostri, etiam postquam adepti Episcopatus, quare excusationem nullam habent.* Habent vero. Totum enim hoc positivi modo juris. Argumento, quod in conjugio Cleri sui Græci alio jure utuntur, Latini alio. Laxatum vero jus istud, et refixum apud nos, Synodo legitima. Etiam (si non erravit Pontifex Pius II.) bono olim jure fixum; sed meliore jam apud vos quoque refigendum[y]. Cæsari sic qui-

[t] [Καὶ ταῦτα ἀσφαλῶς ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία μετὰ ἀκριβείας παραφυλάττεται. ἀλλὰ καὶ τὸν ἔτι βιοῦντα καὶ τεκνογονοῦντα, μιᾶς γυναικὸς ὄντα ἄνδρα, οὐ δέχεται, ἀλλὰ ἀπὸ μιᾶς ἐγκρατευσάμενον, ἢ χηρεύσαντα, Διάκονόν τε, καὶ Πρεσβύτερον, καὶ Ἐπίσκοπον, καὶ Ὑποδιάκονον, μάλιστα ὅπου ἀκριβεῖς κανόνες οἱ ἐκκλησιαστικοί.—S. Epiph. Hær. lix. (Cathari.) cap. 4. Op., tom. i. p. 496. B.]

[u] ["Quid facient Orientis ecclesiæ? quid Ægypti, et sedis Apostolicæ? quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes; aut, si uxores habuerint, mariti esse desistunt."—S. Hier. contr. Vigil. sect. 2. Op., tom. ii. col. 389. B.]

[x] [Vide supra, p. 217. not. c.]

[y] ["Sacerdotibus magna ratione sublatas nuptias, majori restituendas videri."—Dictum Papæ Pii II.; in Vita ejus apud Platin. de Vitis Pontif. p. 392.]

dem visum et Principibus in nupero vestro, Tridenti[s]; quæ res quas ibi turbas dederit, priusquam obtinere posset cœlibatus, non nescit Cardinalis. Vobis vero etiam in Nicena, quæ positivi juris erant, religio nulla abrogare: Nam, neque *stantes adoratis* in die Dominico, vel inter Pascha et Pentecosten, (quod viccsimo Canone cavetur[a].) Et, Diaconi Cardinales sedent *cum Presbyteris*, (quod decimo octavo[b].) Neque *quotannis bis Synodis habetis* (quod quinto[c].) Denique, quam habet Pontifex vester potestatem, per ἔθος aut σύνηθες constare non vultis, sed de jure divino esse, quod tamen, in sexto ibi, non nisi *mori* et *consuetudini* tributum est[d].

[ut et alia, a Conc. Nic. instituta, nunc vero abrogata.]

Concilii Niceni . . . Can. quarto Episcopi ordinari jubentur a tribus saltem Episcopis, qui et ipsi ab aliis rite ordinati sunt . . . . Episcopi autem Protestantes a nullo vero Episcopo ordinati . . . sunt.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 90. [Op., tom. vii. col. 755. A.]

Nam *de nostrorum ordinatione*, nihil erat quod Nicenum Canonem quartum vel nominares[e]: *A tribus* semper *Episcopis*, etiam *a veris ordinati sunt.* Ab *Episcopis* tribus ordinati: non (quod vos interdum facitis contra Canonem) ab *Abbatibus* etiam[f]. A *veris:* vestris enim; (nisi vestri *veri* non sint); Nec is Canon apud nos violatus unquam, nec ea series unquam interrupta. In nostris autem, Episcopi *res* est, non *nomen* solum; et *opus*, non opes; adeoque, quæ Episcopalis muneris sunt obeunt multo, quam vestri, et frequentius, et diligentius.

[Episcopi nostri secundum Can. iv. Nic. ordinati.]

169

De Secundo Concilio nihil est, quod hic addam.—[Bell. Apol. pro Resp. p. 90. [Op., tom. vii. coll. 755. B.]

De Secundo, nihil afferre potuit; reponit tantum veterem errorem suum *de Baptismo in remissionem peccatorum* a nobis negato; de quo illi nobis hic denuo auris vellenda est. Nos

[Conc. C.P. rex accipit,]

[s] [Vide supra, p. 145. not. °.]

[a] [Ἐπειδή τινές εἰσιν ἐν τῇ κυριακῇ γόνυ κλίνοντες, καὶ ἐν ταῖς τῆς πεντηκοστῆς ἡμέραις, ὑπὲρ τοῦ πάντα ἐν πάσῃ παροικίᾳ φυλάττεσθαι, ἑστῶτας ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τὰς εὐχὰς ἀποδιδόναι τῷ Θεῷ.—Conc. Nic. I. Can. xx.—Conc. tom. ii. coll. 37. E. 40. E.]

[b] [Ἀλλὰ μηδὲ καθῆσθαι ἐν μέσῳ τῶν πρεσβυτέρων ἐξέστω τοῖς διακόνοις.—Conc. Nic. I. Can. xviii.—Conc. tom. ii. col. 37. C.]

[c] [Καλῶς ἔχειν ἔδοξεν, ἑκάστου ἐνιαυτοῦ καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν δὶς τοῦ ἔτους συνόδους γίνεσθαι.—Conc. Nic. I. Can. v.—Conc. tom. i. col. 32. A.]

[d] [Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ Λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν, ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν.—Conc. Nic. I. Can. vi. —Conc. tom. ii. col. 32. C.]

[e] [Ἐπίσκοπον προσήκει μάλιστα μὲν ὑπὸ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ καθίστασθαι· εἰ δὲ δυσχερὲς εἴη τὸ τοιοῦτο . . . ἐξ ἅπαντος τρεῖς ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγομένους, συμψήφων γινομένων καὶ τῶν ἀπόντων, καὶ συντιθεμένων διὰ γραμμάτων, τότε τὴν χειροτονίαν ποιεῖσθαι.—Conc. Nic. I. Can. iv.—Conc. tom. ii. col. 29. D. E.]

[f] [Vide Bell. de Eccl. lib. iv. cap. 8. Op., tom. i. p. 289. C.]

vero secundum nulli negamus. Tertium ibi Canonem a Cardinale, cum suis, negatum asserimus [g].

Ex tertio . . . Generali . . . nihil aliud adducam, nisi partem Epistolæ Theodosii [Junioris] Imp. ad . . . Synodum, . . . ut Rex intelligat, quæ sint partes Regum in Conciliis.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 90. [Op., tom. vii. col. 755. B.]

[item Ephesinum.] Etiam Tertium Generale excussit, nec quicquam reperit nisi, si cui animus sit, *partem Epistolæ ad Concilium missæ* pro Concilio boni consulere. Et hæc jam ante obtrita est, apud Tortum [h], nec ibi, quæ *Regum* partes sint, liquet; sed quæ *Comitum*. Rex autem (puto), si non præstat Cardinali, at *Comiti* præstat, ut partes illi priores sint, et magis amplum munus, quam *Comiti:* vel ex hoc, quod coegit Synodum illam Theodosius, quod Candidiano non licuit: vel ex hoc, quod auctoritate sua Decreta ejus confirmavit, quod neque Candidiano fas. Et non ignorat tamen Cardinalis, vel ex jure suo Canonico caveri, *ubi res fidei agitur,* ut *fas sit, et Laicis interesse* [i]. Tum, Candidianus Comes [j], (si id in mandatis habuit a Theodosio, *ut dissentientes cohiberet,* et *repugnandi studia compesceret,*) sæpe necesse habuit *admiscere se tractatibus* (*tractatus* enim non sine *dissensione* fiebant) sæpe utramque partem officii admonere, sæpe sententiam suam interponere: quod a *Gloriosissimis Judicibus in quarto Generali* sæpe factitatum est [k].

[Quæ Regum partes in Conciliis.]

Vidit . . . Rex in Conciliis . . . non convenisse omnes Ecclesiasticos, sed solos Episcopos.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 91. [Op., tom. vii. col. 755. C.]

[Qui Conciliis interesse debeant.] *Convenisse ad Concilia solos Episcopos.* Nimium id quidem erat. Leget enim, ad Nicenum, Presbyteros multos, et Diaconos convenisse: Athanasium quoque, Diaconum modo

[g] [Τὸν μέντοι Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην.—Conc. C. P. Can. iii.—Conc. tom. ii. col. 947. C.]

[h] [Vide Tortur. Torti, p. 206. Edit. nostr.]

[i] [Decret. Par. i. Dist. xcvi. cap. iv. 'Ubinam.'—Corp. Jur. Can. tom. i. coll. 465, 466.; et conf. Jacobat. de Concil. lib. ii. p. 59. D. E. col. 2. apud Conc. tom. xvii.]

[j] ['Εντέταλται τοίνυν Κανδιδιανὸς, ὁ μεγαλοπρεπέστατος κόμης τῶν καθωσιωμένων δομεστικῶν, ἀχρὶ τῆς ἁγίας ὑμῶν διαβῆναι συνόδου, καὶ μηδὲν μὲν ταῖς περὶ τῶν δογμάτων γινομέναις ζητήσεσι κοινωνῆσαι, τοὺς κοσμικοὺς δὲ καὶ μονάζοντας, τούς τε ἤδη διὰ τοῦτο συνειλεγμένους, καὶ τοὺς συνάγεσθαι μέλλοντας, τῆς αὐτῆς παντὶ τρόπῳ χωρίσαι πόλεως. . . . Καὶ φροντίσαι τοῦ μή τινα διχόνοιαν ἐξ ἀντιπαθείας ἐπὶ πλέον παραταθῆναι· ὡς ἂν μὴ ἐκ τούτου ἡ τῆς ἁγιωτάτης ὑμῶν συνόδου παρεμποδίζοιτο διάσκεψις, καὶ ἡ ἀκριβὴς τῆς ἀληθείας ζήτησις ἐκ τῆς ἐγγινομένης τύχον ἀτάκτου περιχήσεως διακρούηται.—Theod. Epist. ad Conc. Eph.—Conc. Eph. par. i. cap. xxxv. Conc. tom. iii. col. 442. E. 443. A. B.]

[k] [Vide Conc. Chalc. Act. ii.—Conc. tom. iv. col. 337. B.; et Act. iii.—ibid. col. 468. C. D.]

tum, acriter tamen ibi contra Arii dogma disseruisse[l]. Convenire ergo posse, posse et disserere, at suffragium tamen non habere. Sed neque promiscue confluere eo multitudinem onerosam, sed vel missos, vel venia data ab aliis, quos penes eam dandi facultas est. Nec *omnes* eo venire, sed nemini aditum interdici; non *omnes* (inquam) venire, sed ut cuique tamen libertas sit eo veniendi.

Vidit . . . Regem non esse Caput Ecclesiæ. Quomodo enim ab Ecclesiasticis negotiis arceretur [Ecclesiæ ipsius] caput? Proinde Rex, qui caput, vel . . [m] Gubernatorem generalem Ecclesiæ Regni sui se esse dicit, ... novam Conciliorum formam introducere satagit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 91. [Op., tom. vii. col. 755. D.]

Nihil vero ibi Regii muneris, nisi ut (lictoris instar) turbas summoveat, atque vim, non *videt Rex:* alias *videt* fuisse partes Constantini, in primo[m]: alias Marciani in quarto[n]. Uterque præivit viam Concilio, et quibus de rebus, et qua ratione tractarent: uterque suffragio suo, atque sanctione, Decretis vim addidit. Certe, si *aderant,* ut in prima periodo ait, non *arcebantur* igitur, quod ait proxima. Et, quantumcunque se fatiget Cardinalis, cujus auctoritate necesse habent convocari Concilia; cujus etiam confirmari, quæ ibi decreta sunt: (ea vero Regia est) sint tractatores ibi, qui volent, Is erit, et re, et voce, *Ecclesiæ in Regno quidem suo Gubernator.* [Reges convocant et confirmant Concilia.] 170

Fidem et religionem [quam ipse] reformatam [vocat] . . . longe abesse a fide et religione Synodi Chalcedonensis. . . . Primum . . . Primatus Romani Pontificis . . . ex hoc Concilio manifeste colligitur. Exstant Epistolæ plurimæ ad Leonem [Pontificem, et Concilium Chalcedonense,] et semper nomen Pontificis nomini Concilii anteponitur, hoc modo, 'Sanctissimo . . . Universali Archiepiscopo, . . . et universali . . . Synodo[o].—[Bell. Apol. pro Resp.] pp. 91, 92. [Op., tom. vii. col. 756. A.]

Quod ibi jam sequitur, de quarto Generali, jure quis numeret inter Paradoxa Cardinalis: quod *Primatus Romani Pontificis manifeste ex eo Concilio colligatur. In quarto primatum Pontificis colligi manifeste?* et *eam religionem esse Synodi* [Chalcedonense Conc. Rex recipit.]

[l] [Vide S. Athan. Apol. contr. Arian. sect. 6. Op., tom. i. p. 128. C. D. et Socr. Hist. Eccl. lib. i. cap. 8. p. 19.]

[m] [Vide Euseb. de Vita Constant. lib. iii. capp. 12–14. pp. 583–585.]

[n] [Vide Marciani Sacr. de Concilio convocando; (Conc. Chalc. Par. i. Epp. xli. xlii.—Conc. tom. iv. coll. 73. 76.;) Capitula a Marciano Conc. proposita; (Conc. Chalc. Par. ii. Act. vi.—Ibid. col. 609.;) et Edictum de confirmando Concilio; (Conc. Chalc. Par. iii. cap. iv. ibid. col. 841.)]

[o] [Τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ οἰκουμενικῷ ἀρχιεπισκόπῳ καὶ πατριάρχῃ τῆς μεγάλης Ῥώμης Λέοντι, καὶ τῇ ἁγίᾳ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ. — Libellus Ischyrionis ad Conc. Chalc.—Conc. Chalc. Act. iii. — Conc. tom. iv. col. 399. A.]

[In eo infirmatur Pontificis Primatus.]

Chalcedonensis? Et hæc jam venditat Orbi Cardinalis? At nondum adeo illi auctoritas invaluit, ut credant ei homines, stabiliri ex eo *primatum*, quo sciunt enervari vel maxime. Cur enim huc illuc oberret quis, per omnes Actionum angulos, excutiat scrinia, inspiciat *terga Epistolarum*, ut alicunde colligat, cujus ibi, expressis verbis, legat contrarium? Legat autem, non in titulo aliquo seu *inscriptione Epistolæ*, vel libelli supplicis, (quorum quis stylum nescit, quam efferre soleant et magnificos facere, quibus supplicant?) sed legat, Actione una tota ventilatum, altera renovatum et confirmatum [p]; Canone denique inustum, *ne majora, sed æqualia sint per omnia, Constantinopolitani, et Romani privilegia* [q]; frustra reclamantibus ibi Legatis Romanis: frustra post, Romano ipso Pontifice apud Augustum [r], Augustam [s], Anatolium [t], per litteras suas intercedente. Non ibi supplex quispiam nomen Leonis *Concilii nomini anteposuit*, aut *Universalem Archiepiscopum* scripsit; quo æquiore uteretur: Patres omnes, Patrum et ipsi vestigiis inhærentes, Gloriosissimi quoque Judices, *decernendo* et *definiendo* statuerunt, *ὁρίζομεν, ψηφιζόμεθα, exæquandam Romæ Constantinopolim*, atque ut, in Regni sede, Senatu, et aliis, sic, et in negotiis Ecclesiasticis, perinde ut eam honorandam, idque ipsum vigesimo octavo Canone consignarunt. Non hinc quidem *colligitur Primatus:* dissipatur potius.

Exstat Epistola totius Concilii . . . ad eundem Leonem, ubi . . . dicunt, . . . 'Omnibus Episcopis congregatis, tu . . . sicut membris caput præeras.' . . . Item . . . 'Cui vineæ custodia a Salvatore commissa est [u].' . . . Ubi faten-

---

[p] [Vide Conc. Chalc. Act. xvi. — Conc. tom. iv. col. 791–820.]

[q] [Παντα χοῦ τοῖς τῶν ἁγίων πατέρων ὅροις ἑπόμενοι, καὶ τὸν ἀρτίως ἀναγνωσθέντα κανόνα τῶν ρν' θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων γνωρίζοντες, τὰ αὐτὰ καὶ ἡμεῖς ὁρίζομεν καὶ ψηφιζόμεθα περὶ τῶν πρεσβείων τῆς ἁγιωτάτης ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως, νέας Ῥώμης· καὶ γὰρ τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα. Καὶ τῷ αὐτῷ σκοπῷ κινούμενοι οἱ ρν' θεοφιλέστατοι ἐπίσκοποι τὰ ἴσα πρεσβεῖα ἀπένειμαν τῷ τῆς νέας Ῥώμης ἁγιωτάτῳ θρόνῳ, εὐλόγως κρίναντες, τὴν βασιλείᾳ καὶ συγκλήτῳ τιμηθεῖσαν πόλιν, καὶ τῶν ἴσων ἀπολαύουσαν πρεσβείων τῇ πρεσβυτέρᾳ βασιλίδι Ῥώμῃ, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς, ὡς ἐκείνην, μεγαλύνεσθαι πράγμασι, δευτέραν μετ' ἐκείνην ὑπάρχουσαν.—Conc. Chalc. Can. xxviii.—Conc. tom. iv. col. 770. A. B.]

[r] [S. Leon. Mag. Ep. civ. Op., tom. i. coll. 1143–1154.—Ep. cxv. Ibid. coll. 1201–1204.—Ep. cxxviii. ibid. coll. 1249, 1250.]

[s] [S. Leon. Mag. Ep. cv. Op., tom. i. coll. 1153–1158.]

[t] [S. Leon. Mag. Ep. cvi. Op., tom. i. coll. 1157–1170.—Ep. cxxxv. ibid. coll. 1277, 1278.]

[u] [Ὧν σὺ μὲν, ὡς κεφαλὴ μελῶν, ἡγεμόνευες ἐν τοῖς τὴν σὴν τάξιν ἐπέχουσι, τὴν εὔνοιαν ἐπιδεικνύμενος. . . . Καὶ πρὸς τούτοις ἅπασιν, ἔτι καὶ κατ' αὐτοῦ τοῦ τῆς ἀμπέλου τὴν φυλακὴν παρὰ τοῦ Σωτῆρος ἐπιτετραμμένου τὴν μανίαν ἐξέτεινε· λέγομεν δὴ, τῆς σῆς ὁσιότητος. —Epist. Conc. Chalc. ad Leon. Papam. —Conc. Chalc. par. iii. cap. ii.—Conc. tom. iv. coll. 834. D. 836. A.]

tur totius vineæ [id est, Ecclesiæ] custodiam [ab ipso Christo, non ab Imperatore vel a Concilio] commissam . . . Pontifici.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 92. [Op., tom. vii. col. 756. A. B.]

Sed *in Concilii ipsius Epistola, præfuisse Leo dicitur ibi congregatis, sicut membris caput.* Qui tamen, utcunque tum *præfuit sicut caput,* ne aliud *Capiti* huic *Caput* æquale statueretur, impedire non potuit. Sed et *vineæ custodia* dicitur *ei a Salvatore commissa.* Et quidni *commissa?* nec *soli* tamen, sed cum aliis in eadem vinea operariis. Nec *totius vineæ* dicitur, sed commoda vox, *totius,* Cardinali visum est adjicere. Et, vel si *totius,* nihil juvaret, quando ad omnium curam ex æquo pertinet, non Leonis solum, quicquid universalis Ecclesiæ vel unitatem violat, vel quietem sollicitat. Quod enim *totius vineæ, id est, Ecclesiæ, custodiam ab ipso Christo commissam* ait *Pontifici,* id est *primatum:* vide quam Concilio contraveniat, omniumque, qui inibi erant, Patrum sententiæ. Quorum una vox est, *Siqua essent Romanæ sedis privilegia, ea illi* (non a Christo, nesciebant hoc Chalcedonenses, quin) a *Patribus concessa esse*[x]. Quare autem concessa? Quia Christus dixerat, *Tibi dabo Claves,* aut, *Pasce oves?* Immo, *διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην*[y], *quod ea tum urbs sedes Regia esset,* vi sedis Regiæ, reliquis imperaret. In sua autem jam potestate esse, ex eadem ratione, cum et Regia tum sede, et Senatu potiretur Constantinopolis; pariter et eam quoque ad parem dignitatem evehere: et cum in cæteris par esset, in rebus Ecclesiæ parificare, et (ut verbis utar ipsorum) *ὡς ἐκείνην μεγαλύνεσθαι*[z]. Quod habet ergo Roma, de primatu, *a Patribus* est, non ab *ipso Christo,* et propter *Imperatoris* sedem, non *Petri.* Quam vero potestatem Patres in veteri Roma sic honoranda exercuerunt, ex eadem et Novam Romam ad paris magnitudinis instar extulisse; longe ergo abesse *a fide,* qui *Primatum Pontificis de fide* fuisse asserit, *vel religione Synodi Chalcedonensis.* Nec alicunde igitur, tanquam e vepreculis, extrahat nescio quid, atque arrodat; *Canonem* det: (Canones enim Concilii vox sunt,) non ex *fronte Epistolæ,* vel angulo periodi aliquo, aut tituli parte forte, vel fragmento clausulæ.

[Privilegia Romano Pontifici]

171

[a Patribus concessa, quod urbs esset regia.]

[x] [Conc. Chalc.] Can. xxviii. [Conc. tom. iv. col. 770. A.]

[y] Ibidem.

[z] [Conc. Chalc.] Can. xxviii. [Ibid. B.]

Videat Rex an [iste] Canon (xvi. de virgine quæ se Deo consecravit) . . . observetur in Anglia, an contra . . . ad matrimonium cogantur, vel suadeantur [a].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 92. [Op., tom. vii. col. 756. B.C.]

[Can. XVI. Conc. Chalc. de Virginibus Rex haud rejicit.]

Verum, neque Canones Cardinali desunt. *Videat* enim, inquit, *Rex, an* [*decimus*] *sextus ibi Canon observetur in Anglia.* Certe non violatur. *Virgines,* non dico, quæ matura ætate et re deliberata legitime se dicarunt Deo, sed nec *Moniales* vestræ, addo vel *Monachi,* si divertant ad nos, *coguntur* hic *ad matrimonium:* ne *suadetur* quidem iis, nisi si temere voverint, nisi si continere se nequeant. Tum enim non nos, *suadet* eis Apostolus, *melius esse nubere, quam uri* [b]. At vero, etiamsi nubant, nuptæque [*]adeo extra communionem sint; at potes-
172 tas tamen eodem Canone fit, loci Episcopo, Censuræ laxandæ, atque virgines sic nuptas communioni demum restituendi: Non ergo lethale peccatum illud, sed cui posset indulgeri.

Cogitet Rex quam bene Canonem [istum] (vicesimum quartum) observaverit Henricus VIII., qui omnia Monasteria profanavit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 92. [Op., tom. vii. col. 756. C.]

[Neque Can. XXIV. de Monasteriis.]

Nihil enim ad *Nostrum* (credo), si forte *Henricus VIII.* (diu ante Regem vel natum) Curiata lege, *Monasteria* hic *sustulit,* cum nihil tum minus essent quam *Monasteria,* quin desidiæ, nequitiæque latibula. Sera jam nimis ea de re cogitatio. Fortasse autem melius *Canonem illum observari* potuisse *Rex cogitat;* Et, cum semel Ecclesiæ in illa jus, *sublata* noluisset penitus, sed *mutata:* non tamen in *Collegia Jesuitarum.* Sed et illud quoque meminerit Cardinalis; *Divini juris* monasteria non esse, sed *positivi;* nec *statui hoc Canone quicquam de necessariis ad salutem.* Stetisse diu absque *Monachis* Christianam rem, absque iis et stare posse. Occupasse autem *Jesuitas Monasteria* eorum multa, detrusis aliquo *Monachis;* etiam reliquis imminere. Et sequenti Ecclesiæ jus esse in præcedentis Canones positivos, atque ut nova ponendi, ita

[a] [Παρθένον ἑαυτὴν ἀναθεῖσαν τῷ δεσπότῃ Θεῷ, ὡσαύτως δὲ καὶ μονάζοντα, μὴ ἐξεῖναι γάμῳ προσομιλεῖν. εἰ δέ γε εὑρεθεῖεν τοῦτο ποιοῦντες, ἔστωσαν ἀκοινώνητοι· ὡρίσαμεν δὲ ἔχειν τὴν αὐθεντίαν τῆς ἐπ' αὐτοῖς φιλανθρωπίας τὸν κατὰ τόπον ἐπίσκοπον.—Conc. Chalc. Can. xvi.—Conc. tom. iv. col. 763. A.B.]

[b] 1 Cor. vii. 9.

[*] [Τὰ ἅπαξ καθιερωθέντα μοναστήρια κατὰ γνώμην ἐπισκόπου μένειν εἰς τὸ διηνεκὲς μοναστήρια, καὶ τὰ προσήκοντα αὐτοῖς πράγματα φυλάττεσθαι τῷ μοναστηρίῳ, καὶ μηκέτι δύνασθαι γίνεσθαι ταῦτα κοσμικὰ καταγώγια· τοὺς δὲ συγχωροῦντας τοῦτο γενέσθαι, ὑποκεῖσθαι τοῖς τῶν κανόνων ἐπιτιμίοις.—Conc. Chalc. Can. xxiv.—Conc., tom. iv. col. 767. A.]

refigendi vetera. Tum neque aliam hic pœnam apponi, siquis violet, quam ut subeat *τῶν κανόνων ἐπιτίμια.*

Exstat denique . . Actione undecima . . . publica invocatio . . Martyris Flaviani.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 93. [Op., tom. vii. col. 756. D.]

[Sanctorum invocationi Conc. Chalc. haud favet.]

De *Clamore* illo jam semel conclamatum est[d]. *Invocatio* illa non fuit. Nihil hic Cardinali est, nisi votum, ut orationum compotes fiant, quibus uti tum in cœlis Flavianum, spem non vanam habebant. Idem vero et nostrum, ut Ecclesiæ, quæve in terris est, quæve in cœlis, (et nobis hic militantibus bene vult) preces audiat, Christi autem super omnes; Deum autem, et ab illis, et a nobis, et quidem solum, invocandum: solum certe, quem primi Christiani (quod hodie constet) invocarunt, ac proinde solum, quem Rex tuto se existimet posse invocare.

Restat ut de S. Patrum, qui primis quingentis annis floruerunt, veneratione dicamus. . . Non posse reddi . . rationem, cur non sint etiam admittendi S. Gregorius, [Venerabilis] Beda, [S.] Anselmus, [S.] Bernardus, [S.] Thomas, [S.] Bonaventura, et alii.—[Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 756. D.]

[Patres post an. D. testes minus idonei.]

Accingit se jam *ad annos quingentos*, quique, per illos, Patres sanctitatis laude floruerunt. Mutire tamen et quiritari, quasi de angusto nimis sibi circumscripto limite: quasi desperet nonnihil, per hos effectum dare, quod cupit. Nam cur Bonaventuram, Thomam, Anselmum, non admittat Rex? saltem Bedam, et Gregorium? quos, sine certa ratione exclusos dolet. Ne vero doleat. De iis enim hic rebus agitur, in quibus jus illi Testium non habent. Inciderunt enim in ea tempora, quæ, quanto longius aberant ab Apostolorum sæculo, (ut quanto Canalis a fonte) tanto vitium magis traxerunt. Nec mirum etiam, (ut aquæ latices, per quod feruntur 173
solum, ita et) hos sæculum, per quod vixerunt, nonnihil resipuisse: Nec ergo prorsus eadem per omnia qualitate utrobique spiritus. Nam, et Eurus, quia per deserta spirat, aridus; Auster, quia per mare, humidus: itidem et illorum, a Regione, ab ætate, qua vivebant, nonnihil interdum attraxit. Ferent et illi testimonium loco suo, aliis in rebus: ad has non tam idonei. Agitur enim de corruptelis, quæ ipso eorum sæculo videntur irrepsisse.

[d] [Vide supra, p. 48.]

Ad Caput Octavum.

Non esse recentia dogmata, sed antiquissima, intercessionem Sanctorum, Missam privatam, Transubstantiationem, et alia, quæ Rex Angliæ novitia et nupera vocat.—[Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 757. A.]

Non esse dogmata antiquissima, Intercessionem Sanctorum, Missam privatam, Transubstantiationem, et alia, quæ Rex novitia et nupera vocat.

De B. Virgine . . . scribit multa, quæ ex Colloquiis Erasmi petita.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 93. [Op., tom. vii. col. 757. A.]

[Quæ de B. Virgine Rex scripsit, non sunt ex Erasmo petita.]

Quod de B. Virgine, a vobis, (parum quidem in eo Catholicis) Divæ, Deæque titulis indigitata, pie ingenueque Rex subjicit, id omne, *ex colloquiis Erasmi petitum* Cardinalis indubitanter asserit. Putide vero hoc. Unde enim, *ex Colloquiis petita* resciscere potuit[a]? An vel levi id signo indicavit? Inhonestus vero mos, nec Cardinale dignus, (quem neque vel in margine sic annotavit,) eum Regi, pro Auctore suo, velit, nolit, obtrudere. At Erasmum Rex in tota hac narratione, *οὐδὲ κατ' ὄναρ*[b] cogitavit, neque vero Erasmo de vobis quicquam credit, nisi legat apud vos. E vestris petere solet, nec nisi e vestris, quæ in vobis reprehendit. Quod si liceret, in Cardinalis Controversiis, pares subinde conjecturas facere, nunquam majori deridiculo Æsopi cornicula, *furtivis nudata coloribus*[c], quam illa rhapsodia. Sed morem hunc tam barbarum, absit, ut permittat sibi cordatus quispiam: absit, ut non explodat in Cardinale candor doctorum hominum.

174

[Vera tamen Erasmus scripsit.]

Quod Erasmus ibi tamen scripsit, non temere fuit, vel de nihilo; et de quo nemo adhuc convenit Erasmum falsi. Is illius sæculi mos, atque adeo hujus quoque, de quo conscientiam Cardinalis convenio; annon, per Italiam hodie, sæpius

[a] [Vid. Colloq. 'Peregrinat. Relig. ergo.'—Erasmi Op., tom. i. coll. 774—787. Lugd. Bat. 1703.]

[b] [Vide Plat. Phileb. § 75. Op., tom. v. p. 509. Lond. 1826.]

[c] [Horat. Ep. I. 3. 20.]

salutetur, devotius invocetur B. Virgo, quam vel Filius ejus ipse? Aiunt, qui inde huc ad nos redeunt: nec ulla re læsi magis eorum animi, quam (ubi legerunt Cardinalem, delicias ita facientem,) quod tam crassam ibi populi totius superstionem videant: et praxin, ex tota diametro, scriptis ejus contrariam.

At prudentes et bene instituti Catholici, neque Divam, neque Deam vocant.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 94. [Op., tom vii. col. 757. B.]

[Virgo Diva et Dea vocatur.]

Verum *prudentes, et bene instituti Catholici,* apud vos, *nec Divam vocant, nec Deam.* Non *Divam?* Certe, cui religio sit, (cum de Sanctis agitur) *Divi* vocem, vel *Divæ* usurpare, vix (credo) reperias. Incessit nuper Cardinalem superstitio, ut sua recognoscens, vocem illam de scriptis suis dispungeret, quod *eam non inveniret apud veteres Latinos Patres*[d]. Ubi ergo, (ut videtur) subinde ei occurrit *Transubstantiationis* vox, et *Concomitantiæ,* et *Hyperduliæ.* Ridet rationem Serarius. *Ædem sacram non reperias apud Patres Templum vocatam. Et tamen quis hoc nominis refugiat hodie*[e]*?* Tum, *quod Diis tantum tribui soleat*[f], quæ tamen etiam Cæsari tributa, cujus *Divales apices,* et *Sacram Divalem,* Cardinali (credo) nondum excidisse. Ἰδιοπάθεια hæc Cardinalis est. Aliis enim, scrupulus nullus, *Divam* vocandi. Vide Serarium. *Vocari potest, sanctorum, sive hominum, sive Angelorum quilibet, Divus. Cum Dei veri proprium attributum non sit, recte potest veris hujus famulis, amicisque tribui*[g]. Vide vel Lipsium (sapientiæ utique et literarum Antistitem) atque ejus *Divam* geminam, *Hallensem*[h], et *Aspricollem*[i]. Frons ipsa vocem præfert, et vertex cujusque paginæ. Legas ibi plus centies, ne *imprudenter putes excidisse*[j], et voce integra, ne capitali litera scriptam, *ne D. pro B. Typographos quis putet substituisse*[k], legas, *o Diva:* et, *o Diva Divarum.* Denique, neque ea voce uti veritus, vel tum, cum ad Paulum jam Pontificem scriberet[l]. Atque hæc

[d] [Bell.] Recog. p. 2. [Op., tom. i. p. 1. B.]

[e] ["An apud veteres Latinos Patres sacra Christianorum ædes, Ecclesiave, templum vocata? Et tamen," etc.—Nic. Serarii Litaneut. lib. ii. Quæst. vi. p. 64. Col. Agripp. 1609.]

[f] [Bell. Recog. ut supra, not. [d].]

[g] ["Quod veluti honorificentissimum falsis suis Diis tribuerunt Gentiles, id cum veri Dei," etc. — Nic. Serarii] Litan. [lib. ii] Q[uæst.] vi. [p. 65.]

[h] [J. Lipsii Diva Virgo Hallensis. Beneficia ejus et Miracula fide atque ordine descripta. Antv. 1604.]

[i] [J. Lipsii Diva Virgo Sichemiensis seu Aspricollis, nova ejus Beneficia et admiranda. Antv. 1605.]

[j] [Bell.] Recog. p. 3. [ut supra, not. [d].]

[k] [Ibid.]

[l] ["Emisi hoc anno libros duos, priorem, quo miracula et laudes Divæ

apud Lipsium: quem non impune tulisset, qui vivum, vel *parum prudentem*, vel *non bene institutum Catholicum* scripsisset. Puto, nec jam Scribanio feret, qui *Divam* et Lipsium amat; qui et ipse *Divæ*[m] vocem usurpat: qui illum, qui se, qui Cen-
175 sorem Fabricium[n], tum Approbatores, Cameracensem[o], et Mechlinienscm[p] Archiepiscopos, ab hac *male instituti Catholici* calumnia, si vivit, et vir est, vindicabit.

At *non Dea*. Imo, nec ea voce abstinuit, in Hallensi,

Si vota concepisset Hallensi Deæ[q].

Tum, in illa altera Dea sua sesquipedali:

An sudas, Dea, sanguinem[r]?
De qua sacra profantur,
Hanc fore, quæ serpentis
Contere[re]t caput [improbi]:
Fecisti O Dea[s].

Et,

Tunc tibi laudes, Dea, dicet omnis
Sexus et ætas[t].

Quid videtur?

Neque ab ea petunt, ut filio imperet.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 94. [Op., tom. vii. col. 757. B.]

[Rogatur, ut Filio imperet.]

Non petunt ab Ea, ut filio imperet. Petunt vero: Nam, quid illa sibi volunt?

Monstra te esse Matrem[u].
Ora patrem, et jube filio,
O felix puerpera, Nostra pians scelera,
Jure matris impera, Redemptori.

Notavit olim Cassander[v].

(Neque dicunt) quod absurdis cujuslibet inepti hominis orationibus pateat.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 94. [Op., tom. vii. col. 757. A.]

[Absurda quædam et indigna de ea narrantur.]

Absurdis autem sese negotiis immiscere, stultis petitionibus patere, vel apud classicos Auctores vestros, legas licet. *Hildebrandi ventrem manu versa percutientem, post, leni manu*

Virginis Hallensis continebantur," etc. —J. Lipsii Epist. Paulo V.] Miscel. [Cent.] v. [Ep.] 98. [Op., tom. i. p. 181. col. 2. B.]

[m] [Vide Carol. Scribanii Orthod. Fidei Controv. lib. v. 'De Cult. et Invoc. Sanct.' p. 38. Antv. 1612.]

[n] [Vide J. Lipsii Op., tom. ii. pp. 826, 846.]

[o] [Ibid. p. 826.]

[p] [Ibid. p. 846.]

[q] [J. Lipsii Div. Virg. Hallens. cap. xix. p. 38. Antv. 1604.]

[r] [J. Lips. Div. Virg. Aspricol. cap. v.] p. 9. [Antv. 1605.]

[s] [Cap. xxx.] p. 29.

[t] [Cap. xlvi.] p. 45.

[u] In Hymno, 'Ave Maris stella.' [in Offic. B. M. V.]

[v] [Geor. Cassand.] Consultat. p. 142. [Art. xxi. § 'De merit. et interc. Sanct. Op., p. 971. Paris. 1616.]

quasi corpus ejus perungentem[w]. Thomæ Becketti nostri detrita et lacera femoralia consuentem: eoque signo, ne Presbyterum (durum ingenio supra modum) gradu moveret, sed eum sua insufficientia literarum dispensaret, severe edicentem[x]. In os ægri Clerici, extractis uberibus, lac immulgentem[y]. Læsam Monialis tibiam unguento de pyxide oblinentem; post, manum sub mento ponentem, et quomodo disciplinate genu flecteret edocentem[z]. Adami Sacerdotis (tum pueri) scabiosum caput sanantem[a]. Juttæ filiolam sublatam (quam lupus in silvas asportarat) anxie reddentem, idque, præ timore ac minis; filiolo enim suo Jesu alioqui carituram, quem Jutta, e sinu ejus avulsum (in vindictam), nunquam ei redditura fuerat, nisi si curasset restitui sibi suum[b]. Latronis decollati corpus effodientem, caput cervicibus adaptantem, et unientem; in feretro ponentem, purpura (miræ texturæ, et plusquam humani artificii) feretrum ejus obtegentem, de exequiis ejus honorifice celebrandis (tanquam Capellani sui) severe præcipientem[c].

Neque dicunt eam ad oscula et amplexus . . descendere.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 94. [Op., tom. vii. col. 757. B.]

Neque etiam *oscula* neganda sunt, vel *complexus:* sed neque magis *absurda. Accede ad me, et da mihi osculum,* (ait B. Virgo) *et coegit eum*[d]; post etiam strepam tenuit, quo equum ascenderet. Alteri, monacho, collum ejus brachiis suis stringens, dedit osculum[e]. Alteri in Pomario cantillavit[f]. Et cuinam hæc videntur non *absurda?* Sed et in Choro 176
Monachorum singulorum vultus detergentem videas[g], et de pyxide quadam electuarium, per cochlear, haurientem, et singulis in os immittentem[h]. Et in Cella lectos circumeuntem, et manum super singulorum capita ponentem[i]. Et hæc nonne *absurda?* Quid illa? Cum prima nocte nuptiarum, B. Virgo inter sponsum et sponsam media recubuit; eo quod sponsus adhuc puer, imaginis suæ digito, annulum

[w] [Paul.] Bernried. Vita Greg. VII. pp. 42. [43. Ingolst. 1610.]
[x] [Thomæ] Cantipratens. [Mirac.] lib. ii. cap. 29. [sect.] 12. [pp. 285—288. Duaci, 1605.]
[y] Vincent. Spec. Hist. [lib.] vii. [cap.] 84. [fol. 85. col. 3. Venet. 1591.]
[z] Cæsarius [Cisterc. Dialog. Mirac. lib.] vii. [cap.] 49. [tom. ii. p. 93. Col. Agr. 1591.]
[a] [Cæsar. Cister. Dial. Mirac. lib.] vii. [cap.] 25. [pp. 48, 49.]
[b] [Ibid. cap.] 46. [pp. 86—88.]
[c] [Ibid.] cap. 59. [pp. 103–105.]
[d] [Ibid.] cap. 33. [p. 58.]
[e] [Ibid.] cap. 51. [p. 96.]
[f] [Ibid.] cap. 22. [pp. 43–45.]
[g] [Ibid. cap. 18. p. 35.]
[h] [Ibid.] cap. 48. [pp. 91. 92.]
[i] [Ibid.] cap. 13. [pp. 24. 25.]

(joco) indidisset[j]. Quid illa dictu fœda, de Beatrice, quæ dum publice scortum ageret, B. Virgo, totos quindecim annos, forma et habitu ejus assumpto, vicem supplevit in Monasterio[k]? Quod Abbatissæ, gravidæ factæ a Dapifero suo, obstetricata est, et infantem ex stupro susceptum, Eremitæ cuidam educandum, per duos Angelos transmisit[l]?

Neque sentiunt eam a cœli gaudiis avocari, quando curam gerit rerum humanarum. . . . Nam neque Angeli . . avocantur, quando a Deo in ministerium mittuntur propter nos [leg. eos, qui hæreditatem capiunt salutis.—Bell. Apol. pro Resp.] p. 94. [Op., tom. vii. col. 757. B.]

[Etiam e cœlo venisse dicitur.]

Atqui, nonnihil *avocata est a cœlo,* cum per quindecennium totum, clavium curam gessit, et vicem supplevit meretriculæ Beatricis, interim dum illa in prostibulo publice scortum ageret. Nam, de Angelis alia ratio, quorum id munus est: at non sanctorum, a quibus in summa quiete positis, et ad alia longe meliora visa vacantibus, quod fit, ex dispensatione modo fit. Nec *avocantur Angeli* quidem, sed nec tam plene jam fruuntur cœli gaudiis, quam consummato demum sæculo, et soluti ministerio, quod nunc obeunt, fruituri sunt, cum toti Deo vacabunt. Nec enim, in motu, vel actione, verum in quiete et contemplatione, plenam, omnibusque numeris absolutam felicitatem consistere, vel Schola vestra non diffitetur.

Quod . . . non audiat preces miserorum, vel aliquando non descendat, . . . repugnat aperte S. Patribus, qui primis quingentis annis floruerunt. . . . S. Athanasius, . . . 'Intercede' (inquit) 'Hera,' etc.[m]—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 94. [Op., tom. vii. col. 757. B. C.]

[De adoratione B. Virg. testimonia Pseudo-Athanasii,]

Quod *audiat B. Virgo miserorum preces,* duos testes adducit: quod et aliquando *descendat ad homines* alios duos. *Miserum* Athanasium citat, qui audiri se postulat. Et vere quidem *miserum.* Quodsi sensato cuiquam probare se posse speret, Homiliam illam S. Patris Athanasii esse, miseret me Cardinalis. Οὐσίαν ibi deduci vult ab ἰσίαν, (quis autem audivit usquam vel legit ἰσίαν?) ac ἰσίαν, primo fieri ὁσίαν,

[j] Vincent. Specul. [Hist.] lib. vii. cap. 87. [fol. 85. col. 4.]

[k] Cæsar. [Cister. Dial. Mirac. lib.] vii. [cap.] 35. [tom. ii. p. 60. Hoc capitulum omittit Tissierius in Bibl. Patr. Cist. p. 204. Bono-Fonte, 1662; de quo lectorem admonet, ad init. cap. xxxiv.]

[l] Vincent. [Spec. Hist. lib.] vii. [cap.] 86. [fol. 85. col. 3.]

[m] [Πρέσβευε κυρία, καὶ δέσποινα, βασίλισσά τε καὶ μήτηρ Θεοῦ ὑπὲρ ἡμῶν. —Serm. in Annunc. Deip. § 15. opus spurium apud S. Athan. Op., tom. ii. p. 401. E.]

(mutata litera et spiritu), post accedere ei *υ* literam, tum, qui modo jam advenerat, decedere spiritum denuo, ut *οὐσία* producatur[n]. Quam hæc *misera* sunt? quam magno illo et vero indigna? Et Cardinali tamen, hæc sunt Athanasii: sed *miseri* et *ψευδωνύμου*; non veri illius, et magni Athanasii[o].

S. Chrysostomus ... in Liturgia ... 'Intercessione ... B. Virginis ... dignum me fac[p].' &c.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 94. [Op., tom. vii. col. 757. C.] 177

Par est autem ratio de Chrysostomi liturgia. Neque enim illa a doctis habetur pro vera, neque vero potest non videri recentior, in qua Alexii Imperatoris mentio, sexcentis minimum annis Chrysostomo posterioris. Tum, si esset tamen vera; at Deus ibi invocatur, non B. Virgo. *Dignum me fac, Confirma me in timore tuo*[q], Deo dicitur, non Virgini. Supplicat ibi ipsa, non supplicatur ipsi: *εὐχαὶ καὶ πρεσβεῖαι αὐτῆς*, non *πρὸς αὐτήν*: utrobique autem, et in cœlis, et in terris, intercedit, qui ipse non est invocandus. [S. Chrysost.]

Nyssenus .... scribit .... Gregorio (Thaumaturgo) apparuisse ... B. Virginem[r].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 95. [Op., tom. vii. col. 757. D]

Jam, quod semel apparuit B. Virgo, Nyssenus habet. Nec abest tamen suspicio. Non de *fidei formula*, de qua satis convenit, sed miranda hac apocalypsi per B. Virginem. Eusebius *formulæ* meminit, et ascribit integram. Non alio tamen loco habet, quam Metaphrasin Gregorii in Ecclesiasten, inter *monumenta ingenii quæ reliquit*. Sic enim, ibi *monumenta ingenii* duo hæc modo, memorat; *Metaphrasin*, et *expositionem fidei breviter editam*[s]. *Editam* autem dicit, non divinitus ei revelatam. De *apparitione* ne meminit quidem, (etsi varia ibi ejus *θαύματα* commemorat:) si certæ tum famæ vel fidei [De ejus apparitione S. Greg. Nyss.]

[n] [Ὢν γὰρ ἴση τίς ἐστιν οὐσία, διαφερόντων ἰδιωμάτων, ἰσία λέγεται, ὥσπερ καὶ ὁσία καὶ μία· καὶ ἐπείπερ ἰσία λέγεται κατ' ἐτυμολογίαν, τροπῇ τοῦ ῑ εἰς ō, καὶ πλεονασμῷ τοῦ ῡ στοιχείου, οὐσία διερμηνεύεται.—§ 3. Ibid. p. 394. C.]

[o] [Hunc sermonem esse genuinum S. Athanasii opus negat ipse Bellarminus, De Scriptor. Eccl. (in Athan.) Op., tom. vii. coll. 50. D., 51. A. B. Vide quoque Baron. Ann. Eccl. ad ann. 48. Num. xix. seq. tom. i. coll. 482. 483.]

[p] [Πάντα μοι συγχώρησον, ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος, ταῖς πρεσβείαις τῆς παναχράντου σου καὶ ἀειπαρθένου μητρὸς, ἀκατάκριτόν με διατήρησον δέξασθαι τὸ τίμιον καὶ ἄχραντον σῶμά σου εἰς ἴασιν ψυχῆς καὶ σώματος. — S. Chrysost. Liturg. Op., tom. vi. p. 1002. lin. 30.]

[q] [Ὀρθοτόμησον ἡμῶν τὴν ὁδόν· στήριξον ἡμᾶς ἐν τῷ φόβῳ σου τοὺς πάντας· φρούρησον ἡμῶν τὴν ζωήν· ἀσφάλισαι ἡμῶν τὰ διαβήματα, εὐχαῖς καὶ ἱκεσίαις τῆς ἐνδόξου θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας καὶ πάντων τῶν ἁγίων σου.—Ibid. p. 1003. lin. 27.]

[r] [Vide S. Greg. Nyss. de Vita S. Greg. Thaumatur. Op., tom. iii. pp. 545. 547.]

[s] Euseb. [Hist. Eccl. lib.] vii. [cap.] 25. [ex addit. Ruffini, p. 173. apud Auctores Hist. Eccl. Basil. 1528.]

fuisset, spectrum tam insigne nunquam præteriturus. Sed Eusebium latuit, latuit et Nicenos patres, qui ex ea fidei formula, si cœlo cecidisset, os Ario æternum occlusissent. Nec est *apparitionis* ulla apud veteres mentio, ante Germani sæculum, post annum septingentesimum[t]. Ego rem remitto ad Criticos, Vitane illa Nysseni characterem habeat. Esto tamen, habeat: Apparuit et Saulo Ananias, *Saulus vidit in visione introeuntem ad se Ananiam, et imponentem sibi manus*[u], cum hoc tamen Ananias ipse nesciret, nec pedem usquam extulisset domo. Tum, ad rem seriam apparuit, et momenti magni, *fidei formulam* dictandam: Et unica vice, hoc. Quid hoc, ad infinitas illas apud Vincentium, Cantipratensem, Cæsarium, Jo. Herolt[x], alios nescio quot, *apparitiones*? Et magna res hic; et *dignus vindice nodus*[y]: Sed, ergone ad caligas Thomæ consuendas, ad Beatricis claves servandas, ad scabiosa puerorum capita, et ad luxatas puellarum tibias perungendas?

Refert [quoque S.] Gregorius Turonicus ... B. Virginem apparuisse Architecto, ac docuisse rationem columnarum erigendarum[z].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 95. [Op., tom. vii. col. 758. A.]

[et S. Greg. Turon. testimonia.]

Turonicus autem, et extra oleas est[a] quingentorum annorum, et eo nomine notatus a vestris, quod fabulosus auctor; qui sero nimis adest, ut referat, quid Constantino Magno evenerit in Templi structura, ab Eusebio (qui tum vixit)
178 cæterisque prætermissum. Sed, cur tamen rationem illam non addidit Cardinalis, immanes illas *columnas erigendi?* An quia puduit? Ego, illius vicem, adjiciam. Ratio hæc erat; ut, quod hominum vires, et machina nulla poterat, id tres e schola acciti pueri summa velocitate effectum darent. *Dignum patella operculum*[b].

Sanctos alios ... apparuisse hominibus testantur passim .. Patres .. S. Basilius, ... [S. Greg.] Nazianz. ... Sulpitius, ... Theodoretus, ... Augustinus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 95. [Op., tom. vii. col. 758. A. B.]

[Utrum alii Sancti hominibus apparuerint.]

Instituit de Virgine. Cum deessent autem de ea, supplet ex aliis Sanctis, ex Basilii Mamante, qui tamen, non nisi in

[t] [Vide S. Germani Archiep. C. P. fragmentum sub fin. Rer. Eccl. Theor., ap. Bibl. Patr. Max. tom. xiii. p. 62.]
[u] Act. [Apost.] ix. 12.
[x] [J. Herolt. Promptuarium Discipuli de Miraculis B. M. Virg. Mogunt. 1612.]
[y] [Horat. Epist. ad Pison. lin. 191.]
[z] [S. Greg. Turon. de Glor. Mart. lib. i. cap. 9. Op., coll. 730. D. E. 731. A. Lut. Par. 1699.]
[a] [Erasm. Adag. p. 35., ex Aristoph. Ran. 993.]
[b] [Erasm. Adag. p. 645.]

somniis apparuit [c]. Ex Nazianzeno: At is nihil certi designat [d]; sed neque Sulpitius, de ullo Sanctorum [e]. Theodoretus somnium modo narrat, *ὁρᾶν ἐδόκει* [f]. Et, de Felice, Augustinus nihil præter auditum habet; et an fieret, per ipsam præsentiam Martyrum, an per Angelos suscipientes personas Martyrum, quid horum duorum sit, an vero fortasse utrumque sit, non audet definire [g]: adeo ille, non certus, de hac *apparitionum* quæstione.

Nunquam... Constantinus... Constantinopolim Sanctissimæ Deiparæ dedicasset, (quod eum fecisse scribit Nicephorus,...) nisi credidisset... eidem... patrocinium... Virginis multum profuturum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 96. [Op., tom. vii. col. 758. B.]

[Utrum Constantinus urbem Virgini dedicaverit.]

Quorsum autem ultimum illud e Nicephoro? quod falsum est tamen. Non enim dedicavit, lib. octavo [h] Matri, qui septimo eam dedicarat Christo filio. Sed dedicavit urbem Christo Constantinus, cujus solennis illa inscriptio testis est. *Tibi (Christe Deus) hanc urbem commendo*, lib. vii. 49 [i]. Nisi si parum tutam putavit Constantinus præsidio Christi: ut esset post Deiparæ dedicanda, tutior illius, quam Christi, præsidio futura: vel certe, utriusque, quam unius. Falsum inquam:

[c] [*Μνήσθητέ μοι τοῦ μάρτυρος, ὅσοι δι' ὀνείρων αὐτοῦ ἀπηλαύσατε.*—S. Basil. Hom. in S. Mamantem. § 1. Op., tom. i. p. 185. C.]

[d] [*Ὢν αἱ μεγάλαι τιμαὶ καὶ πανηγύρεις· παρ' ὧν δαίμονες ἐλαύνονται, καὶ νόσοι θεραπεύονται· ὧν αἱ ἐπιφάνειαι, καὶ ὧν αἱ προρρήσεις.*—S. Greg. Naz. Orat. III. (adv. Julian. I.) Op., tom. i. pp. 76. D. 77. A.]

[e] [Vide Sulpic. Sever. Epist. II. de Obitu et Adparitione B. Martini. Op., p. 364. seq.]

[f] [*Ἐπὶ δὲ τοῦ δαπέδου κείμενος* (sc. *ὁ Θεοδόσιος*) *ὁρᾶν ἐδόκει δύο τινὰς λευκειμονοῦντας ἄνδρας ἐφ' ἵππων ὀχουμένους λευκῶν, οἳ θαρρεῖν τε ἐκέλευον, καὶ τὸ δέος ἐξελάσαι, καὶ ὑπὸ τὴν ἕω καθοπλίσαι καὶ τάξαι τὴν στρατιὰν εἰς παράταξιν. Ἐπίκουροι γὰρ ἔλεγον ἀπεστάλθαι καὶ πρόμαχοι· καὶ ὁ μὲν Ἰωάννην ἑαυτὸν ἔλεγεν εἶναι τὸν εὐαγγελιστήν, ὁ δὲ Φίλιππον τὸν ἀπόστολον.*—Theod. Hist. Eccl. lib. v. cap. 24. p. 227.]

[g] ["Non enim solis beneficiorum effectibus, verum etiam ipsis hominum aspectibus confessorem apparuisse Felicem... audivimus, non incertis rumoribus, sed testibus certis.... Quanquam ista quæstio vires intelligentiæ meæ vincit, quemadmodum opitulentur martyres iis, quos per eos certum est adjuvari; utrum ipsi per se ipsos adsint uno tempore tam diversis locis, et tanta inter se longinquitate discretis... an... Deus omnipotens, qui est ubique præsens.... exaudiens martyrum preces, per angelica ministeria usquequaque diffusa præbeat hominibus ista solatia, quibus in hujus vitæ miseria judicat esse præbenda, et suorum merita martyrum ubi vult, quando vult, quomodo vult, maximeque per eorum memorias.... mirabili atque ineffabili potestate atque bonitate commendet. Res hæc altior est, quam ut a me possit attingi, et abstrusior, quam ut a me valeat perscrutari; et ideo quid horum duorum sit, an vero fortassis utrumque sit, ut aliquando ista fiant per ipsam præsentiam martyrum, aliquando per angelos suscipientes personam martyrum, definire non audeo."—S. Aug. de Cura pro Mort. Ger. cap. xvi. Op., tom. vi. coll. 883. C. 884. A. D.]

[h] [*Σοὶ Χριστὲ ὁ Θεὸς παρατίθημι τὴν πόλιν ταύτην.*—Niceph. Call. Eccl. Hist. lib. vii. cap. 49. tom. i. p. 519. C. Lut. Paris. 1630.]

[i] [*Τῇ θεοτόκῳ ἀνέθεντο.*—Niceph. Call. Eccl. Hist. lib. viii. cap. 26. tom. i. p. 587. D.]

ut recte ergo suspicatus sit Scholiastes Langius, posteriore loco Τῇ scriptum pro Τῷ librarii vitio, qua voce, Christus ipse designatur, non Mater[j]: nec erit ita Nicephorus sibi contrarius, vel illius octavo libro immemor, quod scripserat paulo ante in septimo. Tum, si verum denique, quid ad rem? Dedicavit Deiparæ urbem Constantinus; non dedicasset, nisi profuturum ei Virginis patrocinium putasset. Quid ad rem ista? Nulla enim hic, vel *apparitio*, vel *invocatio*, quæ præsentis erant instituti, et de quibus dicendum Cardinali.

Sed . . . hoc loco Controversias disputandas non suscepimus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 96. [Op., tom. vii. col. 758. C.]

Controversias hic disputandas suscipere se negat. Suscipit tamen: Nam, quæ *de Intercessione Sanctorum* superius congessit, præter rem omnia. Non enim, de ipsorum pro nobis agitur, sed de nostra, apud illos: prior audita forsan: at non posterior ista.

179 Ad Christum nos venire, sive . . . per nos sive per alios adeamus. Nam . . . Matthæus [cap. viii.] scripsit, 'Accessit ad eum Centurio,' cum tamen (ipse) non . . accesserit, sed per alios, dicente eodem Centurione, apud Lucam, cap. vii. 'Meipsum non sum dignum arbitratus.'—[Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 758. D.]

[Ad Christum directe non per sanctos est veniendum.]

Nec illa Regis, e verbis Christi *Venite ad Me omnes*[k], *objectiuncula est*[l]: Cardinalis ad illam, *rejectiuncula* potius: et, miror, an seria, *Venite ad Me*, ait Servator; (id est) Cardinale interprete, Manete vos, mittite internuncium ad Me aliquem: Id sat erit ad rem, tametsi vos non veneritis. Ita *Venite*, jam erit, *Ne venite vos*, veniant alii. Neque juvat hic Cardinalem quicquam narratio ejus de Centurione. Præmisit ille quidem Seniores Judæorum, (ut habet Lucas[m]:) sed et ipse post accessit, (ut habet Matthæus[n].) Accessit (inquam) ipse. Nam ni accessisset, quomodo constabunt sibi verba? *Dixit Jesus ad Centurionem, Abi, et secundum fidem tuam fiat tibi*[o]. Poteratne abire, qui non venerat? Poteratne absentem sic affari Christus, *Abi*, et *Tibi*, et *secundum fidem tuam?* Nimis enim frigide Cajetanus[p], et ex Cajetano Cardinalis, Dixit ad Centurionem, *Vade, non in propria persona,*

[j] ["Librarius in Græco exemplari τῇ θεοτόκῳ scripsit, cum fortasse τῷ θεοτόκῳ scribere debuerat."—Schol. ad fin. lib. viii. cap. 26. ibid. p. 589. A.]

[k] [Matt. xi. 28.]

[l] [Verba Bellarm. in marg. ad loc.]

[m] [Luc. vii. 3.]

[n] [Matt. viii. 5.]

[o] Matt. viii. 13.

[p] [Thom. de Vio Card. Cajet. in Matth. viii. 13. apud Comm. in SS. tom. iv. p. 44. a.]

sed in ejus amicis: Vere ergo tum ipse per se accessit: vere et nobis, per nos, accedendum est: accedendum (inquam) fide: fides enim, spiritualis ad Deum accessus: fide vere acceditur ad JESUM, qua accedere non potuit Centurio aliena, sed accessit sua. Sic igitur nobis quoque, ad illius exemplum, propria et nostra accedendum. Nec in Senioribus Judæorum ponenda spes, vel si mystice intelligas[q]. Tum, de Centurione alia ratio est: Præceptum non habuit: Et, an si Centurioni dixisset Christus, *Venito ad Me,* misisset seniores Judæorum, ipse non venisset, Cardinalis viderit. Vos autem vere ad Sanctos acceditis, cum Sanctos oratis, Sancti autem accedunt ad Christum, Christus ad Deum. Recte quidem hoc, si dixisset Christus, *Ite ad Sanctos,* Veniant illi pro vobis, ne venite vos ad me. Perinde erit, ipsi veniatis, an Sancti pro vobis veniant. Jam, cum *venite ad Me,* dixerit, *venite omnes, et Ego reficiam vos:* (per meipsum utique, non per ministros meos,) quidni ad illum ipsum recta imus sine interprete, et ab eo petimus; sed ad eos divertimus, ab iis petimus, ut ipsi petere dignentur? An cum ullo Sanctorum spirituum, tutius aut jucundius loquimur, quam cum Jesu nostro? An *faciliores aditus* habent, aut *fandi tempora molliora*[r]*?* vel, Christo ullus Judæorum senior, Centurione fideli gratior? An sanctis nota magis indigentia? an viscera miserationum latiora quam Christo? An major illorum in nos benevolentia, ut major 180
proinde nostra, apud illos, confidentia? An ulla eorum gratia, promisso Christi, *Ego reficiam,* an ulla propinquitas, præcepto Christi, *Venite ad Me,* antiquior esse debet? At vos, cum sic Sanctos invocatis, locum eis Christi datis, nempe si *veniatis ad eos,* Christi loco habetis, qui vice illius, *reficiant vos. Mediatores habetis apud Deum, qui exorent pro peccatis vestris, quales se Paulus, et Joannes, non fecerunt, et si fecissent, non tulissent fideles Christiani;* Si recte rem tenet Augustinus contr. Parmen. ii. 8[s].

[q] [Conf. Bedæ Comm. in S. Luc. Evang. cap. vii. apud S. Thom. Aquin. Aur. Caten. in loc.]

[r] [Vide Virg. Æn. iv. 293.]

[s] ["Si vero ita diceret (Joannes, sc.), Hæc scripsi vobis, ut non peccetis; et si quis peccaverit, mediatorem me habetis ad Patrem, et ego exoro pro peccatis vestris; ... quis eum ferret bonorum atque fidelium Christianorum? ... Si esset mediator Paulus, essent utique et cæteri coapostoli ejus, ac sic multi mediatores essent; nec ipsi Paulo constaret ratio, qua dixerat, *Unus enim Deus, unus et Mediator,*" &c.—S. Aug. contr. Epist. Parmen. lib. ii. cap. viii. (sect. 15, 16.) Op., tom. ix. col. 93. A—D.]

Ad illud autem de religione Angelorum, respondeo cum Patribus . . . doctrinam fuisse hæreticorum, neminem posse per Christum ad Deum accedere, sed per Angelos.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 97. [Op., tom. vii. col. 759. A.]

[Quæ fuerit religio Angelorum a S. Paulo prohibita.]

At, quæ illa *Angelorum religio*, secundo ad Coloss., unde melius quis discat, quam a Synodo Laodicææ habita, (loco Colossis proximo) ubi et invaluit maxime morbus hic, et facta ei per Patres medicina? *Mansit diu hoc vitium*, ait Theodoretus, *in Phrygia et Pisidia, et in hodiernum usque diem licet videre apud illos, et eorum finitimos, Oratoria Michaelis. Illi ergo hoc consulebant (utique humilitate utentes,) oportere per Angelos, divinam sibi benevolentiam conciliare. Hoc autem dixit, 'In humilitate et cultu Angelorum* [t].' Morbus hic erat. Quod vero remedium? *Quocirca Synodus, quæ convenit Laodicææ, quæ Phrygiæ Metropolis est, lege prohibuit, ne precentur Angelos* [u].

Humilitas (de qua ibi Apostolus), et *ex humilitate religio ad Angelos* [v], quæro, ad eosne, tanquam Deos, fuerit, an tanquam conservos? Tanquam Deos? at ullane *humilitas* subjicere se Deo, aut an ibi *voluntati* locus est? puto, *humilitati* locus non est, ubi quis erga Deum religiose se gerit, ubi omnis *humilitas, subjectio* omnis infra meritum ejus, officium nostrum. Tanquam conservos igitur. *Humilitas* ad conservos est. Ibi demum *humilitati* locus, si cui ex officio non teneris, ei *volens* te per *humilitatem* subjicias. Et hæc igitur *seductio*, quam notat ibi Apostolus, *Angelis*, (quanquam conservis nostris,) *per humilitatem volentes* religionis cultum deferre.

'Sunt nonnulli,' inquit [S. Joannes] Chrysostomus, Homil. vii. in .. Col. 'qui dicunt, non oportere per Christum reconciliari, et ad Patrem accedere, sed per Angelos: propterea Paulus sursum ac deorsum, quæ de Christo sunt, versat [w].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 97. [Op., tom. vii. col. 759. A. B.]

---

[t] [Ἔμεινε δὲ τοῦτο τὸ πάθος ἐν τῇ Φρυγίᾳ καὶ Πισιδίᾳ μέχρι πολλοῦ. Οὗ δὴ χάριν καὶ συνελθοῦσα σύνοδος ἐν Λαοδικείᾳ τῆς Φρυγίας νόμῳ κεκώλυκε τὸ τοῖς ἀγγέλοις προσεύχεσθαι· καὶ μέχρι δὲ τοῦ νῦν εὐκτήρια τοῦ ἁγίου Μιχαὴλ παρ' ἐκείνοις καὶ τοῖς ὁμόροις ἐκείνων ἐστὶν ἰδεῖν· τοῦτο τοίνυν συνεβούλευον ἐκεῖνοι γίνεσθαι, ταπεινοφροσύνῃ δῆθεν κεχρημένοι καὶ λέγοντες, ὡς ἀόρατος ὁ τῶν ὅλων Θεὸς, ἀνέφικτός τε καὶ ἀκατάληπτος, καὶ προσήκει διὰ τῶν ἀγγέλων τὴν θείαν εὐμένειαν πραγματεύεσθαι. Τοῦτο λέγει, Ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων. — Theod. in Col. ii. 18. Op., tom. iii. p. 490.]

[u] [Ὅτι οὐ δεῖ Χριστιανοὺς ἐγκαταλείπειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἀπιέναι, καὶ ἀγγέλους ὀνομάζειν, καὶ συνάξεις ποιεῖν· ἅπερ ἀπηγόρευται. Εἴ τις οὖν εὑρεθῇ ταύτῃ τῇ κεκρυμμένῃ εἰδωλολατρείᾳ σχολάζων, ἔστω ἀνάθεμα, ὅτι ἐγκατέλιπε τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ εἰδωλολατρείᾳ προσῆλθεν.—Conc. Laod. Can. XXXV. —Conc. tom. i. col. 1504. A.]

[v] [Col. ii. 18.]

[w] [Ἠσάν τίνες οἱ λέγοντες, Οὐ δεῖ ἡμᾶς διὰ τοῦ Χριστοῦ προσάγεσθαι, ἀλλὰ

Chrysostomum, eo loco qui legerit, videbit ideo dixisse Hæreticos illos, *Non oportere per Christum accedere, sed per Angelos*, ἐκεῖνο γὰρ μεῖζόν ἐστιν, ἢ καθ' ἡμᾶς, præ *humilitate* id dixisse, fortasse non vera, sed in speciem tamen, apparente. Majus enim id esse, quam ut nobis conveniat, recta scilicet adire Christum, et sine Angelorum interventu. Indignum id esse Majestate Christi, ut per ipsum adducamur: humanæ tenuitati commodius esse, ut Angeli nostræ adductioni inserviant. Inde autem factum, ut per totum caput illud, *Sursum* Apostolus et *deorsum, quæ de Christo, versaret.* Sanguinem crucis, passionem, dilectionem; quo vitiosam illam humilitatem excuteret, et ad Christum, ἀμέσως, vel sine Angelis, perveniri posse judicaret. Atque hæc Chrysostomus. [Secundum S. Chrysost.] 181

8. Hieronymus in Epist. ad Algasiam quæst. 10. addit, reprehendi ab Apostolo eos, qui Angelis, ut Diis sacrificabant[x]. Christianos autem Angelis, vel Sanctis sacrificasse nemo demonstrare potest.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 97. [Op., tom. vii. col. 759. B.]

Nam Hieronymus aperte asserit, loqui ibi Apostolum contra eos, qui credebant ex Judæis in Dominum Salvatorem; quique, ut olim eis Stephanus (ex Amos) exprobrabat, colerent *militiam cœli, militiam* autem *cœli* non astra modo esse, sed et Angelorum exercitus; quod et ex Luca docet, ubi, *facta cum Angelo multitudo militiæ cœlestis*[y]. Quæ vero (apud Amos) servitus dicitur *militiæ cœli*, eam nunc ab Apostolo dici, [et S. Hieron.]

διὰ τῶν ἀγγέλων. Ἐκεῖνο γὰρ μεῖζόν ἐστιν, ἢ καθ' ἡμᾶς. Διὰ τοῦτο ἄνω καὶ κάτω στρέφει τὰ ὑπὲρ τοῦ Χριστοῦ λεχθέντα αὐτῷ, Διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ κατηλλάγημεν, Ὅτι ὑπὲρ ἡμῶν ἔπαθεν, Ὅτι ἠγάπησεν ἡμᾶς.—S. Chrysost. Hom. vii. in Col. Op., tom. iv. p. 123. lin. 27.]

[x] ["Quærimus quid dicere voluerit, *in humilitate et religione angelorum*, aut quem sensum habeat. Ex quo Dominus locutus est ad discipulos; *Surgite, eamus hinc*, Et, *Relinquetur vobis domus vestra deserta*; Et, *Locus in quo Dominus crucifixus est, spiritualiter Ægyptus vocatur et Sodoma*, omnis Judaicarum observationum cultura destructa est, et quascunque offerunt victimas, non Deo offerunt, sed angelis refugis et spiritibus immundis. Nec mirum, si hoc post passionem Domini faciant, quum per Amos quoque Prophetam dicatur ad eos; *Nunquid hostias, etc.* (Amos v. 25, 26.) Quod plenius in concione Judaica Stephanus Martyr exponens, et revolvens historiam veterem, sic locutus est, *Et vitulum fecerunt in diebus illis, et obtulerunt hostias idolo, et lætabantur in operibus manuum suarum. Conversus autem Deus tradidit eos, ut colerent militiam cœli; sicut scriptum est in libro Prophetarum.* Militia autem cœli non tantum sol appellatur, et luna, et astra rutilantia; sed et omnis angelica multitudo, eorumque exercitus . . . Unde et in Evangelio juxta Lucam legimus; *Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis, etc.* . . . Et propterea qui vitulum fecerant in Horeb, et coluerant sidus Dei Rempham . . . adoraverunt figuras, quas ipsi fecerunt; et tradidit eos Deus, ut servirent militiæ cœli, quæ nunc ab Apostolo dicitur religio angelorum."—S. Hier. Ep. cxxi. Vall. (al. cli.) ad Algas. Quæst. 10. Op., tom. i. coll. 875. D. E. 876. A. B. C.]

[y] [Luc. ii. 13.]

religionem Angelorum. Hæretici ergo erant, sed e Judæis nati, qui sic Angelos precati sunt. Neuter autem Theodoreto contradicit, sed Cardinalis sibi; primo hæreticos fuisse, post non Christianos; quasi ulli fuerint in Ecclesia Primitiva hæretici, non Christiani. Non minuit ergo objectionem. Augeat hic potius responsionem suam.

Etiamsi novitia, et nupera essent, non ideo Rex, qui ea negat, ab hæresi immunis esset. Habet enim Ecclesia Catholica, cum novæ Controversiæ exoriuntur, jus eas explicandi.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 98. [Op., tom. vii. coll. 759. C.]

[Ecclesiæ non licet novitia excudere.]

Ad *novitia* jam et *nupera* descensurus, nonnihil sibi diffisus, præfatur primo, *Etiamsi nupera illa sint, et novitia, siquis tamen ea neget, immunem ab hæresi non fore. Esse enim Ecclesiæ jus, cum exoriuntur controversiæ novæ, eas explicandi.* Quid ad rem? Sed an *novitia* cudendi? An contra et præceptum Christi, et Ecclesiæ Primitivæ praxin, Eucharistiam (cui plures interesse voluit Christus, et communicare) in unius angularem actionem commutandi? in Eucharistia, (in qua panem, similiter et Calicem porrexit,) panem sine Calice porrigendi? Quid opus hic explicante? quid controversia ulla opus erat? Diserta Christi verba, *Ecclesiæ praxis non infrequens,* Testibus vel Tridentinis [z].

Neque poterit unquam vera ratio reddi, cur, quod licuerat Niceno primo Concilio, non licuerit postea Concilio secundo, Constantinopolitano.——[Bell. Apol. pro Resp.] p. 98. [Op., tom. vii. col. 759. C. D. sensu, non verbis.]

[Quatuor prima Concilia reliquis præferenda.]

Tum, qui illi molestus ante, hic quoque hæret etiam, et male habet, scrupulus: quod *reddi non possit ratio.* Cur non pari apud nos auctoritate reliqua sint, quam *prima quatuor* Concilia. Quia, nec Gregorio sunt, Apostolo (ut eum nominat) nostro [a]; qui, *quatuor prima* sicut *quatuor Evangelia* veneratur et suscipit; cui *quatuor prima* quadratus
182 lapis sunt, in quo fidei vitæque structura consurgit: qui, etsi venerator et *quintum,* non de eo tamen tam sensit honorifice [b]. Quia, nec Isidoro: qui *quatuor Synodos Principales* nominat [c].

[z] ["Non infrequens utriusque speciei usus."—Conc. Trident. Sess. xxi. cap. ii. 'De Communione sub utraque specie.'—Conc. tom. xiv. col. 846. E.]

[a] [Vide Resp. Torti, p. 55; et Epist. Bellarm. ad Blackw.—Bell. Op., tom. vii. col. 663. C.; et conf. Resp. Torti, in Defens. ejusd. Epist. pp. 106, 107.; et ibid. col. 688. B.]

[b] [Vide supra, p. 215. not. y.]

[c] ["Inter cætera autem Concilia quatuor esse scimus venerabiles synodos; quæ totam principaliter fidem complectuntur, quasi quatuor Evan-

Sed, *cur quod licuit primis illis quatuor,* (et si voles quinque) *non licet et reliquis?* Licet vero, si eandem viam pergant, si eodem spiritu, si iisdem vestigiis.

Neque Constantinopolitano tertio, . . . neque Niceno secundo . . .

Quod in sexto factum non est, (et vos quidem judices) in quo Canones duo, contra Romanam Ecclesiam [d]; in quo, cum Cyro et Sergio, Honorius quoque vester damnatus est [e]. Sed neque septimo pro honore ejusdem Honorii [f]: tum, quod ei etiam, tanquam pseudosynodo, per Francofurtensem reclamatum est [g].

Neque . . . Lateranensi, . . .

Multo autem adhuc minus, Lateranense, in quo non minus Nicolai Papæ, quam Berengarii, explosa sententia est [h]. Nicolai (inquam) qui *Christi corpus, fidelium dentibus teri decreverat* [i], pejore longe hæresi, quam fuit ejus, quam profligare voluit [j].

Neque . . Tridentino.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 99. [Op., tom. vii. col. 759. D. 760. A.]

Minime vero omnium, Tridentinum, quod necdum vestri homines, post annos *quinquaginta,* suscipiunt, pro quo sæpe supplices fuistis vicino Regno, sed semper repudiati [k].

Eadem enim est semper Ecclesia, eadem auctoritate et potestate prædita, et cum ea semper erit [Ille,] qui dixit, [Ecce] Ego vobiscum sum usque ad mundi consummationem.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 99. [Op., tom. vii. col. 760. A.]

Potestas quidem eadem semper Ecclesiæ, *eadem auctoritas;* at non hominum sinceritas, vel in conveniendo, vel in decernendo. *Erit* autem, ex parte sua, *Christus usque ad consummationem mundi nobiscum,* sed *nobiscum docentibus homines servare omnia, quæ mandavit nobis* [l]. Ipse (inquam) *mandavit,*

gelia, vel totidem Paradisi flumina."—S. Isid. Hisp. Etym., seu Orig. lib. iv. cap. 15. Op., p. 48. F.]

[d] [Vide supra, p. 217. not. [c].]

[e] [Vide Conc. Gen. VI. (C. P. III.) Act. xiii.—Conc. tom. vi. col. 943. B. seq.]

[f] [Vide Epist. Tarasii et septimæ Synodi ad Imperatores. Conc. Nic. II. Act. vii.—Conc. tom. vii. col. 581. A.]

[g] [Vide Conc. Francoford. Can. ii. Conc. tom. vii. col. 1057. D. E. ubi tamen hæc synodus non Nicææ sed Constantinopoli habita esse dicitur.]

[h] [Vide supra, p. 8. not. [e].]

[i] [Vide Jusjurandum Berengarii, in quo profitetur "Eam fidem me tenere, quem Dominus et venerabilis Papa Nicolaus, . . . tenendam tradidit . . . Corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi . . . fidelium dentibus atteri."—Decret. par. iii. 'De Consecrat.' Dist. ii. cap. xlii. 'Ego Berengarius.' Corp. Jur. Can. tom. i. col. 1932.]

[j] [Vide Gloss. ad voc. 'Dentibus.' ibid.]

[k] [Vide supra, p. 140. not. [e].]

[l] [Conf. Matt. xxviii. 20.]

non ipsi ex cerebro nostro commenti sumus, ut εἰκονολατρείας Nicena secunda, ἀρτολατρείας Lateranensis. Et, en ratio Cardinalis, cur Tridentino præstet Nicenum primum.

Chrysostomus . . . . . 'Frustra' inquit, 'habetur quotidiana oblatio, cum nemo sit, qui simul participet[m].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 99. [Op., tom. vii. col. 760. B.]

[De missa privata examinantur testimonia S. Chrysost.,]

Non habet *novitatis* quicquam *Missa privata, antiquissima*[n] est; jam usque a Chrysostomi sæculo (nec est sæculum tamen illud *antiquissimum.*) Sed Chrysostomus, umquamne celebravit *missam privatam?* Certe. Questus enim de populo suo, rarius ad Communionem accedente. Etiam nos interdum querimur, apud quos *Missam privatam* venalem non reperias. Sed numquid de *Clero etiam?* (*Clerum* autem habebat numerosum). Quodsi *Clerum* sibi assistentem habuit, (et habuit assistentem,) male fide omnino intercisa sunt verba illa, *frustra assistimus Altari:* unde scias, solum non astitisse. Satis in eo momenti fuerit, ne fuerit *privata* tum *Missa* illa Chrysostomi. De *populo* forte nemo, at non nemo de *Clero* illi tum astitit.

183 Quod ergo dicit 'frustra fieri,' significat frustra fieri in ordine ad Communicantes, non . . . ad Deum. Optabat enim Chrysostomus, ut etiam optare se dicit Tridentina Synodus[o] . . . ut simul offerretur sacrificium Deo, et populus communione reficeretur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 100. [Op., tom. vii. col. 760. C.]

Et *frustra* illud ejus, *in ordine ad laicos,* non *frustra in ordine ad assistentes* sibi Ministros. Nec culpandus in eo Chrysostomus, qui *optavit. Nihil* enim ei, *nisi vota supererant*[p]. At culpanda Synodus vestra Tridentina, quæ (quod ita *optandum*) non *optare* solum, decreto etiam sancire debuit; ut sic simul utrumque fieret, ex mente Christi: nec, quæ Dominus ipse conjunxit, vel populi negligentia, vel nostra præsumptio separaret. Friget vero *privata missa* apud Chrysostomum, ubi cum illo alii *Altari astiterunt.*

[m] [Ὦ τῆς συνηθείας, ὦ τῆς προσλήψεως, εἰκῇ θυσία καθημερινή, εἰκῇ παρεστήκαμεν τῷ θυσιαστηρίῳ, οὐδεὶς ὁ μετέχων, κ. τ. ἑ.—S. Chrysost. Hom. iii. in Eph. Op., tom. iii. p. 778. lin. 22.]

[n] [Bell. in marg. ad loc.]

[o] ["Optaret quidem sacrosancta synodus, ut in singulis missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos hujus sanctissimi sacrificii fructus uberior proveniret."—Conc. Trident. Sess. xxii. cap. vi.—Conc., tom. xiv. p. 854. C.]

[p] [Vide Ovid. Trist. i. 2. 1.]

Scribit [S.] Augustinus .... oblatum fuisse sacrificium corporis Domini pro anima matris [q].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 100. [Op., tom. vii. col. 760. D.]

Apud Augustinum autem magis etiam. Nam, cum deduceretur ad sepulcrum cadaver Monicæ, honesta (ut fieri assolet) amicorum pompa, quid obstat, quo minus de pompæ caterva illa, vel plures de oblatis communicarent? Convenerant enim multi fratres ac religiosæ feminæ; nec aptius ad eam rem tempus ullum, quam cum tristes homines, et ex præsenti spectaculo magis fere memores conditionis suæ. [S. Augustin.,]

Scribit etiam, ... unum e Presbyteris suis Sacrificium corporis Domini obtulisse in domo quadam, .. ad eam [leg. eandem] .. a malignorum spirituum vexatione purgandam [r].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 100. [Op., tom. vii. col. 760. D.]

Etiam, cum Presbytero Augustini, annon verisimile, afflictos in domo servos *spirituum malignorum vi*, oblationis participes fuisse; quorum magis intercrat, *infesti spiritus vexatione* purgari, quam domus vel postes, vel tabulata. Quis enim non putet, et oratione, et oblatione, communicasse illos cum Presbytero, ad quos Presbyter liberandos eo venerat?

Nazianzenum in exigua cellula exstructo oratorio .. celebrare solitum testatur Sozom. lib. vii. [Hist. cap.] 5.—[Bell. Apol. pro Resp. p. 100. Op., tom. vii. col. 760. D.]

In Nazianzeno autem fallit nos Cardinalis. Non enim *exstructum illi in exigua cellula Oratorium*, sed exigua cellula exstructa in Oratorium, ab iis, qui eandem cum illo religionem Constantinopoli professi sunt, in quo conventus habebat. *Ἐκκλησίαζε δὲ ἐν οἰκίσκῳ μικρῷ παρ' ὁμοδόξων αὐτῷ τε καὶ τοῖς ὁμοίως θρησκένουσιν εἰς εὐκτήριον οἶκον κατασκευασθέντι*[s]. Vides, convenisse in Oratorio illo omnes, qui tum Constanti- [S. Greg. Naz.,]

[q] ["Nam neque in eis precibus, quas tibi fudimus, cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri, jam juxta sepulchrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego flevi."—S. Aug. Confess. lib. ix. cap. 12. Op., tom. i. col. 287. B.]

[r] ["Vir tribunitius .. cum afflictione animalium et servorum suorum domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros, me absente, presbyteros, ut aliquis eorum illo pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi."—S. Aug. de Civ. Dei. lib. xxii. cap. viii. sect. 6. Op., tom. vii. col. 1063. B. C.]

[s] [*Ἐκκλησίαζε δὲ ἐν οἰκίσκῳ μικρῷ παρ' ὁμοδόξων αὐτῷ τε καὶ τοῖς ὁμοίως θρησκένουσιν εἰς εὐκτήριον οἶκον κατασκευασθέντι. Μετὰ δὲ ταῦτα περιφανὴς τῶν ἐν τῇ πόλει νέως γέγονεν οὗτος .... Ἀναστασίαν δὲ ταύτην τὴν ἐκκλησίαν ὀνομάζουσιν, ὡς μὲν φόμην, καθότι τὸ δόγμα τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου πεπτωκὸς ἤδη ἐν Κωνσταντινουπόλει καὶ τεθνηκὸς, ὡς εἰπεῖν, διὰ τὴν δύναμιν τῶν ἑτεροδόξων, ἔνθαδε ἀνέστη, καὶ ἀνεβίω διὰ τῶν Γρηγορίου λόγων.*]—Sozom. [Hist. Eccl.] l[ib]. vii. [cap.] 5. [p. 283.]

nopolitani erant, orthodoxos. Nec tam fuisse in arcto ibi Gregorium, ut esset ibi *privata Missa* (præ loci angustiis) necessario celebranda. Eo enim loci post exstructam Ecclesiam S. Anastasiæ, inter omnes urbis Regiæ Ecclesias imprimis magnificam. Quam vero tenui spe pendet *privata Missa*, quam infirma basi nititur, cui meliora his statumina prospicere non potuit, post tot in *Controversiis* suis annos exactos, *veterator* tantus Cardinalis?

> Ratio . . cur Novatores mirentur, quod . . celebretur mysterium Eucharistiæ sine participantibus, est, quia non credunt Eucharistiam institutam [fuisse] a Domino, ut offerretur Deo in sacrificium, sed solum ut Sacramentum communionis esset, et populo offerretur in alimoniam spiritualem. Si enim sacrificium admitterent, facile intelligerent, posse sacrificium offerri Deo pro populo, etiamsi populus de sacrificio non participet manducando, modo participet impetrando.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 100. [Op., tom. vii. coll. 760. D. 761. A.]

[Eucharistia est simul Sacrif. et Sacrament.]

184. Atque hoc est quod *mirantur* nostri homines: non quod *mirari* ibi eos fingit Cardinalis. *Credunt* enim, *institutam a Domino Eucharistiam* in sui *commemorationem;* etiam Sacrificii sui, vel (si ita loqui liceat) *in sacrificium commemorativum;* non autem in *Sacramentum* modo, vel *alimoniam spiritualem.* Hoc quidem etsi admittant, negant tamen utrumque usum hunc (sic a Domino simul et conjunctim institutum) divelli posse ab homine, aut propter vel populi negligentiam, vel Sacerdotum avaritiam, alterum ab altero abrumpi. Sacrificium, quod ibi est, Eucharisticum esse: cujus sacrificii ea lex, ut qui illud offerat, de eo participet: *participet* autem *accipiendo* et *comedendo* (uti jussit Servator). Nam *participare impetrando, nuperum* id quidem et *novitium* participandi genus; ac multo etiam magis quam *Missa* ipsa *privata.*

> Quia [leg. quoniam] sciebat Rex sacrificium Missæ esse antiquissimum, ... ideo non [fuit] ausus inter res novas ponere, ... sed solum Missam privatam.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 101. [Op., tom. vii. col. 761. A. B.]

Atque, ex iis quidem, quæ jam mihi dicta sunt, (de *commemoratione* ibi Sacrificii, seu *Sacrificio commemorativo*) supervacuum id omne docetur esse, quod post (necessitate autem nulla) Cardinalis infercit, de vocis hujus *antiquitate.* Nihil enim ea de voce, Rex. Sed habet in taberna merces vix venales, (mucidas enim jam pene) quas etsi nemo quærat, subinde tamen necesse habet occasionem captare exponendi;

si forte in Lectorem aliquem incidat tam fatuum, cui possit obtrudere. At vos tollite de Missa Transubstantiationem vestram; nec diu nobiscum lis erit de sacrificio. Memoriam ibi fieri sacrificii, damus non inviti. Sacrificari ibi Christum vestrum de pane factum, nunquam daturi. *Sacrificii* vocem scit Patribus usurpatam, nec *ponit inter res novas:* at vestri in *Missa Sacrificii,* et *audet,* et *ponit,* ponit (inquam), cum Transubstantiationem post loco suo jugulat, quo ista pertinent, præpropere (dicam, an præpostere) hic ab eo inculcata. Nec divinare hic ei opus, *Missam privatam* Patribus ignotam asserit, asserit et *non privatam,* qua, scilicet, panem ibi transubstantiatum adoratis.

Neque .. vetustas erroris, sed potius testimonium veritatis dici debet: .... Vide ... de Sacrificio Missæ, ... Justinum, ... Irenæum, ... Tertullianum ... &c.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 101. [Op., tom. vii. col. 761. B.]

Vetustatem erroris ibi dixit in Δώρῳ suo Βασιλικῷ[t]: dixit hic *novitiam. Vetus* enim et *nova,* voces comparatæ sunt: *Vetus,* si ad nos et nostra hæc tempora; *nova,* si ad primos illos, et a Christo recentes Christianos. *Vetus error* abeat, si ad nos, sin ad Christum conferatur, *novus,* de Christo incrustato. *Veritatis testimonium* non rejicimus. Nec a voce vel *Sacrificii,* vel *Oblationis,* abhorremus. Placeret ergo loca 185
videre, quæ citat, nisi vocem, propter quam citat, videret (Lector) nobis non displicere.

Sed nos nullam scimus ... Sacramenti mutilationem, neque partem dimidiam esse laicis subtractam. Siquidem duæ species .. necessario requiruntur ad sacrificium: .... sed [leg. at] ad essentiam Sacramenti .. quælibet ex duabus sufficit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 102. [Op., tom. vii. col. 761. D.]

At Articulo sequente, de Sacramento, quantus artifex Cardinalis? *integrum* fatetur non sumi, *mutilum* sumi negat: *Subtractam* negat *partem alteram,* ubi pars una modo datur. Quas hic nobis præstigias facit? Non est *integra* Eucharistia, non tamen *mutila:* non *datur* pars altera, nec tamen subtrahitur. Atque hic, error errori errorem parit. Christus instituit Eucharistiam, qua *Sacrificium,* in *utroque* elemento: qua *Sacramentum,* in utrovis. Ad *essentiam Sacrificii, utrumque*

[Eucharistia in utroque elemento est offerenda et sumenda.]

[t] ["Which, if it be wrong, is no more to be allowed for ancientnesse, than the old Masse is."—Basil. Dor. lib. iii. Op., Reg. Jacob. Angl. p. 183. Lond. 1616. "Non magis propter antiquitatem probanda veniet, quam Missæ nugamentum."—Op., Latine, p. 83. Francof. ad Mœn. 1689.]

requiritur, abesse non potest alterum, si absit, *mutilum* Sacrificium: *Ad essentiam Sacramenti, alterutrum satis, quodlibet ex duobus sufficit,* utrumvis abesse potest, nec *mutilum* tamen Sacramentum. Satis hoc magistraliter. Sed hæc placita Cardinalis sunt. Quis *Patrum* hæc ita asserit? ubi nobis *anni quingenti?*

Proinde Sacramentum sub specie panis, est verum atque integrum Sacramentum, et Sacramentum sub specie vini, verum atque integrum Sacramentum est. Nec tamen sunt duo Sacramenta, quando simul sumuntur per modum unius refectionis.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 102. [Op., tom. vii. col. 761. D.]

[Sacramentum sub una tantum specie non est integrum.]

Novam vero hic rem aggreditur, ne res nova sit *species unica. Sub specie* enim *panis, integrum illi Sacramentum: sub specie vini* itidem *integrum Sacramentum: Duo* tamen hæc *integra* Sacramenta, *duo integra* non sunt Sacramenta, sed *unum integrum* Sacramentum. Quasi novum mysterium videtur hic meditari, *binitatis* in unitate, et *unitatis* in binitate. Imo, quod magis mirere, *sub specie panis Sacramentum est, sub specie vini, itidem Sacramentum: nec tamen duo sunt Sacramenta,* et tamen *duo* sunt *Sacramenta.* Non est ergo hæc *sacra et individua binitas. Duo non sunt,* sed unum, si festinet quis, *si simul unica refectione sumat;* unum non sunt, sed duo, si moram fecerit, si duabus vicibus ab uno sumatur, vel una a duobus. Quando simul sumuntur, duæ partes sunt, neutrum integrum: Quando seorsim, *duo integra:* neutra vero pars est, sed pars jam toti æqualis. Tantundem sumit, qui seorsim alterutram, quantum, qui simul utramque. Quis hoc capiat, *unum, non unum, duo, non duo? Duo integra simul sumpta,* non sunt *duo. Duo* sunt *unum,* si simul: *Duo,* non sunt *duo,* nisi seorsim sumpseris. Ratio *loci,* (Cardinali post,) nihil ad Sacramentum; cur ratio *temporis?* Cur non *Jesus Christus idem heri, et hodie*[u]*?* An *tempora mutantur, et*
186 *Christus mutatur in illis*[v]*?* Cur non idem, duobus et uni? idem *unica,* idem *duplici* refectione sumptus?

[Sicut et Sacrificium.]

Imo et illud quæro, cur *Sacrificium* mutilum sit, nisi utraque species adsit, *Sacramentum* non sit? cum utrobique, tam in *Sacrificio,* quam in *Sacramento,* cum Corpore Sanguis sit, et Corpus cum Sanguine? Imo, sive *simul sumas,* sive

[u] [Heb. xiii. 8.]
[v] [Respicit vulgatum illud, "Tempora mutantur, nos et mutamur in illis."]

seorsim, duo sunt duo: nec coalescent, si *simul;* dissilient, si *seorsim*. An excidit hic Cardinali *Concomitantia* sua[w]? vel an simultas forte aliqua nuper intercessit, inter *concomitantiam* et *Sacrificium?* mansit tamen bona gratia, inter *eam* et *Sacramentum;* ut, *comitari* velit Corpus Sanguinem, Sanguis Corpus, inter *communicandum;* secedant autem a se invicem, inter *sacrificandum;* nec velit esse, vel Sanguini Corpus comes; vel Sanguis corpori? Sacrifico Corpus? simul est et Sanguis cum Corpore. Corpus enim Christi exsangue non est: Quare *Sacrificium* non mutilum: Sacrifico sanguinem? nec solum tamen; Christus enim utrobique, nec divisus, sed integer: Quare nec vel ibi *mutilum* Sacrificium. Imo *mutilum*, clamat Cardinalis, plane mutilum; *recte dici potest Sacrificium mutilatum*. Nequicquam hic intervenit concomitantia: rejicit prorsus: rejiciat ergo et in *Sacramento:* Imo secus in *Sacramento*. Ibi jam in *Quodlibetis* est, *Quælibet* ibi *sufficit e duabus*. Quasi maneat præ foribus *Concomitantia*, sacrificante Cardinale; ubi *Sacrificium* peractum, tum demum advocet, (ut ille Sosiam in Comœdia, *Adesdum*[x].) Quo hæc glutine cohæreant? Certe nisi credat quis, sed nec cum credet, hæc intelliget.

Gratulari tamen hic libet *Romanæ Ecclesiæ*, de aucto jam ei *Sacramentorum* numero. Nam si concinnavit jam ei Cardinalis Sacramentum *verum atque integrum sub specie panis*, *verum* autem etiam *et integrum sub specie vini:* (accedentibus *duobus* his ad reliqua *sex*) consurget jam *Sacramentorum* numerus *octonarius*, quem Cardinalis beneficio Ecclesia acceptum ferat. Sacramentum vero, nihil nisi sacrificii participatio. Sacrificium enim pacificum ibi, et Eucharisticum. *Videte Israel secundum carnem, Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris*[y]*?* Atque, ut sacrificium non integrum, nisi Corpus fractum, nisi et fusus Sanguis, sed mutilum (fatente Cardinale); ita nec Sacrificii integra participatio, nisi siquis utriusque, tum fracti Corporis, tum fusi Sanguinis compos fiat. Notat ibi Apostolus Symbolum Corporis, *pane, quem frangimus:* Sanguinis, *calice, cui benedicimus*. Panis, partici- 187
cipatio Corporis: calix, communicatio Sanguinis. Repetit

[Aliter auctus esset Sacramentorum numerus.]

[w] [Vide Bell. de Sacram. Euch. lib. i. cap. 2. § 'Tertio.' Op., tom. iii. p. 97. E.; et lib. iv. cap. 21. ibid. p. 183. D. seq.]

[x] [Terent. Andr. I. 1. 2.]

[y] 1 Cor. x. 18.

post, *Non potestis calicem Domini bibere, et calicem Dæmoniorum*[z]. Perinde de *Calice bibendo* sollicitus, quam de *pane manducando*. Quodsi autem, *sub specie panis* sic, (ut ais) *integrum Sacramentum est;* cum ad Sacramentum descendit Sacerdos, cur *integro* contentus non sit? plus *integro* quid opus est sumat? cur quod populo *integrum* est, illi itidem non sit? aut quo illos contentos esse jubet, ipse non est? Quod (uti scis) *ad conflandam invidiam* spectat. Avarum enim esse Sacerdotem, cui plus opus sit, quam sit satis.

Saltem, spem hic facit Cardinalis, cum perinde *integrum* sit Sacramentum *sub specie vini:* posse hoc, ab *integro* aliquo Pontifice *impetrari*, ut alternis vicibus, Missam *humidam* celebrare liceat. Et interdum, vice prima, *sub specie panis:* proxima dein, *sub specie vini:* neve arescentibus, quoad *siccam* Communionem suam Catholicis, necesse sit ad *integrum* illud *sub pane* semper alligari: sed interdum *integro* hoc, *sub vino*, atque ita, per vices saltem, utroque *integro* frui liceat. Nec desperandum, si sic per vices ad tempus, alterutro, tandem et ut simul utroque potiri detur; quando *tantundem det tantidem*, ac *duo hæc integra* unum modo *integrum* sint.

Simile est in Baptismo, siquis unica mersione baptizetur, integrum baptismum recipit, et si [baptizetur] tribus [mersionibus], integrum etiam.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 102. [Op., tom. vii. col. 762. A.]

[De mersionibus in Baptismo haud similis est ratio.]

Nam de *mersione unica vel trina* dissimile totum. Una enim est eademque actio *Mersionis*, sibique continua in *Baptismo*. At in *Eucharistia*, et in se discreta actio, comedendi et bibendi: et vero in objecto, Hostiæ, atque Calicis, panis et vini. Tum, hic præceptum; ibi nullum. Nihil quicquam de numero *mersionis* præcepit Christus, vel *uno* vel *trino*, in Baptismo: præcepit autem, *de utraque specie*, in Eucharistia: expresse præcepit, apud omnes expresse; tam *Bibite* dixit, quam *Comedite*. Et cum *Bibite* dixit, *omnes* addidit; quam si Servator vocem addidisset ad *Edite*, mire rem vestra juvisset, ut Cardinalis argumentum procederet[a], (quo post se recreat) *ubi non addidit, omnes*, sed solum dixit, *Bibite*. Nam nobis idem (credo) non permitteret, ut sic scilicet instituere liceat argumentum. *Atque hæc ratio est,*

[z] [Ibid.] Vers. 21.
[a] [Bell. Apol. pro Resp.] p. 103. [Op., tom. vii. col. 762. C. Vide ipsa verba Bellarmini, infra, p. 256.]

cur Christus diceret in Pane, Accipite, comedite, ubi non addidit, 'omnes:' in calice autem, Bibite ex hoc omnes; ut omnes admoneret, quo ab ea specie nulli se abstinerent.

Quemadmodum Ecclesia . . . jus habuit aliquando jubere, ut trina, . . . aliquando ut unica . . . mersione baptismus fieret: sic etiam . . . liberum relinquere, ut sub una specie, vel sub duabus Eucharistia reciperetur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 102. [Op., tom. vii. col. 762. A.]

At, in Christi præcepto, et ubi imperandi voce utitur, *Ecclesiæ jus nullum* est: ibi forte jus est, ubi (ut in mersione) rem in medio relinquit. Nam si, *semel tantum mergite* dixisset, vel si *ter*, credo non mutasset Ecclesia; nec Cardinalis, ut mutaret, auctor fuisset. Dixit autem *Comedite*, dixit et *Bibite*, et *similiter*, et tam huic, quam illi, *Hoc facite*. Quo dicto, *Christus liberum non reliquit:* nec *jus habet Ecclesia*, quod Christus imperavit, *liberum relinquendi;* vel jubendi, ut una species tantum recipiatur, ubi duplici præcepto (ut sub duabus sumeret) edixit Christus: vel, ubi Christus in utroque, *Hoc facite*, subjunxit, ibi in uno expungere, vel ibi ne faciant interdicere. Libertati locus est, ubi silet imperium: ubi imperat, *Bibite, Bibite omnes, Hoc facite*, nec integrum jam, nec liberum, non parere. Credo autem, vitio ætatis, Cardinali excidisse hæc, vel ad *novitia* hæc adactum, ne morem hunc suum necesse haberet *novitium* confiteri. 188 [Christi mandata mutare nequit Ecclesia.]

Ab initio Ecclesiæ non defuerunt, qui sub una tantum specie communicarent. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 102. [Op., tom. vii. col. 762. B.]

Verum paulo ante, *non hic Controversias suscepisse se*, dixit, sed, ut *veterum Patrum* sententias proferret, *qui per annos primos quingentos*. Ubi nobis jam Patres illi? Suspenso hic gradu incedit Cardinalis, et *non defuisse* dicit, qui per illos quingentos *sub una tantum specie communicarint*. Quos autem? An *Patres?* 1. Imo Nazaræos e Judæis, 2. Manichæos ex Hæreticis, 3. *Quosdam*, domum secum particulam Eucharistiæ deferentes; 4. *Clinicos*. Quatuor hos, *Patrem* hic lego nullum. Videamus tamen, vel hos. [Testimonia quædam de hac re excutiuntur.]

Non est . . credibile (Nazaræos) contra votum suum bibisse de calice. . . . . Neque tamen credibile est eos omnino a communione abstinuisse.—Bell. Apol. pro Resp.] p. 103. [Op., tom. vii. col. 762. B. C.]

Credibile, (id est) *probabile est, et pie credi potest* [b], e Naza- [Nazaræi.]

[b] ["Probabile est, pieque credi potest Summum Pontificem . . . errare non posse."—Bell. de Rom. Pont. lib. iv. cap. 6. § 'Quarta.' Op., tom. i. p. 212. D.]

ræis aliquos, ad Christum conversos. Esto: ii autem, ex voto, vinum non bibebant. *Non est autem credibile, eos omnino a communione abstinuisse. Sed neque credibile, contra votum, vinum bibisse. Quare pane solo communicasse.* Videt (credo) *credibilibus* hisce suis, et *non credibilibus*, nihil effectum Cardinalis: Non enim, post peractam consecrationem, *credibile* est superesse jam *vinum* in calice; quod *bibere* possit Nazaræus; quod si bibat, peccet in *votum*. Non sane *vini substantia* (ait) *sed accidentia*. At vini accidentia vinum non sunt. Vinum enim, substantia.

Nazaræi . . . tanta religione abstinebant a vino, . . . ut ne uvas quidem passas gustare possent. Itaque propter hunc tantum religionis rigorem omnino credibile est, Nazaræos eo tempore non fuisse ausos vini saporem gustare.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 103. [Op., tom. vii. col. 762. B.]

Sed tantus *voti rigor*, ait Cardinalis, *ut nec uvas passas gustarint Nazaræi*. Certe, sed an uvæ passæ accidentia? Superest vero in passis uvarum liquor, adeoque et substantia
189 ipsa. Poterat ergo Nazaræus, salvo voto poterat, secure bibere. Potest hoc et Turca, (qui Mahometi lege arcetur) et vel in media Schola asserere, *Vinum* non bibo, *votum* non violo: De *vino* vovi: *accidentia* vini *vinum* non sunt, non sane magis, quam accidens substantia est. Evanescit ergo, cum vini substantia, argumentum hoc. Sed tamen, neque Nazaræatus votum, nisi ad tempus, atque illud in plerisque non diuturnum. Nihil ergo incommodi, si Eucharistia tantisper abstinerent, dum completi dies Nazaræatus sui. At si diuturnum: *credibile est*, (si vere ad Christum conversi erant) majorem Eucharistiæ, quam Nazaræatus rationem habuisse. Majus enim *mandatum* hoc *Christi*, quam *votum* illud nondum *Christiani*: et, satis in eo virium, etiam absque *Bulla Pontificia* ulla, cum voto dispensandi. At vero, creditum eo tempore, a Nazaræis *saporem vini gustari* sine vini substantia potuisse, *omnino id quidem credibile non est*. Videt in vappam abire hæc: admiscet et alia, sed quæ non minus diluta.

Atque hæc est ratio, cur S. Lucas Act. ii. scripserit, 'Erant . . . perseverantes . . . in communicatione fractionis panis,' etc. Ubi non addidit quicquam de calice, sed solum meminit fractionis panis, quoniam ab ea specie nulli se abstinebant.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 103. [Op., tom. vii. col. 762. C.]

Quod nempe *de fractione panis meminerit Lucas, nec addidit quicquam de calice*. Ubi, subit animum ejus species phantasmatis, propter calicem non additum, aliquos ibi ab

altera specie abstinuisse. Verum si illa ratio, quod aliqui tum ibi Nazaræi (qui et pauci aliquot, et ad tempus, et ex dispensatione), at non a paucis illis, sed a longe majore parte, facienda denominatio: inter quos, ut panis fractus, itidem et calix distributus. Sed, etiamne Troade [c] Nazaræos autumat fuisse, ubi eadem tamen phrasis usurpata? Scit vero Cardinalis *fractionem panis* Hebræa Synecdoche phrasin usitatam, pro integro, totoque convivio; nec, cum intravit Christus, *ut manducaret panem cum Principe Pharisæorum* [d], recte rationem inferri, *ubi non addidit quicquam de potu*, quare toto illo prandio Christum non bibisse: vel, (ut Cardinalis verbis utar) quod invitatus modo ad comedendum panem fuit, nec potus mentio addita, *a potu se abstinuisse.*

Neque negant Adversarii, in hoc loco per fractionem panis intelligi distributionem Eucharistiæ. . . . Eadem fortasse causa est, cur Apostolus de calice scripserit, 1. Cor. x. 'Calix benedictionis, cui benedicimus.' De pane autem, 'Panis quem frangimus.' Calix enim semper benedicebatur, sed non semper omnibus distribuebatur: panis autem semper frangebatur, id est, dividendo porrigebatur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 103. [Op, tom. vii. col. 762. C. D.]

Esto autem, ut quidam *locum intelligant de Eucharistia:* qui ita intelligunt, ex linguæ illius idiomate, de Eucharistia *integra* intelligunt, non *dimidiata. Fortasse et eadem causa, cur scripserit Apostolus de Pane, 'Panis quem frangimus:' sed 'Calix, cui benedicimus.'* Non enim venit tum fortasse Apostolo in mentem de Livonia, ubi præ gelu nimio, interdum, *vinum* quoque *frangitur:* alioqui forte et de *vini fractione* nonnihil dicturo. Verum ubi locum habet *fortasse,* (quod Augustinus nos monuit [e]) locum habet et *fortasse* non: *fortasse ergo hæc causa non est.* Nam et calix ille, qui non *frangitur,* sed *cui benedicitur, communicatio est Sanguinis Christi.* Communicabant ergo ei omnes: exsortes alioqui futuri Sanguinis. Nec minus calici, ut communicarent Sanguini, quam pani, ut participarent de Corpore. Nec obstabant hic (credo) Nazaræi, qui Corintho longe aberant, cui hæc scripsit Apostolus.

[Calix post benedictionem per communicantibus distributus.]

190

Unde paulo infra, 'Unus panis,' inquit, 'et unum corpus sumus, qui de uno pane participamus.' Neque de calice aliquid addidit, quoniam, ut

[c] Act. xx. [7.]
[d] Luc. xiv. 1.
[e] ["Ἆρα quia dubitantis verbum est, expressum est quidem dubitationis verbo, quod est *fortasse.*"—S. Aug. Enarr. in Ps. cxxiii. sect. 8. Op., tom. iv. col. 2007. A.]

unum corpus simus, hoc sufficit, ut de uno pane participemus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 103. [Op., tom. vii. col. 762. D.]

At *paulo infra* dicitur, *Unum corpus sumus, qui de uno pane participamus; neque de Calice aliquid addidit.* Sed et *paulo* adhuc *inferius* ubi plus momenti, (cum ex professo agat ibi de Eucharistia, cap. xi.) septies *calicem addidit pani;* quasi non sufficiat, ut de *pane* solo participemus. Et adhuc, *paulo inferius, Omnes nos* dicit *baptizatos in uno Spiritu, et omnes in uno Spiritu potatos*[f]. Omnes (inquam) potatos, nec de pastu, vel *pane, aliquid addidit.* Nec ea tamen fortasse ratio, quod aliqui a pane, a vini specie *nulli se abstinebant.* Denique, vel eo ipso Cardinalis loco, notarunt Lovanienses in margine, in Excmplaribus quibusdam apponi, Et *de uno calice*[g]. Æque enim uvæ multæ ad calicem unum concurrunt, ac grana multa ad panem. *Synecdoche* utrobique est, et utraque sub una species intelligitur. Atque si, ut unum corpus simus, requiritur, ut pane: ut unus spiritus simus, et id quoque requiritur, ut uno calice participemus.

Scribit S. Leo Ser. iv. de Quadragesima.... Manicheos, ut Romæ a Catholicis internosci non possent, solitos cum Catholicis panem Eucharistiæ sumere, a calice vero [*leg.* autem] abstinere[h]. Quod si necessarium fuisset eo tempore Eucharistiam sub utraque specie sumere, et omnes fideles eam sub utraque specie.. accepissent, neque Manichæi latere potuissent, qui a vino semper abstinebant; et S. Epiphanius, et S. Augustinus inter errores Manichæorum numerassent, Eucharistiam sumere sub una specie.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 104. [Op., tom. vii. coll. 762. D. 763. A.]

[Manichæi vinum in Eucharistia se sumere simulabant.]

A Nazaræis abeo, (quos vix tamen credibile est, Troade fuisse multos, vel Corinthi.) Sequor Cardinalem, qui a Judæis jam transit, ad Hæreticos Manichæos: id autem, ut *non defuisse sibi* doceat *Patres in vetere Ecclesia.* Hi neque vinum bibebant, ex hæresi sua. Non tamen abstinebant a Calice. Nam in Eucharistia sanguis erat merus, non vinum, et (amissa jam vini natura) *sanguis Principis lucis,* non autem (ut cum vinum esset) *sanguis Principis tenebrarum*[i]. Sic illi

[f] 1 Cor. xii. 13.

[g] [In 1 Cor. x. 17. apud Bibl. Sacra, Antv. 1583.]

[h] ["Cumque ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse conventibus, ita in sacramentorum communione se temperant, ut interdum, ne penitus latere non possint, ore indigno Christi Corpus accipiant, Sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinent. Quod ideo vestræ notum facimus sanctitati," etc. ut in textu pag. seq.—S. Leon. Serm. xlii. Ball. (al. xli. de Quadr. iv.) cap. v. Op., tom. i. col. 161. In Edit. Ballerin. verba '*Notati et proditi,*' quæ postea in textu occurrunt, omittuntur.]

[i] ["Quæ tanta perversio est, vinum putare fel principis tenebrarum."—S. Aug. de Moribus Manich. sect. 44. Op., tom. i. col. 1182. A.]

Cardinali responderent; nec de accidentibus sibi curæ esse. Sed et Leo ibi nihil asserit, nisi, *eos sanguinem redemptionis nostræ non haurire.* Non *haurire;* simulare tamen, quasi hauriant: *Pitissare* scilicet pauxillum, ore continere, nec haurire, exspucre enim post, sed interim, quasi hausissent, 191
simulare. Eo enim spectant, quæ Leo statim subjicit. *Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis hujusmodi homines et his manifestentur indiciis; et, quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati et proditi a Sanctorum societate Sacerdotali auctoritate pellantur.* Fuit ergo aliqua *Manichæorum sacrilega simulatio,* a piis notanda et prodenda. Illa vero quæ? Nempe illud in vitio ponit Leo, quod *Sanguinem redemptionis nostræ haurire declinent;* jubet autem eo indicio notari et prodi, jubet *sacrilegam simulationem* deprehendi. Intervenit ergo *sacrilega simulatio,* dum, quod *ore sumerent, haurire* tamen *declinarent;* quam notari vult et deprehendi, ut deprensi *pellantur Ecclesia.* Quid opus autem notari a fidelibus, quod haurire declinarent sanguinem; aut quomodo latere eo facto, vel proditi de eo, *Ecclesia pelli,* nisi *simulate id* facerent? latebant quidem, eo quod *haurire se simulabant,* nec hauriebant tamen; de quo deprehensi, tanquam et *sacrilegii,* et *simulationis* rei, Censuris Ecclesiæ merito erant feriendi. Nam Augustinus et Epiphanius *inter errores Manichæorum numerare* non poterant, qui nullus erat. Non enim admovere ori renuebant calicem, *sed haurire simulabant;* ut *error* non fuerit notandus, sed prodenda *simulatio.*

Mos erat antiquissimis temporibus, ut, qui vellent, Eucharistiam in manibus sumerent, ac domum deferrent sumendam, cum eis opportunum videretur. [Id testatur Tertullianus [k], &c.—Bell. Apol. pro Resp.] p. 104. [Op., tom. vii. col. 763. A.]

---

[k] ["Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes? et si sciverit panem, non illum credit esse qui dicitur?" (panis scil. Eucharisticus) —Tert. ad Uxor. lib. ii. cap. 5. Op., p. 169. B.

"Et alius, qui et ipse maculatus, sacrificio a sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est latenter accipere; sanctum Domini edere et contrectare non potuit, cinerem ferre se apertis manibus invenit." — S. Cyprian. de Lapsis. Op., p. 133.

Ἡ καὶ τὴν Εὐχαριστίαν τινὲς διανείμαντες, ὡς ἔθος, αὐτὸν δὴ ἕκαστον τοῦ λαοῦ λαβεῖν τὴν μοῖραν ἐπιτρέπουσι. —S. Clem. Alex. Strom. lib. i. cap. 1. p. 318.

Ἐν Ἀλεξανδρείᾳ δὲ καὶ ἐν Αἰγύπτῳ ἕκαστος καὶ τῶν ἐν λαῷ τελούντων, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ἔχει κοινωνίαν ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, καὶ ὅτε βούλεται, μεταλαμβάνει δι' ἑαυτοῦ.—S. Bas. Ep. xciii. Bened. (al. cclxxxix.) ad Cæsariam. Op., tom. iii. p. 187. A.

"An alius in publico, alius in domo Christus est? Quod in Ecclesia non licet, nec domi licet."—S. Hier. Ep. xlviii. Vall. (al. l.) seu Liber Apol. ad Pammach. pro libris contra Jovinia

[Reliquiæ Eucharistiæ sæpe domum delatæ.]

Nec abnuo fuisse, primis illis temporibus, qui ***domum*** secum, peractis sacris, panis consecrati ***particulam deportarent***, sed ejus ipsius, quo prius in Ecclesia, communicassent; cum et ibi alteram quoque speciem non minus sumpsissent. Ubi enim, mandato Christi satisfactum, edissent de pane, bibissent de calice; ne totam panis portionem consumere necesse esset, permissum, ut decerptam de pane particulam deferrent secum, asservarent, quam ante omnem cibum sumerent, qua se, si persecutio ingrueret, solarentur, non ut ***mutila*** tamen Eucharistia, sed ut reliquiis integræ.

Nulli [Neque ulli] erant in domibus laicorum calices sacri ad Eucharistiam sub vini specie conservandam. — [Bell. Apol. pro Resp.] p. 104. [Op., tom. vii. col. 763. B.]

[Quod postea prohibuit Ecclesia.]

An vero et vinum asservarint, incertum; cum tam possent in *vase* non *sacro* vinum, quam *in cista non sacra* panem reponere. At de reliquiis illis, quas asservassent, quoties demptam particulam jejuni sumerent, non puto dici poterant toties synaxin domi celebrasse. Et hoc ipsum, quod toleravit ad tempus Ecclesia, post, decreto suo sustulit[l]. Ut nihil hic ædificet e Patribus Cardinalis, nisi quod Patres ipsi post de-
192 struxerint. Adeo caducis fulcimentis hæc causa nititur.

Apud veteres consuevisse deferri ad ægrotos Eucharistiam sub sola specie panis, ut notum est ex Epistola Dionysii [Episcopi] Alexandrini apud Eusebium lib. vi. [Hist.] c. 36[m].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 105. [Op., tom. vii. col. 763. C.]

[Eucharistia sub utraque specie ad ægros delata.]

Ad *ægros* et *absentes delatam* a Diaconis *Eucharistiam* constat, sed *integram*, et *utraque specie*, panis et vini, non panis sola. Sed et præconsecratam, viatici loco, ad animam agentes. Nam panis speciem non solam, delatam ad Serapionem,

num. sect. 15. Op., tom. i. col. 225. D. Cui loco Editor subjungit, "Hinc apparet obtinuisse ad hæc usque tempora consuetudinem, ut fideles Eucharistiæ Sacramentum domi haberent, quod sumerent."]

[l] ["Item legit (Lucius sc.) Eucharistiæ gratiam si quis probatur acceptam non sumpsisse, (*in marg.* consumpsisse), anathema sit in perpetuum. Ab universis Episcopis dictum est, Placet."]—Conc. Cæsaraugust. Can. iii. [Conc. tom. ii. col. 1010. A.

"Si quis autem acceptam a sacerdote Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur."]—Conc. Tolet. I. C[an.] xiv. [ibid. col. 1225. D.]

[m] [Βραχὺ τῆς εὐχαριστίας ἐπέδωκεν τῷ παιδαρίῳ, ἀποβρέξαι κελεύσας, καὶ τῷ πρεσβύτῃ κατὰ τοῦ στόματος ἐπιστάξαι. ἐπανῆκεν ὁ παῖς φέρων· ἐγγύς τε γενομένου, πρὶν εἰσελθεῖν, ἀνενέγκας πάλιν ὁ Σαραπίων, 'ἦκες,' ἔφη, 'τέκνον· καὶ ὁ μὲν πρεσβύτερος ἐλθεῖν οὐκ ἠδυνήθη· σὺ δὲ ποίησον ταχέως τὸ προσταχθέν, καὶ ἀπάλλαττέ με.' ἀπέβρεξεν ὁ παῖς, καὶ ἅμα τε ἐνέχεε τῷ στόματι.—Euseb. Hist. Eccl. lib. vi. cap. 44. pp. 317, 318.]

apud Eusebium, verba illa evincunt, *ἀποβρέξαι, ἐπιστάξαι, ἐγχεῦσαι, madefecit, infudit, instillavit,* quæ nisi *humido* peragi, quæ de *solo pane* intelligi non possunt. Panis enim solus vix dicitur *instillari,* vel *infundi,* certe, sine humido non madefieri. Vel ergo *commista* ibi, vel *resoluta* in *liquidum* Eucharistia. De panis quidem substantia sola, apud Eusebium non liquet.

= Ex vita S. Ambrosii a Paulino scripta[n].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 105. [Op., tom. vii. col. 763. C.]

At Ambrosius, qui in Clero, et Episcopus, *utraque specie* communicandus erat, (nec vos negatis,) nisi, sumpto corpore, mox spiritum emisisset. Nec hoc ergo ad rem. Nam, siqui in extremis viaticum petant, ab hac autem vel illa specie abhorreant; quæri potest porro, an eo casu dispensari possit, ut altera tantum specie communicent: et an (necessitate id urgente) immutari possit quid in Eucharistia, (ut olim in Baptismo Clinicorum) gratia divina humanum defectum supplente, cum *Sacramentum propter hominem factum sit; non homo propter Sacramentum*[o]. Verum, casus ille in legem trahendus non esset, (ut jam, apud vos, lex est;) sed cessante ferrea necessitate, de reliquo redeundum mox ad Christi institutum. Decumbit quidem hoc argumentum, et vere clinicum est. Denique, ut (cum plura non habet Cardinalis) plura non afferat, *Patres* hic nulli comparent prorsus, qui vel laudent hoc, vel suadeant, nedum qui statuant, *speciem unam ab altera separandam.*

[Si forte sub una tantum, hoc non in legem trahendum]

Nomen Transubstantiationis invenitur in Concilio Lateranensi[p] . . . Quod autem ante annos circiter quadringentos in usu fuit, videat Rex, an recte novitium, et nuperum appelletur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 105. [Op., tom. vii. col. 763. C.]

Transubstantiatio quam nihil plane intersit Christianæ vel rei, vel fidei, jam antea mihi dictum, initio statim ipso. Sed iterum hic tamen actum agamus, cum Cardinale. *A Lateranensi Concilio nomen est,* post rem, post fidem Christianam, annis plus mille ducentis. *Quod autem, post annos ter quadringentos emersit, videat* Cardinalis, *annon recte*

[Transubstantiatio nuperum dogma,]

[n] ["Qui (Honoratus sc.) descendens obtulit sancti Domini corpus, quo accepto ubi glutivit, emisit spiritum, bonum viaticum secum ferens."—S. Ambr. vita a Paulino, sect. 47. S. Ambros. Op., tom. ii. Append. col. xii. F.]

[o] [Cf. Marc. ii. 27.]

[p] [Conc. Lat. iv. Gen. cap. 1.—Conc. tom. xi. col. 143. B. Vide supra, p. 8. not. [e].]

novitium et nuperum appelletur. Triplo plus erit, in primis illis tribus *quadringentorum annorum* circulis, ut *novum:* quam, *unico* hoc *postremo,* ut *vetus* appelletur. Certe, illud liquido nimis constabit; *Transubstantiationem,* quæ hisce ultimis quadringentis nata demum est, primis illis quadringentis nusquam exstitisse.

193 Sed si de re ipsa agatur, certe Transubstantiatio, id est substantialis transmutatio, non solum ante annos quadringentos, sed ante mille et ducentos, a Patribus usurpari cœpit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 105. [Op., tom. vii. col. 763. D.]

[nec re, nec nomine, Patribus notum.] Sed, *rem* tamen ipsam, etsi *ἀνώνυμον,* a Patribus usurpatam, (ait,) contra quam Jesuitæ hic nostri, qui *rem Transubstantiationis Patres unquam* negant vel *attigisse*[q]. Transubstantiationis *res* est illi *substantialis transmutatio.* Et testes ad hanc rem aliquot evocat. Et hoc tamen, (an substantialis ibi conversio) non diu ante Lateranense Concilium Magister ipse Sententiarum *definire,* inquit, *non sufficio*[r]. Testes vero omnes, pro *mutatione, immutatione, transmutatione,* loquuntur. *Substantialis* autem ibi, vel *substantiæ,* mentio nulla. At et nos præpositionem ibi *trans* non negamus: et *transmutari elementa* damus. *Substantialem* vero quærimus, nec reperimus usquam.

S. Cyril. Hierosol. Cat. iv. Myst. 'Aquam,' inquit, 'aliquando in vinum commutavit; et non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutaverit[s]?'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 105. [Op., tom. vii. col. 763. D.]

[De hac re examinantur testimonia S. Cyrill. Hieros.,] Cyrillum vestrum Augusta vestra, et, quæ ibi est, Bibliotheca, et, quod inibi est, *exemplar M. S.* suspectum reddidit[t]: et vel character ejus posterius sæculum sapit. Nec ille tamen, *similem,* dixit, *mutationem vini in sanguinem, mutationi aquæ in vinum* (melius enim procedet ei argumentum, a majori, quam a simili:) et, si *similem* dixisset, similitudo *qualitatis* est, non *substantiæ.* Verba quidem ejus, quæ

[q] [Vide supra, p. 8. not. [h].]

[r] ["Si autem quæritur: qualis sit illa conversio; an formalis, an substantialis, vel alterius generis? Definire non sufficio. Formalem tamen non esse cognosco: quia species rerum, quæ ante fuerant, remanent, et sapor et pondus. Quibusdam esse videtur substantialis, dicentibus sic substantiam converti in substantiam, ut hæc essentialiter fiat illa. Cui sensui præmissæ auctoritates consentire videntur."—Petr. Lombard. Sent. lib.] iv. [Dist.] 11. [pp. 352. col. 2.; 353. col. 1. Col. Agrip. 1576.]

[s] [Τὸ ὕδωρ ποτὲ εἰς οἶνον μεταβέβληκεν οἰκεῖον αἵματι, ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας· καὶ οὐκ ἀξιόπιστός ἐστιν, οἶνον μεταβαλὼν εἰς αἷμα;—S. Cyr. Hier. Catech. xxii. (Myst. iv.) § 2. Op., p. 320. B.]

[t] [Vide supra, p. 55. not. [s].]

sequuntur ibi, *Sicut enim panis corpori κατάλληλος, sic et verbum animæ ἁρμόδιον*, et, *Ne attendite ei, tanquam nudo pani*, satis docent, vel Cyrillo panem superesse[u].

S. Ambrosius, . . . 'Benedictione etiam natura ipsa mutatur[x].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 106. [Op., tom. vii. col. 764. A.]

Jam Ambrosius, *naturam mutari*, dicit: et quidem mutatur. Est enim (quod non nescit Cardinalis) alia *elementi* natura, *Sacramenti* alia; neque nos, *elementum benedictione mutari*, contradicimus: ut panis jam consecratus *non sit panis, quem natura formavit; sed, quem benedictio consecravit*, et consecrando etiam immutavit. [S. Ambros.]

Ergo transmutatio substantiæ panis in substantiam corporis Dominici consecrationis virtute facta est.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 106. [Op., tom. vii. col. 764. A.]

At Cardinalis *Ergo*, ibi, *ἄεργον* dicimus et *πάρεργον*. *Ergo transmutatio substantiæ panis, in substantiam corporis Dominici facta est.* Non debet enim *substantia* conclusionem ingredi, cujus in præmissis, cujus in tota Ambrosii[y] sententia haud ulla mentio. Ambrosio enim, non aliter ibi, Christi vel benedictio, vel sermo, operatur, quam, *ut sint quod erant, et in aliud commutentur.*

Nyssenus, . . . 'Virtus benedictionis . . . panis, et vini naturam mutans[z].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 106. [Op., tom. vii. col. 764. B.]

Et nos, cum Nysseno credimus, *virtute benedictionis, panis et vini naturam immutari*, nec tamen vel ipse, vel nos *transubstantiari*. [S. Greg. Nyss.]

[u] [Ἐν δὲ τῇ καινῇ διαθήκῃ, ἄρτος οὐράνιος καὶ ποτήριον σωτηρίου ψυχὴν καὶ σῶμα ἁγιάζοντα· ὥσπερ γὰρ ὁ ἄρτος σώματι κατάλληλος, οὕτω καὶ ὁ Λόγος τῇ ψυχῇ ἁρμόδιος. Μὴ πρόσεχε οὖν ὡς ψιλοῖς τῷ ἄρτῳ καὶ τῷ οἴνῳ· σῶμα γὰρ καὶ αἷμα Χριστοῦ κατὰ τὴν δεσποτικὴν τυγχάνει ἀπόφασιν.—S. Cyril. Hier. Catech. xxii. (Myst. iv.) §§ 5, 6. Op., p. 321. A. B.]

[x] ["Quantis igitur utimur exemplis? Probamus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit; majoremque vim esse benedictionis quam naturæ; quia benedictione etiam natura ipsa mutatur."—S. Ambr. de Myst. (al. De iis qui mysteriis initiantur) cap. ix. (sect. 50.) Op., tom. ii. col. 338. D.]

[y] ["Si ergo tanta vis est in Sermone Domini Jesu, ut inciperent esse, quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant, et in aliud commutentur!"—S. Ambr.] de Sacr. lib. iv. cap. iv. [(sect. 15.) Op., tom. ii. col. 369. Hi vero de Sacramentis libri "non tantum a Theologis reformatæ, sed et Pontificiæ religionis quam plurimis Ambrosio abjudicantur."—Cav. Hist. Lit. tom. i. p. 262.]

[z] [Καλῶς οὖν καὶ νῦν τὸν τῷ λόγῳ τοῦ Θεοῦ ἁγιαζόμενον ἄρτον εἰς σῶμα τοῦ Θεοῦ λόγου μεταποιεῖσθαι πιστεύομαι. καὶ γὰρ ἐκεῖνο τὸ σῶμα ἄρτος τῇ δυνάμει ἦν· ἡγιάσθη δὲ τῇ ἐπισκηνώσει τοῦ Λόγου τοῦ σκηνώσαντος ἐν τῇ σαρκί. Οὐκοῦν ὅθεν ὁ ἐν ἐκείνῳ τῷ σώματι μεταποιηθεὶς ἄρτος εἰς θείαν μετέστη δύναμιν, διὰ τοῦ αὐτοῦ καὶ νῦν τὸ ἴσον γίνεται· ἐκεῖ τε γὰρ ἡ τοῦ Λόγου χάρις ἅγιον ἐποιεῖτο σῶμα, ᾧ ἐκ τοῦ ἄρτου ἡ σύστασις ἦν, καὶ τρόπον τινὰ καὶ αὐτὸ ἄρτος ἦν· ἐν-

S. Gaudentius, . . . 'Qui producit de terra panem, de pane rursus [quia et potest et promisit] efficit proprium corpus: et qui de aqua vinum fecit, [et] de vino sanguinem suum (fecit[a].)'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 106. [Op., tom. vii. col. 764. B.]

[S. Gaudentii,] Gaudentius, etsi est et ipse exceptione minor, tamen, si *de pane fieri corpus Christi* dicat, non refragamur. Fieri enim de Elemento Sacramentum, nec consistere Sacramen-
194 tum, sine re Sacramenti. Nam, *productive* fieri Christum *de pane*, Cardinalis (credo) non dabit, qui etsi *transubstantiationem* teneat, at *desubstantiationem* non tenet. *Trans* enim, illi, quod ante fuit, adducit; non producit, quod ante non fuit.

[S. Joannes] Chrysostomus, ... 'Sicut . . . si cera igni adhibita illi assimulatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit: sic et hic puta, mysteria consumi corporis substantia[b].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 106. [Op., tom. vii. col. 764. B. C.]

[S. Chrysostomi,] Chrysostomus, eodem ipso in loco, jubet verbis proxime sequentibus, ne putent *accipere se Corpus divinum, sed ab ipsis Seraphim ignem ex forcipe*. Ut, si elementa vobis externa percant, jactura quoque Ministri seu Sacerdotis vestri sit facienda. Tum, *lateri approximantes jubet sanguinem ex eo effluentem labiis haurire*. Ut scias, priora verba quid sibi velint; nec *proprie* ibi loqui Chrysostomum: sed, suo more, *figurate:* et de parte, quæ *fidei* sit, non *sensus*. Alioqui similitudo illa, de *cera* et *igne*, et vos quoque ustularet.

Addam et unum Scriptorem, qui nomen [S.] Cypriani gerit, sed quanquam non [est] ille [Cyprianus] Martyr [notissimus], est tamen gravis, et [valde] antiquus. . . . 'Panis . . . non effigie, sed natura mutatus omnipotentia verbi factus est caro[c].' . . . Naturam, id est substantiam, mutari dicit; [et]

ταῦθά τε ὡσαύτως ὁ ἄρτος, καθώς φησιν ὁ Ἀπόστολος, ἁγιάζεται διὰ λόγου Θεοῦ καὶ ἐντεύξεως, οὐ διὰ βρώσεως καὶ πόσεως πρυΐων εἰς τὸ σῶμα τοῦ Λόγου, ἀλλ' εὐθὺς πρὸς τὸ σῶμα τοῦ Λόγου μεταποιούμενος, καθὼς εἴρηται ὑπ' τοῦ Λόγου, ὅτι τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου . . . ταῦτα δὲ δίδωσι τῇ τῆς εὐλογίας δυνάμει πρὸς ἐκεῖνο μεταστοιχειώσας τῶν φαινομένων τὴν φύσιν.—S. Greg. Nyss. Catech. Orat. cap. xxxvii. Op., tom. iii. pp. 104. C.D. 105. A. B.]

[a] [S. Gaudent. Tract. ii.—Bibl. Patr. Max. tom. v. p. 946.]

[b] [Μὴ ὅτι ἄρτος ἐστὶν ἴδῃς, μηδ' ὅτι οἶνός ἐστι νομίσῃς, οὐ γὰρ ὡς αἱ λοιπαὶ βρώσεις εἰς ἀφεδρῶνα χωρεῖ. Ἄπαγε, μὴ τοῦτο νόει. Ἀλλ' ὥσπερ κηρὸς πυρὶ προσομιλήσας οὐδὲν ἀπουσιάζει, οὐδὲν περισσεύει· οὕτω καὶ δῶδε νόμιζε συναλίσκεσθαι τὰ μυστήρια τῇ τοῦ σώματος οὐσίᾳ, διὸ καὶ προσερχόμενοι, μὴ ὡς ἐξ ἀνθρώπου νομίσητε μεταλαμβάνειν τοῦ θείου σώματος, ἀλλ' ὡς ἐξ αὐτῶν τῶν σεραφὶμ τῇ λαβίδι τοῦ πυρὸς, ἥνπερ Ἡσαΐας εἶδε, τοῦ θείου σώματος νομίζετε, καὶ ὡς τῆς θείας καὶ ἀχράντου πλευρᾶς ἐφαπτόμενοι τοῖς χείλεσιν, οὕτω τοῦ σωτηρίου αἵματος μεταλάβωμεν.—S. Chrys. Hom. v. (al. ix.) de Pœnit. Op., tom. vi. p. 791. lin. 22.]

[c] ["Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro; et sicut in persona Christi humanitas videbatur, et latebat

effigiem, id est accidentia, non mutari.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 107. [Op., tom. vii. col. 764. C. D.]

Gravis autem *auctor ille,* (qui *nomen Cypriani gerit,* nec Cyprianus tamen est,) *mutatum* dicit *natura panem, non effigie:* quod neque negamus nos. Sed Cardinalis tamen glossam, *naturam, id est, substantiam, et effigiem, id est, accidentia,* deprecamur. Accedente enim verbi omnipotentia, naturam mutari, ut, quod ante nudum elementum erat, divinum jam fiat Sacramentum, manente tamen, quæ prius fuit, substantia. Docent hoc quæ statim sequuntur verba; et, quæ pars sunt ejusdem periodi, et a vobis semper, non sine fraude, præcisa. *Et sicut in persona Christi humanitas videbatur, et latebat divinitas; ita Sacramento visibili divina se infudit essentia.* Ea nempe conjunctio inter Sacramentum visibile, et rem Sacramenti invisibilem, quæ inter humanitatem et divinitatem Christi, ubi, nisi Eutychen sapere vultis, humanitas in divinitatem non transubstantiatur. At, ut *naturam* ibi scias de *substantia* non intelligi, ubi ait Petrus *divinæ naturæ fieri nos consortes*[d], negat *Auctor ille* (et eadem adhuc periodo) *usque ad consubstantialitatem Christi unitatem hanc pervenire.* [Arnoldi Carnot.,]

Substantiam igitur nusquam reperit Cardinalis affirmari. At nos, negari; μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας σύμβολα, Theodoretus[e]. *Manent enim Symbola, in priori sua substantia.* Gelasius[f] autem, *Pontifex* et *Pastor summus,* cujus ab *ore pendeant* necesse est *Pontificii* omnes, *in divinam transire Spiritu Sancto perficiente substantiam,* (quem proin miror a Cardinale prætermissum) *et tamen esse non desinit* [Mutationem substantiæ negant Theodoretus, Gelasius,]

divinitas; ita sacramento visibili ineffabiliter divina se infudit essentia, ut esset religioni circa sacramenta devotio, et ad veritatem, cujus corpus et sanguis sacramenta sunt, sincerior pateret accessus, usque ad participationem spiritus; non quod usque ad consubstantialitatem Christi, sed usque ad societatem germanissimam ejus hæc unitas pervenisset."—Arnold. Carnot. de Cœna Domini. Op., p. 40. ad calc. Op., S. Cypriani.]

[d] 2 Pet. i. 4.

[e] [Theodor.] Dial. ii. [Op., tom. iv. p. 126.]

[f] ["Certe Sacramenta quæ sumimus corporis et sanguinis Christi divina res est, propter quod et per eadem divinæ efficimur consortes naturæ, et tamen esse non desinit substantia vel natura panis et vini. . . . Satis ergo nobis evidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo Domino sentiendum, quod in ejus imagine profitemur, celebramus, et sumimus, ut sicut in hanc, scilicet in divinam, transeant Sancto Spiritu perficiente substantiam, permanente tamen in suæ proprietate naturæ, sic illud ipsum mysterium principale, cujus nobis efficientiam virtutemque veraciter repræsentant, ex quibus constat proprie permanentibus unum Christum, quia integrum verumque permanere demonstrant."—Gelas.] adv. Eutych. et Nestorium. [Bibl. Max. Patr. tom. viii. p. 703. E. F.]

substantia, vel natura, panis et vini. Apponit autem, unde
195 luculenter constet nobis de sensu ejus: *Sicut Christus* (inquit) *unus ex naturis constat proprie permanentibus.* Uterque, et Gelasius, et Theodoretus, contra Eutychen. E quibus liquido constat, *substantialem* non esse, quæ in Sacramento fit, *transmutationem.* Appono et Augustinum. *Hoc est quod dicimus, quod* [lege *hoc*] *modis omnibus approbare contendimus, Sacrificium* [*scilicet*] *Eucharistiæ, duobus confici* [lege *duobus constare*], *visibili elementorum specie, et invisibili* [*Domini Nostri Jesu*] *Christi carne et sanguine,* [*sacramento, et re sacramentali*]; *sicut Christi persona constat* [*et conficitur*] *ex Deo et homine, cum ipse* [*Christus*] *verus sit Deus et verus homo. Quia omnis res illarum rerum naturam, et veritatem, in se continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem Sacramentum* [*Ecclesiæ*] (*duobus;*) *Sacramento, et re Sacramenti, id est, corpore Christi*[g].

[S. August.]

Inter novitia, et nupera dogmata ponit Adorationem Sacramenti Eucharistiæ, id est adorationem Christi Domini in Sacramento, miro, sed vero modo præsentis. — [Bell. Apol. pro Resp.] p. 107. [Op., tom. vii. col. 764. D.]

[De adoratione Eucharistiæ.]

In *adoratione Sacramenti,* ad limen ipsum turpiter impingit. *Sacramenti* ait, id est *Christi Domini in Sacramento, miro, sed vero modo præsentis.* Apage vero. Quis ei hoc dederit? *Sacramenti, id est, Christi in Sacramento.* Imo Christus ipse Sacramenti res, in, et cum Sacramento; extra, et sine Sacramento, ubi ubi est, *adorandus* est. Rex autem Christum in Eucharistia vere *præsentem,* vere et *adorandum* statuit, rem scilicet Sacramenti; at non Sacramentum, *terrenam* scilicet *partem,* ut Irenæus[h]; *visibilem,* ut Augustinus[i].

[S.] Ambrosius . . . 'Carnem Christi in mysteriis adoramus[k]'. . . . [S. Greg.] Nazian. . . . [laudans pietatem Gorgoniæ, ita scribit] . . . . 'Eum, qui supra altare colitur, . . . obtestans[l].' [Quid autem super altare colatur,

---

[g] [Decr. Par. iii.] De Consecrat. [Dist.] ii. [cap. xlviii.] 'Hoc est.' Corp. Jur. Can. tom. i. coll. 1936. 1937; Conf. Prosperi Op., p. 214. Lugd. 1539; et Lanfranci Lib. de Corp. et Sang. Dom. cap. x. Op., p. 239. Lut. Par. 1648.]

[h] ['Ως γὰρ ἀπὸ γῆς ἄρτος προσλαμβανόμενος τὴν ἔκκλησιν τοῦ Θεοῦ, οὐκέτι κοινὸς ἄρτος ἐστὶν, ἀλλ' εὐχαριστία, ἐκ δύο πραγμάτων συνεστηκυῖα, ἐπιγείου τε καὶ οὐρανίου. — S. Iren. contr. Hær.] lib. iv. cap. xxxiv. [xviii. Massuet. p. 251. col. 2.]

[i] Ubi supra, [not. g.]

[k] [S. Ambros. de Spirit. Sanct. lib. iii. cap. 11. Ben. (al. 12.) sect. 79. Op., tom. ii. col. 781. A.]

[l] [Πάντων ἀπογνοῦσα τῶν ἄλλων, ἐπὶ τὸν πάντων ἰατρὸν καταφεύγει, καὶ νυκτὸς ἀωρίαν τηρήσασα, μικρὸν ἐνδούσης αὐτῇ τῆς νόσου, τῷ θυσιαστηρίῳ προσπίπτει μετὰ τῆς πίστεως, καὶ τὸν ἐπ' αὐτῷ τιμώμενον ἀνακαλουμένη μεγάλῃ τῇ βοῇ. — S. Greg. Naz. Orat. xi. in laudem sororis suæ Gorgoniæ. Op., tom. i. p. 186. C. D.]

docet S. Optatus Milevitanus, qui libro iii. contra Parmenianum, vocat altare sedem corporis et sanguinis Christi [m].] . . . August. . . . 'Nemo manducat, nisi prius adoraverit [n].'—[Bell. Apol. pro Resp.] pp. 107, 108. [Op., tom. vii. col. 765. A. B.]

Nos vero *et in mysteriis carnem Christi* adoramus, cum Ambrosio: et non, *id*, sed *Eum qui super Altare colitur*. Male enim, *quid ibi colatur*, quærit Cardinalis, cum *quis*, debuit: Cum Nazianzenus, *Eum* dicat, non *id*. Nec *carnem manducamus, quin adoremus prius*, cum Augustino. Et Sacramentum tamen nulli adoramus. [Christus in Eucharistia est adorandus.]

Mirum videri non debet, si primis quadringentis annis hæc res (circumgestatio scilicet) in usu non fuerit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 108. [Op., tom. vii. col. 765. B.]

Succumbit autem in *Circumgestatione* Cardinalis, et manus dat, primis quadringentis annis in usu non fuisse. Imo, nec totis quadringentis postremis. Nec vult mirum hoc nobis videri; nec videtur sane. Illud vero mirum, quod accommodet huc Augustini sententiam ad Januarium; cum Augustini sæculo tale nihil *per orbem frequentarit Ecclesia* [o], nec octingentis annis post Augustinum. Nam *circumgestare* hoc vestrum *præcepto* Christi contrarium, nec ei usquam Scriptura favet. Contrarium et *instituto*. *Institutum* enim tum *Sacrificii*, ut *absumi*; tum *Sacramenti*, ut *accipi, manducari*, non recondi et circumferri. Extra Sacramenti finem, extra præcepti vim, usus haud ullus. Fiat, quod fieri voluit Christus cum dixit, *Hoc facite*; nihil reliqui fiet, quod monstret Sacerdos, quod adoret populus, de pyxide. [Circumgestatio Sacramenti res novissima.] 196

Illa . . . dicuntur a nobis opera supererogationis, quæ non sunt imperata a Deo, et tamen illi gratissima sunt.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 108. [Op., tom. vii. col. 765. C.]

In *supererogationis operibus*, manifesta fraus. Quis enim nescit, *fieri a nobis multa libere*, et quæ a Deo non sunt imperata, *voveri* et *reddi*? In hoc tamen (pace Cardinalis) *supererogandi* vis tota non est. *Erogare* prius oportet sum- [Opera supererogationis.]

[m] ["Quid est enim altare, nisi sedes et corporis et sanguinis Christi?"—S. Opt. contra Parmen. lib. vi. cap. i. Op., p. 90.]

[n] [S. Aug. Enarr. in Ps. xcviii. § 9. Op., tom. iv. col. 1521. A.]

[o] ["Similiter etiam si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia; nam et hinc quin ita faciendum sit disputare insolentissimæ insaniæ est."—S. Aug. Ep. liv. Ben. (al. cxviii.) ad Januar. § 6. Op., tom. ii. col. 188. D.]

mam integram, quæ imperata est nobis; *erogare* quicquid debitum a nobis; id ubi jam factum, tum et ultra illud, amplius quid, *supererogare.* Nam nisi solvendo sit universo debito suo, quod ex præcepto contraxit, in ære adhuc est: quicquid agit, opus est agat, nec superest ei quicquam, quod accrescat inde *thesauro Ecclesiæ.* Peccavit in præcepta quis: quæ debuit facere non fecit: sed, votivum nescio quid, vel *voluntarium* præstitit: hoc jam, *præter erogare* est forte, non *super.* Quamdiu enim in præcepta committit, *subter erogationem* consistit ejus, cui ex debito tenetur, nec tantum facit, quantum Deus præcipit. Id nisi fecerit prius, et æs integrum dissolverit; (quod quis fecit unquam, quis facturus est? cum et Apostoli ipsi quotidie petant *sua sibi debita dimitti*) frustra de *supererogando* superarrogat. Æs illi hæret etiam, cui par non est, (cur enim, cum potest exsolvere, dimitti sibi postulet?) De *ære* igitur suo cogitet, non de *Ecclesiæ ærario.*

Scriptura dicit votum libere fieri, ac per hoc esse opus supererogationis, et tamen postquam factum est, severe a Domino [*leg.* Deo] exigi, ut rem sibi gratam.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 109. [Op., tom. vii. col. 765. D.]

Sed, illud tamen hic juvat percontari. Si *votum opus* sit *supererogationis,* si *Deo gratissimum,* cur rem *Deo ingratam* fecit, dum subtraxit, quod *supererogavit* Cardinalis? cur tam diti dono hoc fraudavit ipse Papa, et exspoliari sivit *Ecclesiæ gazophylacium?* Cum *vota* tam *severe exigat* Deus, cur tam facile relaxat Pontifex? Cur erogando *purpuram,* derogavit *Stolæ?* et una opera *Deum re* sibi *gratissima, Cardinalem* præmio cœlesti amplissimo, *Ecclesiæ Thesaurum* illustri incremento, spoliavit? Pluris (ut videtur) titulus et insignia Cardinalis, quam egregium hoc *opus supererogationis:* non ita valde magni pretii illud, quin rubro pileo commutetur. Et utcunque *Deo gratissimum* sit *votum,* Cardinali tamen constat purpuram *gratiorem.*

Piget ad ista respondere, cum nemo nesciat, campanas benedici, ... non baptizari.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 109. [Op, tom. vii. col. 766. B.]

[De Baptismo Campanarum.] *Piget* (credo) ad campanas *respondere* Cardinalem. At nemo nescit, non *piguisse* minime vulgarem Auctorem Stephanum Duranti, in *Ritibus Ecclesiæ* vestræ, Romæ nuper, auspiciis Gregorii XIV., editis, *baptizandi* vocem usurpare.

197 *Baptizantur,* inquit, *campanæ.* Et, *formula baptizandi,* Et,

Non baptizantur baptismo, quo remissio peccatorum confertur, sed quo cultui divino dicantur[p]; qui et ipse *Baptismi* finis est.

Quodsi vulgo aliquibus in locis . . . baptismus dicitur, id ex eo fit, quod nomina campanis . . . imponantur. — [Bell. Apol. pro Resp.] p. 110. [Op., tom. vii. col. 766. B.]

Vulgo id tantum *dici*, dicit Cardinalis. Ars ea vestra est; apud populum, *baptismus*, apud prudentes, *benedictio* est. [Ritus in hac re adhibiti.] Ante annos octingentos interdictus in *Capitulari Caroli baptismus Clocharum*[q]. Superstitionem (dicet) prohibitam, non legitimam consecrationem. Sed, an *Baptismi* nomine intelligenda jam venit *superstitio?* vel an quicquam ea ætate fecit, in suis, *superstitio*, quod vos in vestris hodie non faciatis? Certe in Pontificali vestro, exorcizatur et Sal, *ad expellendum campana inimicum*[r], et aqua, *ut omnium pravorum spirituum nequitiam ejiciat*[s]. Dicitur ibi, dicitur et in Ordine Romano, *tinctum in aqua tintinnabulum*[t]. Petitur, *ut elementum aquæ mysterialiter baptismo commodum S. Spiritus sui sanctitate reddatur.* Sanctificatur. Dicitur, *Hæc commixtio salis et aquæ efficiatur salutare Sacramentum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*[u]. Cujus jam Sacramenti *pigere* vos incipit: quare deleta ea verba sunt, *efficiatur salutare Sacramentum* (in Pontificali novo Clementis VIII.), et pro eis jam *pariter fiat*[x] substituta: quid autem fiat, cogitandum relinquitur. Tum, adhibetur verbum, *Vox Domini super aquas*[y]. Quot vero vicibus id repetitur, tot signa fiunt, cum Chrismate. Oratur, *Tu hoc tintinnabulum cœlesti benedictione perfunde, ut ante sonitum ejus longe effugentur ignita jacula inimici*[z]. Oratur, *Hoc tintinnabulum Sancti Spiritus rore perfunde, ut ante sonitum ejus semper fugiat* [*bonorum*] *inimicus*[a]. *Adhibentur Compatres,* (*præcipue, qui fortuna pollent,*) *exorantur, ut* [leg. *qui*] *baptizationis tempore, funem, quo campana religata est, tangant. Ac Suffraganeo præcinente* (*quemadmodum in parvulorum baptizatione fieri assolet* [*solet*])

[p] [Steph. Durant. de Ritibus Eccl.] lib. i. cap. 22. num. 6. [p. 73. Romæ, 1591.]

[q] [Vide Capitula de diversis rebus. Capit. XVIII. apud Capit. Aquisgr. —Conc. tom. vii. col. 990. D.]

[r] [Pontificale Pii IV. fol. 166. A. col. 2. Venet. 1561.]

[s] [Ibid. fol. 166. B. col. 1.]

[t] [Ibid. fol. 166. B. col. 2.]

[u] [Ibid.]

[x] [Pontificale Clement. VIII. p. 522. col. 1. Romæ 1595.]

[y] [Pontificale Pii IV. fol. 168. A. col. 2.]

[z] [Pontificale Clement. VIII. p. 529. col. 1; Conf. Pontif. Pii IV. fol. 168. B. col. 2.]

[a] [Pontificale Pii IV. fol. 169. A. col. 2.]

omnes pariter respondent, ac campanæ nomen ingeminant. Vestesque nova (quemadmodum et Christianis fieri assolet) Campana induitur[b]. Nugæ quidem, sed pretiosæ sunt hæ: *Calumniæ* autem non sunt. Neque nugæ tamen; vera enim *gravamina*, Pontificis Legato in Comitiis Norimbergæ, 1522. exhibita: Pontifici quoque ipsi transmissa, Germaniæ totius nomine.

De antiquitate venerationis Reliquiarum multa diximus in primo capite. . . . De antiquitate venerationis Imaginum [Sacrarum] nunc pauca dicamus. Julianus . . . apud Cyrillum, . . . non objiceret Christianis, quod lignum Crucis . . . . adorarent, ejusque figuram . . . . in fronte, et ante domos pingerent, nisi hoc ipse passim fieri vidisset.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 110. [Op., tom. vii. col. 766. C. D.]

[Crux haud adoranda.]

198 De *Reliquiis*, nihil hic habet reliqui. Redeat ergo Lector ad *Caput primum*[c], ubi *Reliquias* cum Theca reposuit. *Imagines* assumit, sed manifesta fraude. Rex *de adoratione* dicit: Cardinalis iterum pro adoratione *venerationem* substituit. *Venerantur* autem multi ipsos Cardinales, at non nisi Pontificem *adorant*. Multum ergo vel hic interest. *Objicit* Julianus, *quod Christiani lignum Crucis adorent, quod imagines in fronte, et ante domos pingant*[d]. Quod pingant, fatetur Cyrillus, et rationem reddit, (*quod omnia Christi beneficia recordari nos faciat:*) quod *adorent*, ne fatetur quidem; credo, quod *extremam sapere putaret impietatem*. Et quidem, Cyrillus ibi non fatetur. Octavius negat, apud Minutium, Cæcilio Pagano, id objicienti. Negat (inquam) Christianos. Imo Paganos potius, ait, *Cruces* (*ligneas Deorum suorum partes*) *adorare*[e], ut *adoratio Crucis* Paganus usus sit, Christianus non sit.

[b] [Vide Gravamina centum Germanicæ nationis, Gravamen LI., apud Fascic. rer. expet. et fugiend. tom. i. p. 366.]

[c] [Vide supra, pp. 62—68.]

[d] [Εἶτα ὦ δυστυχεῖς ἄνθρωποι . . . . τὸ τοῦ σταυροῦ προσκυνεῖτε ξύλον, εἰκόνας αὐτοῦ σκιαγραφοῦντες ἐν τῷ μετώπῳ καὶ πρὸ τῶν οἰκημάτων ἐγγράφοντες.—Jul. apud S. Cyr. Alex. contr. Jul. lib. vi. Op., tom. vi. B. p. 194. C. D. Cui respondet Cyrillus, Ἐπειδὴ δὲ δυστυχεῖς εἶναι φησὶ τοὺς ἐν φρονηίδι θεμένους, καὶ ἐν τοῖς ὅτι μάλιστα κατεσπουδασμένοις τὸ χρῆναι δὴ πάντως ἐγχαράττειν ἀεὶ καὶ οἰκίαις καὶ μετώποις τὸ σημεῖον τοῦ τιμίου σταυροῦ, ὅτι τῆς ἐσχάτης ἀμαθίας ἐξίζοντας λόγους ἐκ μοχθηρῶν ἀνίησιν λογισμῶν, ἀκονιτὶ καταδείξομεν . . . . τούτων ἁπάντων (Christi sc. beneficiorum) ἡμᾶς εἰς ἀνάμνησιν τὸ σωτήριον ἀποφέρει ξύλον, ἀναπείθει τε πρὸς τούτοις ἐννοεῖν, ὅτι, καθὰ φησὶν ὁ θεσπέσιος Παῦλος, εἷς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν . . . ἡμεῖς μὲν οὖν, ὡς ἔφην, παντὸς ἀγαθοῦ καὶ ἁπάσης ἀρετῆς εἰς ἀνάμνησιν τὸ τοῦ τιμίου σταυροῦ ποιούμεθα ξύλον. — Ib. p. 195. A. C. D. E.]

[e] ["Cruces etiam nec colimus, nec optamus. Vos plane, qui ligneos Deos consecratis, cruces ligneas, ut Deorum vestrorum partes, forsitan adoratis." —Minut. Fel. Octav. cap. xxix. pp. 148. 149. Cantab. 1712.]

Tertullianus . . . in Apologetico . . . . Christianos (ait) . . . . Religiosos Crucis appellatos fuisse[f].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 111. [Op., tom. vii. col. 766. D.]

[Examinantur testimonia Tertulliani,]

Nec alia ratio, cur apud Tertullianum *Religiosi Crucis* putarentur; quam, quod signum ejus ubique, tam frequenter, tam fidenter, præ se ferrent, ne vel de *Cruce* Christi erubescere viderentur; sed *Cruce*, quam nec Minutius, Tertulliano posterior, nec Tertullianus unquam adoravit.

[S.] Ambrosius . . . de obit. Theodosii . . . 'Ut crux Christi in Regibus adoretur[g].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 111. [Op., tom. vii. coll. 766. D. 767. A.]

[S. Ambrosii,]

Ambrosio et fraus a Cardinale fit, et vis. Fraus: nam si *Crux Christi in Regibus adoretur*, non aliter adoratur, quam Reges ipsi. Is autem civilis honos est, non religiosus. Vis: nam paulo supra dixerat idem Ambrosius, ubi de religiosa adoratione sermo illi, *Inventa cruce, Helenam Regem* (Christum scilicet) *adorasse*, non *lignum* utique. Reddit et causam: Quia hic *gentilis est error, et vanitas impiorum*[h].

[S.] Hieronymus . . . . de obit. Paulæ. 'Prostrata . . . . ante crucem . . . . adorabat[i].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 111. [Op., tom. vii. col. 767. A.]

[S. Hieronymi,]

Nec melior Hieronymi sors. Quem enim ibi adorabat Paula? non Dominum? quem *quasi pendentem in Cruce videre visa est:* quemque nos, et a Paula, et ab omnibus, *adorandum* dicimus. At non *Crucem* tamen, ut nec ibi Hieronymus: Non ibi: Alibi vero, ubi de *phylacteriis* disserit *Pharisæorum*, quæ quasi ob custodiam, et monumentum habebant: *Hoc* (ait) *apud nos superstitiosæ mulierculæ, in parvulis Evangeliis, et in Crucis ligno, et in istiusmodi rebus, quæ habent quidem zelum Dei, sed non juxta scientiam, [usque hodie factitant]*[k]. Quod sicubi quid de *Cruce* Hieronymus, ipse interpres suus nobis est. *Ego Crucem dico, non lignum, sed passionem*[l].

[f] ["Sed et qui crucis nos religiosos putat, consecraneus erit noster, cum lignum aliquod propitiatur."—Tert. Apol. cap. xvi. Op., p. 16. A.]

[g] ["Sapienter Helena, quæ crucem in capite regum locavit; ut crux Christi in regibus adoretur."—S. Ambr. de Obit. Theodos. sect. 48. Op., tom. ii. col. 1211. D.]

[h] ["Invenit ergo titulum (sc. Helena), Regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis est error, et vanitas impiorum; sed adoravit Illum, qui pependit in ligno, scriptus in titulo."—Sect. 46. ibid. A.]

[i] ["Prostrataque ante crucem, (apud Hierosolymam sc.) quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat."—S. Hier. Ep. cviii. Vall. (al. xxvii.) ad Eustoch. Epitaph. Paulæ, sect. 9. Op., tom. i. col. 691. B.]

[k] [S. Hier. Comment.] in Matt. xxiii. [Op., tom. vii. col. 184. A. B.]

[l] In Ps. xlvi.

[S. Joannes] Chrysostomus in Liturgia, 'Sacerdos . . ad imaginem Christi caput inclinat[m].' [S.] Basilius [referente Hadriano Pontifice in Epist. ad Imperatores, quæ lecta est in] Synod. vii. Act. ii. 'Historias . . imaginum honoro et palam adoro[n].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 111. [Op., tom. vii. col. 767. A.]

[S. Chrysostomi,] *Liturgiam*, quæ Chrysostomi nomen fert, non multum moramur. Sed neque vetus editio Græca; neque, qui eam vertit, Leo Tuscus, ullam ibi imaginis mentionem habet. 199 Rubrica quam jam apposuistis, recentula est. Intercessum autem Hadriano et Septimæ Synodo, a Conciliis Francofurtensi[o] et Parisiensi[p]: nec, quæ inde affert Cardinalis, habentur hodie apud Basilium, neque vere Basilium sonant.

Lactantius... 'Lignumque crucis venerabile adora[q].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 111. [Op., tom. vii. col. 767. A.]

[Lactantii,] Lactantii qui librum secundum legerit (qui est 'De Origine erroris') cap. xix. (cui, ibi, *dubium non est, quin religio nulla sit, ubicunque simulacrum est*[r]) sciet versus illos supposititios: nec eundem et *Rhetorem* hunc, et illum *Poetam*, esse potuisse.

Sedulius... 'Speciem crucis esse colendam[s].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 111. [Op., tom. vii. col. 767. A.]

[Sedulii.] *Coli* vero potest *Crucis species*, ut tamen non adoretur: vox enim *cultus* generalior est, et ad curam spectat;

" Quis cultus habendo
Sit pecori[t]."

multum autem abest ab *adoratione*. Lusus etiam poeticus liberior est: multum autem abest a loquendi more presso et Theologico.

[m] [Τοῦ δὲ καιροῦ ἑπιστάντος, μετὰ τὸ ποιῆσαι τὴν συνήθη τῷ προεστῶτι μετάνοιαν, εἰσέρχεται ἐν τῷ ναῷ, (ὁ ἱερεὺς, scil.) καὶ ἐνωθεὶς τῷ διακόνῳ, ποιοῦσιν ὁμοῦ πρὸς ἀνατολὰς προσκυνήματα τρία, ἔμπροσθεν τῆς εἰκόνος τοῦ Σωτῆρος, καὶ τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου, καὶ εἰς τοὺς δύο χόρους ἀνὰ ἕν. —S. Chrys. Liturg. Rubrica ad init. Op., tom. vi. p. 983.]

[n] [S. Basilius ab Hadriano citatus in Epistola ejus lecta in Conc. Gen. vii. Act. ii. Conc. tom. vii. col. 697. A.; et S. Basil. Epist. Spur. cccl. Op., tom. iii. p. 463. A.]

[o] [Conc. Francoford. can. ii.—Conc. tom. vii. col. 1057. D. E. Vide supra. p. 247. not. [e].]

[p] [Acta hujus Synodi omittunt Labbeus et Cossartius, Binio auctore. Vide Conc. tom. vii. col. 1542. E. Prodiere autem Francofurti, A.D. 1596.]

[q] [Lactant. Carmen de Pass. Domini, lin. 50.—Gall. Bib. Patr. tom. iv. p. 434. col. 2. C. Hoc carmen Caveus, et alii, quasi spurium rejiciunt; vide Hist. Lit. tom. i. p. 163.]

[r] [Lact. Div. Inst. lib. ii. De Origine Erroris; cap. xix.—Gall. Bib. Patr. tom. iv. p. 266. col. 2. A.]

[s] ["Neve quis ignoret speciem crucis esse colendam,
Quæ Dominum portavit ovans, ratione potenti
Quattuor inde plagas quadrati colligit orbis."—Sedul.Carm. Pasch. lib. v. Carm. xiii.—Gall. Bib. Patr. tom. ix. p. 557. col. 2. B.]

[t] [Virg. Georg. I. 3, 4.]

Augustinus ... 'Hæc ... honorem tanquam religiosa possunt habere, stuporem tanquam mira non possunt'[w].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 111. [Op., tom. vii. col. 767. B.]

Ut et *Serpens æneus*, apud Augustinum, *honorem habere potuit*; at, ubi et *adorationem cœpit*, comminutus statim est. [S. Augustini.] Quæ et sacramentorum ratio est, *ut honorem habeant, tanquam religiosa: stuporem tanquam mira non habeant.* Nondum enim *stupenda* illa vestra *Transubstantiatio* Patribus audita. Nam *Imagines* ibi apud Augustinum nullæ sunt, nullæ memorantur. *Nosse* quidem *se*, dicit Augustinus, *multos tum picturarum adoratores: sed qui professionis suæ vim nec scirent, nec exhiberent: sed quos Ecclesia condemnaret, et quotidie tanquam malos filios corrigere studeret*[x]. Cujus quæ fuerit de *Imaginibus* sententia, ex Psalmi cxiii. enarratione[y], non nescit Cardinalis.

[w] ["Sed quia hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religiosa possunt habere, stuporem tanquam mira non possunt." S. Aug. de Trin. lib. iii. cap. x. (sect. 20.) Op., tom. viii. col. 1232. C. D.]

[x] ["Nolite mihi colligere professores nominis Christiani, nec professionis suæ vim aut scientes aut exhibentes. Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint, quid promiserint Deo. Novi multos esse sepulcrorum et picturarum adoratores; novi multos esse qui luxuriosissime super mortuos bibant, et epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos seipsos sepeliant, et voracitates ebrietatesque suas deputent religioni.... § 76. Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Ecclesiæ Catholicæ maledicere desinatis, vituperando mores hominum, quos et ipsa condemnat, et quos quotidie tanquam malos filios corrigere studet."—S. Aug.] de Morib. Eccl. Cath. [lib.] i. [cap.] xxxiv. [§§ 75, 76. Op., tom. i. col. 1153. B, C, D.]

[y] ["Quis puer interrogatus non hoc certum esse respondeat, quod, *Simulacra gentium os habent, et non loquentur; oculos habent, et non videbunt*, et cætera quæ divinus sermo contexuit? Cur ergo tantopere Spiritus Sanctus curat Scripturarum plurimis locis hæc insinuare atque inculcare, velut inscientibus, quasi non omnibus apertissima atque notissima; nisi quia species membrorum, quam naturaliter in animantibus viventem videre, atque in nobismetipsis sentire consuevimus, quanquam, ut illi asserunt, in signum aliquod fabrefacta, atque eminenti collocata suggestu, cum adorari atque honorari a multitudine cœperit, parit in unoquoque sordidissimum erroris affectum, ut quoniam in illo figmento non invenit vitalem motum, credat numen occultum; effigiem tamen viventi corpori similem, seductus forma et commotus auctoritate quasi sapientium institutorum obsequentiumque turbarum, sine vivo aliquo habitatore esse non putat? Hinc et mala dæmonia ad possidenda gentium simulacra talis hominum affectus invitat, quorum præsidentium varia fallacia mortiferi seminantur et multiplicantur errores. Aliis itaque locis et contra ista Divinæ Literæ vigilant, ne quisquam dicat, cum irrisa fuerint simulacra; Non hoc visibile colo, sed numen quod illic invisibiliter habitat ...

§ 4. Videntur autem sibi purgatioris esse religionis qui dicunt, Nec simulacrum, nec dæmonium colo; sed effigiem corporalem ejus rei signum intueor, quam colere debeo ... De quibus rursus cum exagitari cœperint, quod corporea colant, maximeque terram, et mare, et aerem, et ignem ..... respondere audent non se ipsa corpora colere, sed quæ illis regendis præsident numina. Itaque Apostoli una sententia pœnam istorum damnationemque testatur: *Qui transmutaverunt*, inquit, *veritatem*

Multum interesse inter infamiam membrorum, quæ sub dio exponuntur injuriis cœli et morsibus avium . . . : et honorem . . . reliquiarum, quæ pretiosis linteis obvolutæ, et argenteis thecis inclusæ, in S. Basilicis asservantur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 112. [Op., tom. vii. col. 767. C.]

[Veræ Reliquiæ venerandæ sunt, non adorandæ.]

Reliquias autem Rex (quæ tamen veræ sint) *infert solenniter tumulo honorifico.* Cardinalis *obvolvit linteo, includit thecæ, asservat in Basilica.* Parum hoc interest. Sed Cardinalis non dimittit ibi, quiescere non sinit in *theca,* commovet subinde, atque effert e *theca* sua, ostentat sub dio, aut (quod Prophetæ *infamiæ loco* habetur) *expandit ad solem*[z], huc illuc circumfert, et circumferendo divexat, ad *quæstum* Sacrificuli, ad *illusionem* populi male feriati. *Cælo* inde *injuria* fit, quæ illis fit: et *murium* sæpe *morsibus* impetuntur, etsi non *avium.* Ecquis hoc *Patrum per annos quingentos* factitavit? Memorias tum quidem habebant, (ubi *reliquiæ* erant *Martyrum,*) Theatrica hæc vestra nesciebant. Sed et *Sepulcrorum adoratores* pariter habebant, ac *picturarum:* utrosque *superstitiosos*[a].

200 Idololatria est colere creaturam pro Creatore, atque imaginem [*leg.* imagini] falsi . . . Dei, . . . eum honorem habere, qui soli debetur Deo. . . Imagines vero Sanctorum nemo unquam . . . dixit imagines esse fictitiorum Deorum, neque . . . habendas esse pro Creatore, aut eo cultu, quo . . Deus adorandas. Videat ergo Rex, qua ratione habeat pro intoleranda idololatria . . Imaginum . . venerationem, cum . . . Imagines non sunt [*leg.* sint] Idola. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 112. [Op., tom. vii. coll. 767. D. 768. A.]

[Quid sit Idololatria]

Utrumque vero in vitio est, tam, *cum Creatore,* quam *pro Creatore, creaturam adorare.* Nec *imagini* solum *Dei falsi,* (quorsum autem *falsi,* cum nec veri imago ulla sit?) sed vel *æneo Serpenti* (in quo et veræ reliquiæ erant, et vera imago) thus adolere. Ecquis autem tam cerritus, ut reliquias ullas, Deorum? aut vero, ut reliquias, *imagines* sentiret vel diceret?

Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturæ, potius quam Creatori, Qui est benedictus in sæcula. Nam priore parte hujus sententiæ simulacra damnavit; posteriore autem interpretationes simulacrorum; effigies enim a fabro factas appellando nominibus earum rerum quas fabricavit Deus, transmutant veritatem Dei in mendacium; res autem ipsas pro diis habendo et venerando, serviunt creaturæ potius quam Creatori, Qui est benedictus in sæcula.

§ 5. Quis autem adorat vel orat intuens simulacrum, qui non sic afficitur, ut ab eo se exaudiri putet, ab eo sibi præstari quod desiderat speret? . . . Contra hunc affectum, quo humana et carnalis infirmitas facile capi potest, cantat Scriptura Dei res valde notissimas, quibus commemoret et tanquam excitet mentes hominum in consuetudine corporum dormientes. *Simulacra,* inquit, *Gentium argentum et aurum.*"—S Aug. Enarr. in Ps. cxiii. Serm. ii. Op., tom. iv. coll. 1799. A. seq. 1800. A. seq.]

[z] [Jer. viii. 2.]

[a] De Mor. Eccl. Cathol. [lib.] i. [cap.] xxxiv. [ut supra, p. 273. not. [z].]

Dixit diserte Rex *imagines adorandas non esse,* non *fictitiorum Deorum,* quos sibi (cum nihil opus esset) confinxit Cardinalis, sed neque *Sanctorum hominum.* Non *imagines Sanctorum:* non enim vel *Sanctos* ipsos *adorandos.* Nec eo cultu, quo Deus; Solus enim Deus eo cultu *adorandus. Adorandi* enim vocem usurpat e lege, e legis præcepto secundo, ubi mentio modo ejus est; quæ autem ibi *adoratio* ponitur, Christo Ipso interprete, *Soli Deo* competit. *Videat ergo Cardinalis, qua ratione,* quod uni Deo addixit lex, imaginibus suis impertiat: cum et imagines *idola* fiant, si *adorentur:* et *idolorum* adoratio *idololatria* sit habenda.

Porro Iconomachi dicti sunt; non qui . . . imagines quascunque . . . deturbabant, sed qui ex Templis imagines . . . sustulerunt, aut confregerunt; quod a Calvinianis . . . factum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 113. [Op., tom. vii. col. 768. A.]

[Quando imagines debent auferri.]

Porro, Ezekias procul dubio *Hæreticus* non fuit, (etsi *Iconomachus,* addo etiam *Iconoclastes* fuit:) qui imaginem non quamcunque, sed *Serpentem æneum,* (ut Cardinalis supra [b]) *imaginem Crucifixi,* non ex quocunque loco, sed ex *Templo ipso deturbavit,* et *confregit* [c]. Neque aliam ob rem, aliove consilio, *imagines* hic apud nos *sublatæ,* quam, quod illis, a superstitiosis quibusdam, hic factum, quod ibi *æneo serpenti.* Reponit de *Idolo* et *imagine.* At nulla est in lege *Idoli* mentio: *Similitudo* ibi *omnis* prohibetur, quæ, (si volet) ut genus, utrumque complectitur. Reponit *de adoratione:* Et est civilis adoratio, quis nescit? Sed quacum nobis negotii nihil. De *religiosa adoratione* agitur, quæ *soli Deo* debetur.

Catholici . . . imagines quidem adorant, sed ea adoratione, de qua scriptum est, 'Adorate Scabellum pedum Ejus,' Psal. xcviii., ubi per Scabellum pedum Domini arca lignea intelligitur; non ea, de qua legimus, 'Dominum Deum tuum adorabis.' . . . Matt. iv.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 113. [Op., tom. vii. col. 768. A.]

[Unum tantum adorationis genus.]

Sero autem distinguit Cardinalis de *adoratione ea,* et *non ea,* ubi lex ipsa non distinguit. Nec, quem adducit Psalmi locum, tempestivus hic est. Sed neque sic Augustinus, *ubi, per scabellum, arca lignea intelligitur* (si bene meminit Cardinalis.) Sic enim Augustinus: *Quæro quid* [leg. *quod*] *sit scabel-*

[b] [Bell. Apol. pro Resp.] p. 110. [Op., tom. vii. col. 767. B.]

[c] [2 (al. 4.) Reg. xviii. 4.]

lum pedum ejus, et dicit mihi Scriptura, 'Terra (autem) scabellum pedum meorum[d]*.' Quomodo adorabimus terram, cum dicat aperte Scriptura, 'Dominum Deum tuum adorabis*[e]*?' Fluctuans, converto me ad Christum, . . .* (non arcam ligneam) *et invenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adore-*
201 *tur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro (ejus) de terra est*[f]. Nihil ergo *scabello* ibi, et *ligneæ* vel *arcæ*, vel *imagini*. Sed neque sic Ambrosius, quod paulo ante posuit de *Scabello* pedum[g]. *Neque* enim, ait Ambrosius, *adorandum quicquam præter Deum legimus, quia scriptum* [*est*], *'Dominum Deum tuum adorabis, et Ipsi Soli servies.' Quomodo autem adversus legem Propheta præciperet, sub lege nutritus,* [*et*] *eruditus in lege? . . Per scabellum terra intelligitur, per terram* [*autem*] *caro Christi*[h]. Tamen et ipsa humanitas (ut disputat Augustinus) non nuda, vel sola adoranda est: sed divinitati unita, ut Regis purpura, non per se jacens, sed cum ea Rex fuerit indutus. Et, *cum vel illam adoras* (ait), *ne cogitatione remaneas in carne, et a Spiritu non vivificeris. Spiritus . . enim* (inquit) *. . vivificat, caro non prodest quicquam* [leg. *caro autem nihil prodest*[i].] Quanquam, si vel *Arca* sit (quod Cardinalis valde vult), et a *Scabello* argumentum ducat ad *imagines*, dicam, quod in re simili Tertullianus. *Si tu eundem Deum observas, habes legem Ejus, ne quid adores præter Deum: et, si præceptum post arcæ adorandæ respicis, et tu imitare Prophetam, nec adores imagines, nisi tibi Deus jusserit*[k]. Nec legunt ibi Septuaginta[l], nec vel Augustinus[m], vel Hieronymus[n], *Quoniam Sanctum illud*, sed, *Quoniam Sanctus ipse*. Denique non aliter ibi *adorare* jubentur *Scabellum* versu quinto[o] quam *montem ipsum* versu ultimo, eadem utrobique particula. Ad *Scabellum* scilicet, vel *montem* versus *incurvare* se (ut *ad*

[d] [S. Aug. Enarr. in Ps. xcviii. § 9. Op., tom. iv. col. 1520. D.]
[e] [Ibid. C.]
[f] [Ibid. D.]
[g] [Bell. Apol. pro Resp.] p. 107. [Op., tom. vii. col. 765. A.]
[h] [S. Ambr. de Spir. Sancto, lib. iii. cap. 11. Ben. (al. 12) sectt. 78, 79. Op., tom. ii. coll. 680. F. 681. A.]
[i] [S. Aug. Enarr. in Ps. xcviii. § 9. Op., tom. iv. col. 1521. B.]
[k] ["Si eundem Deum observas, habes legem Ejus, Ne feceris similitudinem; si et præceptum factæ postea similitudinis respicis, et tu imitare Moysen, ne facias adversus legem simulacrum aliquod, nisi et tibi Deus jusserit."—Tert.] de Idol. [cap. v. Op., p. 88. B.]
[l] [Προσκυνεῖτε τῷ ὑποποδίῳ τῶν ποδῶν αὐτοῦ, ὅτι ἅγιός ἐστι. — Vers. LXX. Interp.]
[m] [S. Aug. Enarr. in Ps. xcviii. § 9. Op., tom. iv. col. 1520. B.]
[n] [S. Hier. Op., tom. ix. col. 1249.]
[o] Psal. xcix. 5.

Templum alibi[p],) seu coram *monte* vel *Scabello*. *In monte*, vester vertit Interpres Arias[q]; ut *monti*, sic *Scabello*. Neutrobique vel *Scabellum* vel *montem*.

Imaginibus non supplicant, ... sed ante imagines prostrati supplicant Sanctis in cœlo, . . . quorum illæ sunt imagines. — [Bell. Apol. pro Resp.] p. 113. [Op., tom. vii. col. 768. A. B.]

Non supplicat imaginibus, sed prostratus ante imagines supplicat Sanctis, quorum illæ imagines. Non ipse forte Cardinalis, qui *metaphysice* doctus est: sed nonne populus? Quanquam, quid hoc aliud, quam quod Ethnicus ille apud Augustinum? *Simulacrum non colo, sed per effigiem . . ejus rei signum intueor, quam colere debeo*[r]. *An nescit, quod plus valet* [leg. *Plus enim valet*] *in affectibus miserorum similis viventi forma, quæ sibi efficit supplicari, quam quod eam manifestum est sensum non habere* [leg. *non esse viventem*], *ut debeat a vivente contemni? Plus enim valent simulacra ad curvandam infelicem animam, quod . . oculos . . et aures habent . . . : quam ad corrigendam, quod non vident, vel audiunt* [leg. *quod non loquentur, non videbunt, non audient*[s]]. *Quis enim adorat, vel orat, intuens simulacrum, qui non sic afficitur, ut ab eo se exaudiri putet, et ab eo sibi præstari, quod desideret et speret*[t]. Legat Theoriam hic in Augustino quis; videat praxin ejus Romæ, atque per totam Italiam. 202

[Vulgus Romanensium imaginibus supplicat.]

Sanctitatem aliquam Imaginibus Sanctorum tribuunt, sed relativam, id est, quam habent ex eo quod Sanctos ipsos repræsentent. — [Bell. Apol. pro Resp.] p. 113. [Op., tom. vii. col. 768. B.]

Relativam autem *Sanctitatem* tribuit *imaginibus*, id est, *minimam*. Quibus adorationem tamen vindicat, id est, cultum *maximum*. Relativa autem sunt *minimæ* entitatis. Nec communicant aliis sanctitatem ullam, cui tamen rei adhibentur. Nam *Dei* quidem præsentia quædam singularis faciet, ut *locus* sit *sanctus*: sed numquid *Imaginis*, ut *Collis asper*[u]? aut an ita *Diva* præsens *Imagini*, ut *Deus loco*? vel eademne relatio *præsentiæ*, et *repræsentationis*? Non recte hic secat Cardinalis. Aliud est *præsentem esse*, aliud, *repræsentare*. Tum *relationes* hæ et *distinctiones*, populone in mentem

[Sanctitas relativa cultum non exigit.]

[p] Psalm. v. 8. Psalm. cxxxviii. 2.

[q] [Vide Psalm. David. ex Hebr. veritate in Latinum carmen a Bened. Aria Montano convers. Ps. xcix. 9. p. 230. Antv. 1573.]

[r] [S. Aug. Enarrat.] in Ps. cxiii. [Serm. ii. § 4. Vide supra, p. 273.]

[s] [Ibid. § 6. Op., tom. iv. col. 1801. B.]

[t] [Ibid. § 5. Vide supra, p. 274.]

[u] [Vide supra, p. 235. not. [l].]

veniunt? aut an tutum eas populo committere? qui tamen sæpius imagini prosternit se, atque (audi etiam) supplicat, quam quivis Cardinalium. Certe lepidæ istæ distinctiones, *imaginis*, atque *idoli*, adorationis *propriæ* et *impropriæ*, Sanctitatis *absolutæ* et *relativæ*, (ausim dicere) priscis *sæculis* inauditæ, post annos pene *octingentos* exclusæ sunt.

Hæc omnia . . antiquis . . notissima erant, . . . ut non Satanæ fraus hæc Ecclesiæ obtruserit, sed pietas veterum conservaverit, et impietas Novatorum everterit, ut omnia monumenta salutis oblivioni apud Christianum populum traderentur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 113. [Op., tom. vii. col. 768. B. C.]

[Adoratio imaginum antiquis ignota.] *Antiquis notissima* dicit, nec tamen unum adducit de *antiquis*. Quis eorum hoc fecit unquam? quis dixit faciendum? Quis eorum imaginem dixit *similitudinem* non esse? Lex autem Dei *similitudinem omnem* interdicit: sit *idolum*, sit *imago;* si *similitudo* est, lege interdicta est. *Ne adoretur*, prohibet; nec restringit post, vel distinguit, *hoc*, vel *illo modo*. Cultum *adorationis* Deo soli proprium vindicat. Sanctitatem locis tribuit, ubi præsens Deus ex peculiaris alicujus beneficii ratione: non, ubi Patriarcha, vel Sanctus aliquis repræsentatus. *Non adorabis omnem similitudinem*. Imo *adorabis aliquam similitudinem*, annon ex diametro contraria? *Adorabis* vero, dum ne *sicut Deum*. Similitudinem adorabis, si *similitudo* tantum sit, non *idolum*. Imo *non adorabis*, ait Gregorius[y], quodque Gregorii tum pietas vetuit, ducentis pene post annis *fraude Satanæ* obtinuit: Et ut cohæreant hæc, glutino opus est de Scholis[z]: apud Patres, non reperias. Apertis autem per nos Sacræ Scripturæ codicibus, quos populo jam lingua legere licet, quam intelligunt, cautum magis est, ne *oblivioni tradantur salutis monumenta*, quam pictis vestris parietibus, de quibus Augustinus,

[y] ["Convocandi enim sunt dispersi Ecclesiæ filii, eisque Scripturæ sacræ est testimoniis ostendendum, quia omne manufactum adorari non licet; quoniam scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis, et Illi soli servies*, (Luc. iv. 8.) Ac deinde subjungendum quia picturas imaginum, quæ ad ædificationem imperiti populi fuerant factæ, ut nescientes literas, ipsam historiam intendentes, quid actum sit discerent, quia transisse in adorationem videras; idcirco commotus es, ut eas imagines frangi præciperes. Atque eis dicendum; Si ad hanc instructionem, ad quam imagines antiquitus factæ sunt, habere vultis in Ecclesia, eas modis omnibus et fieri et haberi permitto. Atque indica quod non tibi ipsa visio historiæ, quæ pictura teste pendebatur, displicuerit; sed illa adoratio, quæ picturis fuerat incompetenter exhibita."—S. Greg. M. lib.] ix. Ep. ix. [sec. vett. Editt.—lib. xi. Ind. iv. Ep. xiii. Ben. Op., tom. ii. coll. 1100. E. 1101. A.]

[z] [Conf. S. Thom. Aquin. Sum. Theol. Sec. Sec. Quæst. xciv. Art. ii. 'Ad primum.']

Sic omnino errare meruerunt, qui Christum et Apostolos Ejus, non in sacris codicibus, sed in pictis parietibus quæsierunt[y]. 203

Imagines Sanctorum non esse Idola, quia veros Dei . . . servos repræsentant. Quomodo etiam imagines Regum . . . Idola non sunt, quia veros homines repræsentant. — [Bell. Apol. pro Resp.] p. 114. [Op., tom. vii. col. 768. D.]

[Imagines fiunt idola, si quando coluntur.]

Nam, in quo se multum post cruciat, ut ex eo *Sanctorum* imagines *idola* non esse doceat, *quod veros homines repræsentent*, damus hoc illi. Ex alio enim capite *idola* dicimus, non quin existant ii, quorum nominibus appellantur, sed, quod id patiantur a Papistis, quod a Judæis *serpens æneus*: qui (ut Cardinalis fatetur[z], *evasit idolum*, non tamen, cum *serpentem habere cœpissent pro Deo* (quis tam demens, ut id unquam sentiret?), vel cum *sacrificaret ei populus* (nam nec id usquam Scriptura dicit), sed cum (quod sibi proprium *adorationis* genus reservat Deus) *incensum illi* (uti vos vestris quotidie *thus*,) *adoleret*. Sanctorum siquis effigies pingat, aut ære ducat, nisi et hoc addat facere, *idola* non sunt, non magis quam origine sua *serpens æneus*. Non sunt (inquam), sed fiunt, vel (ut Cardinalis) *evadunt*, si, quam sibi propriam vult *adorationem* Deus, in illius societatem vocentur.

Scriptura non vetat coli similitudinem omnis rei creatæ absolute, sed omnis . . , quæ pro Deo accipiatur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 114. [Op., tom. vii. col. 768. D.]

[Similitudines, adorationis ergo, non faciendæ.]

Prohibentur fieri similitudines, *non absolute*. Vere id quidem, *non facies tibi*. Sequitur autem, *non adorabis*, id sic omnes interpretantur, *non facies tibi, ut adores*. Ut ornatui sint, ut memoriæ, ut historiæ, non prohibet; prohibet, ut *adorationi*. Prohibitio faciendi restringitur ad *adorationem*. *Adoratio* ibi non restringitur, *absoluta* est. *Absoluta* etiam ratio. Zelotypiam enim mox profitetur: nolle se, vel *secum*, vel *coram se*, ullius rei similitudinem ullam adorari. Frustra autem dicas zelotypo, non tanquam maritum amplector adulterum: *absolute* enim amplexum nullum fert, omnem respuit. Ut Glossa hic Cardinalis, loco non suo. Ne quid enim illis *pro Deo* sit, ita ut ille *non solus pro Deo* sit, sed cum eo alii: id ante *præcepto primo* satis cautum, nec per

[y] [S. Aug.] de Consen. Evang. l[ib.] i. c[ap.] x. [(sect. 16.) Op., tom. iii. col. 1253. B.]

[z] [Bell. Apol. pro Resp.] p. 115. l. ult. [Op., tom. vii. col. 769. C.]

tautologiam hic jam repetendum: Declaravit eo versu *præceptum primum*, non hoc *secundum*. Hoc vero *secundo*, tam sibi propriam dicat vindicatque adorationem, quam Maritus pudicitiam uxoris suæ: quam si prostituat cuiquam mulier lubrica, frustra se excuset, non mœchum pro marito, sed pro amatore habuisse; non admisisse illum, ut sit sibi pro marito; sed ita, ut maritus sibi tamen *solus* futurus, nec *cum illo alius*, vel *præter illum*. Et vestri hi, non minus, pro *Idololatris* habendi, quam illa pro *fornicaria*. Nosti, quam ista
204 conveniant inter se, et *adoratores* hosce quam familiare sit Spiritui Sancto *fornicarios* pronuntiare.

Nam alioqui solebant Judæi venerari prostrati ad terram imagines Cherubim, et alia quæ erant in Propitiatorio.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 115. [Op., tom. vii. col. 769. B.]

[Veneratio non est adoratio.] At *Cherubim in Propitiatorio Judæi prostrati ad terram non adorarunt*. Haud enim illis unquam eo penetrare licuit, quo soli Sacerdoti summo, idque semel in anno tantum, fas ingredi. Nam *veneratos* esse eos *Sanctum Sanctorum* non dubitamus, qui et ipsi *Templa veneramur:* sed ad *adorationem* nimis angusta *venerandi* vox.

Quod . . . colligitur ex voce Hebraica in . . Psal. v. 'Adorabo ad Templum,' . . . et Psal. xcviii.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 115. [Op., tom. vii. col. 769. B. C.]

De *Scabello*, non repeto. *Adorabo* autem *ad Templum: id in Templo* est, vel *Templum versus*, non *Templum* ipsum *adorare*, itidem nec Scabellum.

Cum cœpissent . . . sacrificare serpenti æneo; cœperunt illum habere pro Deo, . . . et ideo zelus . . . Ezekiæ illum confregit. . . . Corpus Mosis absconditum fuit, ne in Idolum verteretur.—[Bell. Apol. pro Resp.] pp. 115. 116. [Op., tom. vii. col. 769. C.]

[Serpens æneus in idolum versus, merito destructus.] Frustra autem suadebit Cardinalis, vel frustum æris *pro Deo habuisse Judæos*, vel cadaver putidum *pro Deo* fuisse habituros. Suffitus honorem divinum impendisse serpenti, certum est: simile etiam quid Mosi mortuo impensuros. Quod Serpentem *vertit*, Mosis cadaver *vertisset in idolum*. *Confregit* serpentem Rex, quia jam *versus* in idolum. *Amovit* Mosis cadaver Deus, ne posset *verti*. *Zelum Regis*, sapientiam Dei imitati sunt, qui *confregerunt* imagines veteres, quæ *vertebantur*, summoverunt novas, ne *in idola verterentur*. Quanquam, quomodo *verti posset in idolum corpus Mosis*, vix

satis constet, si Cardinalis regulæ satis sibi constent: vertendum enim sic foret in nihil. Namque illi *Idolum, nihil.*

Sed labore opus non est. Si enim agatur de imagine, quæ Deum ipsum (ut est in Se) repræsentat, ejusmodi imago nulla ratione fieri potest.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 116. [Op. tom. vii. col. 769. D.]

Nec Cardinali habendæ hic gratiæ, quod largiatur non pingendum Deum *ut est in Se,* cum, *ut est in Se, pingi non posse fateatur.* Pingeret si posset, si visio ulla exstet uspiam, (qua, non Deus ipse, tantum opus ejus aliquod designetur) pingit statim, pingit sine scrupulo. Et odiosas illas Dei Patris (senili hominis forma) ac damnatas (vel a suis) repræsentationes non sinit aboleri. In lege quidem ingeminat Moses, *Custodite sollicite animas vestras, formam penitus non vidistis. Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus vobis Deus*[a]. Non tum quidem (dicet Cardinalis), sed post, visus forma senis, apud Danielem Deus[b]. At quem tamen (vel post visionem illam) *nemo vidit unquam*[c], si Christo credimus. Nec enim ibi, persona, operatio modo Dei, significata est. Nec sane tuta via vel regula sic ad visiones propheticas imaginem pingendi. Ita namque Cyrus *Arietis,* Alexander *Hirci* forma pingendus: Namque ea forma vidit eos ibi Daniel cum *Senem* vidit[d]. Verum Romæ (ut videtur) aer magis nebulosus est, Lovanii lux clarior. Lovanii enim *Imagines has quibus Deus Pater effigiatur in humana specie,* quas Cardinalis non prohibet, Regius ibi Professor Hesselius *censet omittendas, . . . idque se ex Patribus fecisse manifestum*[e]. Ille [*leg.* Illum] enim hic scrupulus nonnihil sollicitat: *Idiotarum in gratiam præcipue imagines has poni:* periculum autem esse, ne, si humana specie (puta *Senis* aut *Judicis*) Deus exprimatur, *facile in errorem Anthropomorphitarum Idiotæ incidant. . . Unde, non facile admittendas hujusmodi imagines, . . imo omittendas. Senilem* autem illam Dei Patris *imaginem, cum fixa maneat, ... et omnibus conspicua semper sit, nec semper rudibus præsto sit Doctor,* (*quomodo honor transeat ad exemplar immediate, et formaliter,* et *quomodo mediate et consequenter*[f],) diruendam esse. Ut et *metaphoricas alias, quas non tam facile apprehendunt*

[Imagines Dei Patris quidam Romanenses omnino vetant.]

205

[a] Deut. iv. 12—15.
[b] [Dan. vii. 9.]
[c] Joan. i. 18.
[d] [Dan. viii. 4, 5.]
[e] [Hesselius] in Decal. par. 1. cap. 66. [fol. 58. b. Lovan. 1567.]
[f] [Vide Bell.] de Imag. [lib.] ii. [cap.] 21. [Op., tom. ii. p. 456. A. B.]

[De cultu imaginibus debito mirse Bellarmini distinctiones.]

imperiti, propter quos præcipue imagines ponuntur [s]. Et quidem, de populo (cujus gratia imagines affiguntur) quis illa Cardinalis intelligat? *Quod imaginibus debeatur cultus quidam imperfectus; qui analogice et reductive pertineat ad speciem ejus cultus, qui debetur Exemplari.* Et (explicando se adhuc melius) *quod debeatur cultus quidam inferior, et varius, pro varietate imaginum . . . qui (scilicet) dici possit, dulia secundum quid; vel dulia analogice, sive reductive* [h]; quæ *adoratio per accidens, et impropria, rarissime exerceri solet* [i]: *Quod autem non dicitur nisi improprie, simpliciter negari potest* [k]. *Et forte* [*B.*] *Thomas ac* [*B.*] *Bonaventura* [l], [*et alii*] *hoc solum dicere noluerunt* [leg. *voluerunt* [m]]. Quodsi ita non est, ne vos quidem ipsi, inter vos adhuc, de cultu vestro convenitis. Quare trepidat hic: et tametsi concedat, *si de re ipsa agatur, imagines posse coli improprie, vel per accidens, eodem genere cultus, quo exemplar ipsum colitur* [n]: (id est latriæ), tamen, *quantum ad modum loquendi, præsertim in concione ad populum, non est dicendum, imagines ullas adorari debere latria, sed e contrario, non debere sic adorari* [o]: Etsi, *si de re ipsa agatur, sic adorari possent.* Quare vero non est dicendum? *Hic enim modus loquendi offendit aures Catholicorum, et præbet occasionem hæreticis liberius blasphemandi* [p], et conflaret invidiam Cardinali. Addit autem ibi Cardinalis rationem optimam: Quod, *qui defendunt, imagines adorari latria* (ut B. Thomas [q]) *coguntur uti subtilissimis distinctionibus, quas vix ipsimet intelligunt, nedum populus*
206 *imperitus* [r], qui reductiva hæc, et analogica, non capit, aut quomodo Christus *in obliquo* ponatur, et non *in recto.* Nam quod [s] *Concilium Senonense* [t], *et Moguntinum* [u], *jubent moneri populum, ne imagines adoret,* Nos idem hoc jubemus: sed

[s] [Vide Hesselium in Decal. par. i. cap. 66. foll. 58. a. b. 59. a.]

[h] [Bell. de Imag. lib.] ii. [cap.] 25. [Op., tom. ii. p. 457. F.]

[i] [Bell. de Imag. lib.] ii. [cap.] 22. [Op., tom. ii. p. 456. D.]

[k] [Bell. de Imag. lib.] ii. [cap.] 21. [Op., tom. ii. p. 456. A.]

[l] [Vide S. Bonavent. in lib. iii. Sent. Dist. ix. Art. i. Quæst. ii. Op., tom. v. pp. 111. 112. Romæ, 1596.]

[m] [Bell. de Imag. lib. ii. cap. 25. Op., tom. ii. p. 457. G.]

[n] [Bell. de Imag. lib.] ii. [cap.] 23. [Op., tom. ii. p. 456. E.]

[o] [Bell. de Imag. lib.] ii. [cap.] 22. [Op., tom. ii. p. 456. B. C.]

[p] [Ibid. D.]

[q] [Vide S. Thom. Sum. Theol. Sec. Secundæ Quæst. lxxxi. Art. iii. Concl. sect. 'Ad tertium,' et Quæst. ciii. Art. iv. Concl. 'Ad tert.' et Par. Tert. Quæst. xxv. Art. iv. Concl.]

[r] [Bell. ut supra, not. P.]

[s] [Bell. de Imag. lib.] ii. [cap.] 22. [Op., tom. ii. p. 456. C.]

[t] [Conc. Senon. (A.D. 1528.) Can. xiv.—Conc. tom. xiv. col. 457. A.—E.]

[u] [Conc. Mogunt. (A.D. 1549.) Can. xli. de Fide.—Conc. tom. xiv. col. 681. E.]

sine Glossa Cardinalis, *quod sine dubio intelligitur, de adoratione Latriæ*[x].

Affert (Rex) argumenta quædam [Joannis] Wicleffi, Quodsi crux ob contactum veneranda est, veneranda etiam fuisse labia Judæ, etc. Quæ argumenta . . . olim refutavit Thomas Waldensis.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 116. [Op., tom. vii. col. 770. A.]

[Utrum tactus Christi crucem sanctam reddiderit.]

Multa de Wicleffo mentitur Waldensis: nec de Wicleffo tamen hoc, (*de veneratione Crucis, et contactu Christi*) sed de Wicleffista nescio quo. Multo autem et hoc Wicleffo antiquius est; ut cui responsum olim dicit Waldensis[y] a Damasceno[z]. Nec refutat tamen ibi Waldensis argumentum illud, nec satisfacit Cardinali: fortasse nec Cardinalis Waldensi ipsi satisfaceret. Fatetur enim ibi Waldensis, *Tactum non facere, ut res sit adorabilis*[a]: qua ejus confessione, novæ hujus responsionis tota vis corruit. Nam, cum in eo discrimen ponit Waldensis, *quod res noxia fuerit*[b], Cardinali non placet; cui, et *labia Judæ* pariter *innoxia*, nec culpæ capacia[c]. Nec melius succedit ibi Cardinali, qui tactum mittit, ad *honorem* se recipit. Cur enim, tactus *instrumentum* sanctificet, vel *adorandum* reddat, si pars non sit, non autem, si pars sit? an in Christi tactu infirmitas ulla, ut illud possit, hoc nequeat? Adde quod, tam propinqua passionis instrumenta, tam immediata, manus crucifigentium, ac crux ipsa; nec passionem minus, quam actionem participant; cum instrumenta ad causam agentem reduci soleant. Denique, *impressam cruci* dicit *virtutem* Waldensis *ex contactu Christi*[d]: at Cardinalis, non nisi *relativam*.

[S.] Paulinus . . dicit se . . mittere partem [particulam] . . crucis auro inclusam[e] . . Incendium . . particula . . crucis . . restinctum[f] . . [S.] Augustinus . .

---

[x] [Bell. de Imag. lib. ii. cap. 22. Op., tom. ii. p. 456. C.]

[y] [Thom. Waldens. Doctrinal. tom. iii. 'De Sacramentalibus,' lib. xiii. cap. cxx sect. 4. fol. 224. col. 1. Venet. 1571.]

[z] [Joan. Damasc. de Fid. Orthod. lib. iv. cap. 11. Op., tom. i. p. 261. D. Paris. 1712.]

[a] [Thom. Waldens. ut supra.]

[b] ["Sed si res innoxia amanter tractetur a sancto . . . talem ab ipso et diligentibus eum mereatur honorem." —Thom. Waldens. ut supra.]

[c] [Hæc verba non ut sua, sed ut adversariorum, profert Bellarminus de Imag. lib. ii. cap. 30. Op., tom. ii. p. 461. F.]

[d] ["Si corpore non unitur ligno crucis . . . ut olim, tamen per virtutem insignissimam quam impressit ei, plus quam rebus aliis iisdem præsens est." —Thom. Waldens. ut supra, sect. 3. fol. 223. col. 3.]

[e] [Vide S. Paulin. Ep. xi. ad Sev.—Bib. Patr. Max. tom. iv. pp. 189, 190. et Ep. xii.—ibid. p. 192. D. E. F.]

[f] ["Ipse domum remeans modicum sed grande saluti
De crucis æternæ sumptum mihi fragmine lignum
Promo, tenensque manu adversis procul ingero flammis.
Nec mea vox, nec dextra illum, sed vis crucis ignem
Terruit."—S. Paul. in Nat. x. S. Fel. —Bib. Patr. Max. tom. iv. p. 291. E.]

ad terram sanctam ex monte Calvariæ allatam [in Africam] miracula fieri solita, et se cum alio Episcopo [eam] infodisse[g].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 117. [Op. tom. vii. col. 770. B. C.]

[Crucis particulas antiqui non adorabant,]

Sed *ambiebant* homines *particulas Crucis repertæ*, perquirebant, *auro inclusas mittebant*. Sed numquid *adorabant?* De hoc enim dicendum fuit. Felix *ignem compescuit*, virtutem operatus est. At non *adoranda* omnia, quorum interventu fiunt *miracula*. Non pulvis ille (credo) de Hierosolymis *allatus*, qui tamen pulvis nec *crucem* attigerat: (quippe de loco allatus, ubi resurrexit Christus, non ubi passus) nec ibi tum *crux*, vel diu ante quam posset attingere. Et longe aliud est *infodere*, ubi locus *orationis* sit: aliud, *adorare*.

[S.] Augustinus ... de umbra et [de] vinculis [S.] Petri.... 'Si tam medicabilis [fuit] obumbratio visitantis, quanto magis catena vincientis? Si inanis quædam species vacuæ imaginis habere potuit in se vim salutis, quanto plus... vincula[h],' etc.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 117. [Op., tom. vii. col. 770. C. D.]

[nedum vincula S. Petri.]

Non est autem ejusdem Augustini *Sermo ille quintus* [*tertius?*]: abest character ejus: (necdum erant, vivo Augustino, reperta *Petri vincula*). Si verus esset, male cum Petri
207 *primatu* Œcumenico ageretur, quem ille (quisquis est) ad *Judæos* revocat, quibus Petrum, Gentibus vero Paulum præficit[i]: ut Cardinalis, dum *umbram* sectatur, de *corpore* ipso periclitetur. Sed et qui *umbram* ejus *inanem quandam speciem* dicet *vacuæ imaginis*, adorandam non diceret: et qui *prosterni ante se* noluit Centurionem[k], noluit vel *ante umbram*, vel *catenam* suam. Et Cardinalem non ferret, qui obtrudit invito honorem hunc. Idem (credo) facturus et *Angelo*, qui Joannem repulit *adorantem*[l], ut qui bona sua non norint[m], nec *patiantur satis se coli pro dignitate*.

Dignissimus est (Petrus,) qui non solum adoretur adoratione illa, quæ Sanctis convenit, non ea quæ soli Deo propria est: =

[Omnimodam sibi adorationem deferri S. Petrus vetuit.]

Nec modestia solum, inscitia quædam erat. Peteret enim Angelus a Joanne, Petrus peteret a Cornelio; Hæc jam, quam mihi defers adoratio, estne *ea quæ Angelis Sanctisque convenit*, an *quæ soli Deo propria?* Nam, si *ea, quæ sanctis convenit;*

[g] [S. Aug. de Civ. Dei, lib. xxii. cap. viii. sect. 6. Op., tom. vii. coll. 1063. C. D. 1064. A.]
[h] [Pseudo-August. (fortasse Faust. Semipelag.) Serm. cciii. (in Nat. Apost. Pet. et Paul. iii.) Ben. sect. 5. apud S. Aug. Op., tom. v. Append. col. 2870. C.]
[i] [Ibid. sect. 1. col. 2869. A.]
[k] [Act. Apost. x. 26.]
[l] [Apoc. xix. 16.]
[m] [Virg. Georg. ii. 458.]

perge age, *adora*, quantum voles. Certe autem, nec Joannes Angelum, nec Centurio Petrum pro *Deo* habuit, sed (per errorem scilicet) sanctam omnem et religiosam adorationem Deo soli non putabant convenire. Quem hic errorem castigat Cardinalis.

= Sed ut ejus vincula auro pretiosiora æstimentur: religioseque in universa Ecclesia colantur.—Bell. Apol. pro Resp.] p. 118. [Op., tom. vii. col. 770. B.]

De *pretio* autem nemo contendet, scimus vinculorum scobem exiguam auro non exiguo sæpe venditam, et Crucis item assulas, etiam falsam scobem, nec veras assulas: nec proin res viles, sed venales, si emptorem reperiant bene nummatum, et cui tanti vitrum sit, quanti Margaritum. Quid si autem non viles, ergone adorandas? Maleque dicitur *spretam Crucem*. Non spernit Rex, nec adorat tamen: Sed neque Cardinalis ipse omnia, quæ non *spernit, adorat* protinus.

Post crucem Domini spretam, transit [Rex] ad Purgatorium [irridendum.]... Falsum est, ... a Bellarmino nullum fundamentum Purgatorio ex scripturis astrui potuisse. Siquidem ... viginti, Scripturæ [sacræ] testimoniis ... astruxit.—Bell. Apol. pro Resp.] p. 118. [Op., tom. vii. coll. 770. D. 771. A.]

Jam ad *Purgatorii ignem* calescit. Nam, si frigeret ille, frigeret et alius in foco, cui diu jam *Purgatorii* opinio fomenta ministravit. Corrasit quidem, hinc inde, *Scripturæ loca*, ubi ulla *ignis*, ulla *purgandi* mentio, etiam ubi neutrius. Sed quæ Matthæum Tortum decerent, ita miscre detorta, et quæ nemo legit, quin misereat eum statim, et Cardinalis, et causæ. *Nullum* ibi *fundamentum*, merito Rex dixit. Pleraque enim tam non liquida, ut integrum ei caput consumendum sit, quo affingat eis aliquam saltem veri similitudinem. Ipsum si placet, audite. *Quia forte*, aut *certe*, *aut saltem existimabant posse fieri*[n]. *Tamen credibile est*[o]. *Hæc verba varie exponi*

[Purgatorium in Scripturis nullum certum habet fundamentum.]

[n] ["Ad quintum dico, peccatum illorum (vide 2 Macc. xii.) aut fuisse veniale, quia forte ignorabant legis prohibitionem, ... aut saltem Judam Machabeum ita existimasse ... Adde ultimo saltem incertum fuisse statum illorum et propterea licuisse pro eis orare."—Bell.] de Purg. [lib.] i. [cap.] 3. [§] 'Ad quintum.' [Op., tom. ii. p. 392. B.]

[o] ["Tertius locus est 1 Reg. ultim. ubi legimus, quod habitatores Jabes Galaad audita morte Saul jejunaverunt septem dies. Et 2 Reg. 1. David flevit et jejunavit pro Saule et Jonatha et aliis occisis, quod idem fecit pro Abner, 2 Reg. iii. Quamvis enim hæc videbantur fieri in signum doloris et tristitiæ, tamen credibile est præcipue facta esse ad juvandas animas defunctorum."—Bell.] de Purg. [lib.] i. [cap.] 3. § 'Tertius.' [Op., tom. ii. p. 392. E.]

possunt[p]. *Hic etiam locus habere potest varios sensus*[q]. *Hunc*
208 *locum, adducunt passim pro* [*liberatione Patrum ex*] *limbo, tamen melius convenit* [*liberationi animarum ex*] *Purgatorio*[r], (ita dum *Purgatorio* consulat, quid *Limbo* fiat, parum sollicitus.) *Quanquam, hæc pœna non est ea, de qua nunc agimus*[s]. *Non sequitur quod inferimus ex verbo Domini*[t]. *Nota locum istum* [*Apostoli* 1 *Cor. iii.*] *esse unum ex difficillimis*[u]. *Sive hanc* [*expositionem.* sc. 1 *Cor. xv.*] *sequimur, . . . sive primam*[x], (de qua prius dixerat.) *Tamen non puto veram hanc expositionem*[y]. Denique ne multus sim. *Utuntur nostri hoc loco* (1 *Cor. xv.*); *sed tamen non videtur multum urgere*[z]. Vides quam arenosa hæc, quam lubrica, merito ut Rex dixerit, *nullum* ibi *fundamentum*. Refrixit vero valde Purgatorium, ex quo locum illum *primæ ad Cor. iii.* per fornacem suum transire fecit Cardinalis et rejecit[a]: cum magno autem id, ut timetur, totius fabulæ detrimento. Nam is locus aliis maxime videbatur ad rem, et *textus multum allegabilis:* et quidem non ita pridem Pater Lusitanus, vir non infimi nominis, congressus Lutetiæ cum Ministro (de nostris uno,) ubi ventum ad Purgatorium, cum dimicandum pro eo foret, locum illum tanquam *Clavam Herculis* adhibuit, ursit, pressit, quantum potuit, quasi positæ in eo fortunæ Purgatorii, quasi nisi locus iste substet, actum de Purgatorio. Pergratum itaque nobis fecit Cardinalis, qui tanto labore perpurgavit nobis locum illum, et frigere ibi docuit Purgatorium rem calidissimam. Cujus jam auctoritatem nobis liceat, locum illum afferenti, tanquam *Ajacis Clypeum* opponere, et, siquis ei fer-

[p] ["Quartus locus est Ps. xxxvii. *Domine ne in furore*, etc. Etsi enim hæc verba varie exponi possunt."—Bell. ibid. §] 'Quartus.' [Op., tom. ii. p. 392. E.]

[q] ["Quintus locus est Psalm. lxv. *Transivimus per ignem*, etc. Hic etiam locus potest habere varios sensus."—Bell. ibid. §] 'Quintus.' [Op., tom. ii. p. 392. F.]

[r] ["Nonus locus est Zach. ix. *Tu autem in sanguine Testamenti tui*, etc. Etsi enim hunc locum, etc." ut in textu.—Bell. ibid. §] 'Nonus.' [Op., tom. ii. p. 392. F. G.]

[s] ["Decimus locus est Malach. iii. *Ipse sedebit quasi ignis conflans*, etc. Quanquam pœna illa purgatoria non est ea, de qua nunc agimus."—Bell. ibid. §] 'Decimus.' [Op., tom. ii. p. 392.]

[t] ["Respondeo, non sequi secundum regulas Dialecticorum, id quod inferimus ex verbis Domini." (sc. Matt. xii.) —Bell. de Purg. lib. i.] cap. 4. [§] 'Respondeo non sequi.' [Op., tom. ii. p. 393. B.]

[u] [Bell. ibid.] cap. 5. [§] 'Secundus.' [Op., tom. ii. p. 393. D.]

[x] [Bell. ibid.] cap. 6. [§] 'Secundum.' [Op., tom. ii. p. 397. A.]

[y] [Bell. ibid. §] 'Prima est.' [Op., tom. ii. p. 396. B.]

[z] [Bell. ibid.] cap. 8. [§] 'Utuntur.' [Op., tom. ii. p. 398. F.]

[a] [Vide Bell. de Purg. lib. i. cap. 5. Op., tom. ii. pp. 393—396.]

vidus instet, frigidam ex Cardinale suffundere. Calet tamen terminis, etsi res ipsa deferbuit. Et *certissimum dogma fidei*, et *perspicue ad eam pertinere*, et *hoc se demonstrasse*. Ita solent quibus decoxit res, magnifice multa sibi domi talenta gloriari. *Fideine dogma perspicuum*, aut *demonstratum ei* usquam? Vah! de quo toties, *tamen non puto*[b], *tamen non videtur*[c], *forte hoc; aut hoc, aut saltem illud posse fieri*[d]. *Varie exponi potest*[e], *varios sensus habere potest*[f]. *Non sequitur quod inferimus ex verbis Domini*[g]. Cujus quidem in sacris literis basis firmior non est, locum id habere potest inter *opiniones scholæ*, quæ non sine formidine contrarii sunt: inter *fidei articulos* non potest. Loco ergo suo consistat, *opinio* sit; ex Platone forte vel Virgilio astruenda[h]: ad *fidem* ne pertingat, ne *dogma* quidem Ecclesiasticum habeatur.

Demonstravit Bellarminus Purgatorium ad fidei dogmata ita perspicue pertinere, ut quodlibet aliud certissimum dogma fidei.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 118. [Op., tom. vii. col. 771. B.]

Qui vero *demonstravit* rem Cardinalis *perspicue*, ut nullo colore negari possit? cum, et *an ignis ibi sit*[i], et an *hæc vel illa peccata* purgentur ibi[j], et de loco[k], et de tempore[l], etc. nihil ibi certi habere se doceat[m], ubi texit tamen demonstrationes suas de fide. En ut *demonstret: Genesis non est liber Dogmatum*[n]. *Saltem, implicite continetur in Genesi.* Ubi implicite? *Surrexit Abraham a facie mortui.* Ubi hic *demonstrat* Purgatorium? Convertit *faciem mortui* in officium funeris. Ubi vel illic? *Quis* (inquit) *prohibet per* illud *officium intelligere orationes et jejunia*[o]. (Puta pro anima Saræ

[In eo demonstrando defecit Bellarminus.] 209

[b] [Vide supra, not. [y].]
[c] [Vide supra, not. [z].]
[d] [Vide supra, not. [a].]
[e] [Vide supra, not. [p].]
[f] [Vide supra, not. [q].]
[g] [Vide supra, not. [t].]
[h] [Conf. Plat. Gorg. § 171. Op., tom. vii. p. 367.; Phæd. § 143. Op., tom. v. p. 360.; et Virg. Æn. vi. 739.]
[i] ["Communis sententia Theologorum est, verum et proprium esse ignem, et ejusdem speciei cum nostro elementari. Quæ sententia non est quidem de fide."—Bell. de Purg. lib. ii. cap. 11. Op., tom. ii. p. 413. A.]
[j] [Vide Bell. de Purg. lib. ii. cap. 1. Op., tom. ii. pp. 405, 406.]
[k] [Vide Bell. de Purg. lib. ii. cap. 6. Op., tom. ii. pp. 409, 410.]
[l] [Vide Bell. de Purg. lib. ii. cap. 9. Op., tom. ii. p. 412.]
[m] ["Cum qua fide certa (de Purgatorio) potest consistere dubitatio, de qualitate pœnæ, quæ infligitur, de qualitate peccati, quod punitur, de loco, tempore, etc."—Bell. de Purg. lib. i. cap. 15. § 'Respondeo.' Op., tom. ii. p. 404. C. D.]
[n] [Vide Bell. de Purg. lib.] i. [cap] 15. [§] 'Dico secundo.' [Op., tom. ii. p. 405. A.]
[o] ["Dico ultimo implicite saltem contineri in Genesi mentionem Purgatorii. Quando enim dicitur Gen. xxiii. *Et surrexit Abraham ab officio funeris*, quis prohibet per illud '*Officium*' intelligere non solum lachrymas, sed etiam orationem et jejunium."—Bell. de Purg. lib. i. cap. 15. §] 'Dico ultimo.' [Op., tom. ii. p. 405. A.]

in Purgatorio.) *Quis prohibet?* Imo quis jubet? Sed tamen, *Quis prohibet?* annon *perspicua demonstratio?* De loco autem, si (ut ait Cardinalis) consistere possit dubitatio; an, abs re fuit dubitatio Regis, et quæstio de natura loci, *si campus viridis, annon rivus interfluat?* ut illudat vobis merito, qui et locum ipsum describitis, de quo tamen dubitationi locum relinquitis.

Quod attinet ad viridem . . . campum Purgatorii, sciat . . . relata esse ex venerabili Beda [p].—[Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 771. C.]

[Quæ scripsit Beda de Purgatorio, parvi habenda.]

Nam Beda noster Auctor, cætera non malus, ut neque Gregorius vester, at ad cujusvis de plebe somnia et visa vehementer credulus; et eo nomine notatus a vestris[q]. Nos autem silentio illa premi sineremus, nisi Cardinalis nos ita *in apricum Campum* deduxisset. *Gehennam manere eos qui Purgatorium non credunt,* Tortum olet: quæque maligno Torto digna vox sit, non Sancto Cardinale, ut in qua minus adhuc caritatis sit, quam fidei in re Purgatorii. Caveat vero: *Omen* ipsum sæpe rediit in *male ominantem.*

Supervacanea cogitatio est, quemadmodum se habeat Purgatorium apud eos, qui negant Purgatorium, cum satis constet, eos non Purgatorium sed Gehennam manere.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 119. [Op., tom. vii. col 771. C.]

[Spes Purgatorii metum gehennæ sæpius expulit.]

Justior autem ratio est, ut qui Purgatorium non credunt, ne eos maneat purgatorium: sed, cum cœlum credant, eo se comparent: cum et *gehennam,* omni eam ratione fugiant. At, qui credunt purgatorium, caute admodum attendant, ne decepti regione viarum, *gehennam* adeant pro *purgatorio. Sunt enim loca vicina*[r], si Cardinali credimus. Vestros quidem multos, dum adeundi modo *Purgatorii* spe lactat Pontifex per *Indulgentias* suas, deduxit ad *gehennam,* qui, si *gehennam* forte solam timuissent, (timuissent autem, nisi dementasset eos spes illa,) *gehennam* vitare potuissent.

Primatum [S.] Petri . . . præcipuum articulum esse dicit, in quo a nobis dissentiat. . . . Ita est omnino, qui negat [negant] Caput Ecclesiæ S. Petrum fuisse, eundemque primatum in Apostolos habuisse, atque in eodem pri-

---

[p] [Bedæ Hist. lib. v. cap. 13. p. 416. Cant. 1643. ut citat. a Bell. de Purg. lib. ii. cap. 5. Op., tom. ii. p. 410. G.]

[q] ["Ille (Beda) in Historia Anglorum, ille (Gregorius) in Dialogis quædam miracula scribunt vulgo jactata, et credita, quæ hujus præsertim sæculi Aristarchi incerta esse censeluntur"—Melch. Canus de Human Hist. Auct. lib. xi. cap. 6. Op., p. 540.]

[r] [Bell. de Purg. lib.] ii. [cap.] 6. [§] 'Quinta' [Op., tom. ii. p. 409. H.]

matu Romanos Pontifices S. Petro succedere, is [ii] fidem Catholicam negat [negant]. Id . . . non Bellarminus solum [solus] probatum reliquit, sed plurimi alii Doctores Catholici, atque inter alios Nic. Sanderus[s].—[Bell. Apol. pro Resp. p. 120. [Op., tom. vii. coll. 771. C. D. 772. A.]

Ventum est, ab *avaritia* Romana ad *superbiam*, a *Purgatorio*, unde lucrum, ad *Primatum Petri*, unde fastus Pontificum. Arcem quidem Romanæ causæ, nec *præcipuum* tamen *articulum*, de quo lis, nisi qua ad vos. Sed (ut a vobis inique comparatum jam est) Cæsari Regibusque præcipue Symbolo vestro novo eximendum. Nec id tamen est *fidem Catholicam negare*, siquis *S. Petrum Ecclesiæ Caput*, cum nusquam in Evangelio legerit, nullus dixerit: si voce abstineat, quam in sacra pagina reperire non est. Sed neque, si *Primatum in Apostolos habuisse* non dixerit, (*inter Apostolos* forte:) etsi alterius hæc loci sint: ac jam nobis non de *Primatu* ejus lis sit, sed terrestri Monarchia, quam, non *in Apostolos*, sed *Reges Gentium* exercuerit. Ubi vobis nec ad horam cessuri sumus[t]. At *Successores habere*, in, *vel Apostolatu suo, vel, in Apostolos primatu Romanos Episcopos;* id vero (ita est omnino) per *quingentos* amplius annos *in fide Catholica articulum ullum* fuisse, pernegamus. Nec Carthaginensi Sexto[u] ad fidem spectabat quæstio hæc: sed *inter Patres* ibi libere disputata. Conclusum autem contra Romanum. Pro qua *fide* vestra venali reddenda quicquid afferri potuit, abunde refutatum est, etiam priusquam Bellarminus, ac vel Sanderus, verbum scriptitasset; qui *corniculæ* modo sunt *furtivis* aliorum *coloribus*[v] vestitæ, nec de suo novi quicquam attulerunt. At quorsum hic nomen Sanderi? Numquid et Sanderus *inter Patres*, aut intra *sæculum quintum?* Imo nec *decimum quintum.* Sed quocunque *sæculo* demum, *sæculi* sui dedecus, nec vel nominandus hic, nisi quia *Hierarchiam* primus mutavit in *Monarchiam*, quem præ cæteris ideo selegit Cardinalis, sed in magnum doctrinæ suæ opprobrium, cui auctorem nullum nominat nisi turpem proditorem. *Perduellis*, in *perduellionis* actu ipso, actus in rabiem, in ipsa rabie simul, et *perduellione* obtruncatus[w], is demum gravis auctor et idoneus *Monarchiæ* huic Pontificis exstruendæ.

[Primatus S. Petri non fidei articulus.]

210

[In Conc. Carth. vi. disputatus.]

[s] [Vide Sanderum de Visib. Monarch.]

[t] [Gal. ii. 5.]

[u] [Conc. Carth. vi.—Conc. tom. ii. coll. 1589—1593.]

[v] [Cf. Horat. Epist. I. 3. 20.]

[w] [De Morte Sanderi, qui fame, non rabie, periit, vide Rishtoni Præfat. ad Sanderum de Schism. Angl., et Camdeni Annales, par. iii. p. 372.]

Episcopos esse [in Ecclesia] debere, idque ordinatione divina [nos etiam scimus et docemus]: sed alia quæstio est utrum . . . immediate jurisdictionem a Deo accipiant, an a Petri successore. Nam Presbyteri . . . divina ordinatione debent esse in Ecclesia, et tamen jurisdictionem non a Deo immediate, [sed ab Episcopis] accipiunt. [Itaque duo ista non pugnant inter se.—Bell. Apol. pro Resp.] p. 120. [Op., tom. vii. col. 772. A.]

[Episcopi Jurisdictionem a Deo habent.]

Quod *Episcopi immediate a Deo sint,* non negat hic Cardinalis: quod *a Deo immediate jurisdictionem habeant,* id negat; et annon *pugnant hæc inter se?* Qua enim, et unde Episcopi sunt, *jurisdictionem* habent: nec, vel re duo hæc, vel ratione dividuntur. An enim Spiritus Sanctus *Episcopos ponit,* dat ut Episcopi sint, sed sine *jurisdictione,* donec gratificetur eis illa Romanus Episcopus? Par est autem et de presbyteris ratio: ad manuum impositionem, quicquid vel habent, vel sunt, a Deo itidem consequuntur. Locus assignatur forte certus aliquis, ubi, et populus, in quem exerceant. Potestas ipsa a Deo est.

Quod . . . Rex Puritanos cum Jesuitis comparet, omnino mirabile est, cum Puritani anarchiam, Jesuitæ Monarchiam [Ecclesiasticam] . . . defendant. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 120. [Op., tom. vii. col. 772. B.]

[Jesuitæ Puritano-Papistæ.]

Dixit vero, *Jesuitas* nihil aliud esse, quam *Puritano-Papistas*[x]: dixit aptissime; quod tamen intelligi noluit de quibusdam ex *Societate* illa (contra tamen mentem Loïolæ) *incardinatis*[y]. Pro viribus illi quidem, etiam ultra vires, pro *Monarchia Pontificia.* At non omnes alii, quibus decollavit spes *purpuræ:* quos non nemo mussantes audivit, melius, et magis ad Apostolorum et mentem, et exemplum, per Societatem administrari posse Ecclesiam, (saltem per *duodecim viros*) quam per *unum* quemlibet. Sed, *quia desunt eis vires*[z], mussant hæc modo: cum *vires aderunt,* apertius rem gesturi.

211

Neque minus admirabile est, quod Rex hoc loco fateatur, a Puritanis Anarchiam et parilitatem [leg. paritatem] quandam introduci, et tamen . . . (post) Puritanos non abhorrere a Juramento fidelitatis[a] [leg. primatus.—Bell. Apol. pro Resp.] p. 120. [Op., tom. vii. col. 772. B.]

[Quænam sit Puritana parilitas.]

De *parilitate* autem, (quam valde vellent *Puritani*) distinguat Cardinalis, velle, *inter ministros* modo, seu *presbyteros,* (nempe, ut *Episcopi* ne sint, quibus *impares* se inviti ferunt) ad *Regiam* autem *potestatem* ne extendat; et, statim *mirari* desinet. Distinguat itidem, inter *res fidei,* in quibus ne ii

[x] [Præfat. Monit. p. 60.]
[y] [Vide supra, p. 6. not. [b].]
[z] [Bell. de Rom. Pont. lib. v. cap. 7. Op., tom. i. p. 235. G.]
[a] [Vide Mendac. Torti Confut., ad calc. Præf. Monit. p. 180.]

quidem hic, quos *Puritanos* appellat (nisi plus etiam quam *Puritani* sint), a nobis, nec nos ab illis dissentimus; et *disciplinæ res*, quam aliam ab Ecclesiæ prisca forma commenti sunt: et potest in *fidei confessionem* subscribere, qui in *Disciplinæ forma* secus sentiat. Ita cessabit statim omnis *admiratio*, tertium jam *mirabundi* Cardinalis.

Mirum . . . quod Rex tam iniquo animo ferat, quod scripsit [leg. scripserit] Bellarminus . . Jacobum in Scotia fuisse Puritanum, . . . cum tamen exstet confessio Scotica a Puritanis . . . conscripta, et a Rege subscripta . . . Quam confessionem scripto libro refutavit Episcopus Vasionensis, natione Scotus, et librum suum edidit Avenione ann. 1601. . . . Nam de ista re sollicitus non sum, neque ad me pertinet, scripsi tamen, . . . quod a testibus fide dignis (et) audivi, et . . in libris aliorum legi.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 121. [Op., tom. vii. col. 772. B. C.]

[Confessio fidei, cui Rex subscripsit, nihili habenda.]

At in ea *Confessione Fidei*, cui tum *subscripsit*, nihil etiam est quod vel nunc quidem non agnoscat Rex pro vero, et Catholico. Non, de *doctrinæ* quidem Capitibus. Nam de *disciplinæ*, exceptionem habet ætatis. Qui potuit de iis judicium ferre herbescente adhuc ætate? Cardinalis ipse cum *decimum quartum* ætatis annum ageret, (is enim Regi annus agebatur Anno 1581) quid ea ætate scripserit, nec anxie inquiri libens sineret; nec referre multum putaret.

[Vasionensis Episcopus, qui eam refutavit, quanti habendus.]

Nam de *Vasionensi Episcopo*[b], qui *Confessionem* illam sic (ut dicis) *refutavit*: novimus, qui vir siet, et quam ab ingenio ac doctrina ad libros scribendos comparatus. Ille vero fecit quod ingenui erat. Excusavit se Regi de facto, nec librum a se scriptum, nominis tantum sui præscribendi copiam a se factam, nec præterea peccasse quicquam. Et est vir (ut fertur) minime malus, sed φιλόξενος magis quam διδακτικὸς[c], quique aptior sit, ut mensis ministret, quam ut verbo vacet, vel scriptioni. Quare, nec Gentem ascribat hominis tam sollicite, neque vel *locum* ubi liber excusus, vel *annum Domini*. Quanti sit *scriptum* illud, quanti *Scriptor*, quam illustris *Auctor*, omnia hæc Regi notissima. Densavit vero, utroque libro[d], argumenta Rex, quibus occludi possit os, et in æternum 212
deleri calumnia, de *Puritano*. Sed en Cardinalis indolem. Scribit, quod *legit* uspiam, in libello quantumvis famoso;

[b] [Gulielmus Chisholm, Episcopus Vasionensis, (cf. Gall. Christ. tom. i. p. 936.) auctor libri cui titulus 'Examen Confessionis Fidei Calvinianæ, quam Scotis omnibus ministri Calviniani subscribendam et jurandam proponunt. Aven. 1601.,' et Gallice Paris. 1603.]

[c] [Conf. 1 Tim. iii. 2.]

[d] [Basilico sc. Doro, et Præfat. Monitor.]

quod *insusurrat* ei quivis transfuga; deinde aculeo dimisso, *non est sollicitus de re*, nec *ad illum pertinet*, de læsa, vel alterius *fama*, vel *fide* sua. Sic Romæ scribitur, sic vivitur.

> Hic . . . Rex eadem luce veritatis negavit Pontificem Romanum Ecclesiæ Universæ esse Monarcham, qua Spiritum Sanctum affirmavit . . . Christi Vicarium esse.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 121. [Op., tom. vii. col. 772. D.]

[Pontifex haud Ecclesiæ Monarcha.]

Monarcha, et *Monarchia Ecclesiæ* a Sandero sunt, et Sanderi *patre Diabolo*, a tenebris mendacii, non *luce veritatis*. Namque hæc *fumosi typhi*[e] nomina, et *lux*, et liber *veritatis* dispellit. Quam *lucem* Cardinalis si rideat, ab igne fatuo Sanderi lumen sibi accendat, atque in eo ambulet.

> Cum ordinarie inferior sit, qui alterius vices gerit, eo cujus vices gerit, . . . certe si Spiritus Sanctus Christi vices gerit in Ecclesia regenda, Christo inferior erit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 121. [Op., tom. vii. col. 772. D.]

[Spiritus Sanctus, quanquam Christi Vicarius, haud Christo inferior.]

Nec id ægre feret Cardinalis, si, cum Regna mundi nemo unus moderetur, nemo moderandis par sit, nec unum aliquem parem putemus Ecclesiarum (quam late patet orbis) universitati regendæ. Si Christum, et qui a Christo missus est, *Spiritum*, absque alio *Vicario* quoquam, præesse patiamur huic muneri; si contenti duobus his, tutiores nos denique, sub ductu *Spiritus Sancti*, quam sub *Pontificis*, esse statuamus. Sensit stringi se Cardinalis hic, *novitiam* ergo *hæresim* et *nuperam* commentus est. Siquis *Spiritum Sanctum Christi vices explere dicat, eo ipso Spiritum Christo inferiorem dicere*. Diffidenter tamen hoc. Non enim *absolute*, sed *ordinarie inferiorem esse, qui vices alterius gerat. Ordinarie?* qua voce meditatur fugam, siquis premat arctius. Missum a Christo Spiritum, non negabit (scio.) *Ordinarie* autem *inferior est mittente, qui mittitur*: nempe, ut *Apostolorum* collegio Petrus, a quo *missus in Samariam*[f]. Missum autem Spiritum, ad *Vicariam operam*, ut *in memoriam eis revocaret*[g], quæ Christus dixerat; nec, a *semetipso, sed a Christo accepturum, quæ illis annunciet*[h]; ne hoc quidem negabit. Et quid hoc, *revocare in mentem quæ Christus dixerat, a Christo accipere quæ illis annunciet*, aliud, quam *vices explere? Paracleti* nomen quid aliud sonat, quam *Advocatum? Advocatus* quid aliud, quam alterius vices explentem? Et *Advocatus noster Christus*, nec nobis tamen (puto) inferior. Denique, nec voce ipsa *Vicarii*

[e] [Vide supra. p. 91. not. [n].]
[f] [Act. Apost. viii. 14.]
[g] [Joan. xiv. 26.]
[h] [Joan. xvi. 15.]

Tertullianus abstinuit, 'De velandis virginibus,' cap. 10. *Ab illo Vicario Domini Spiritu*[i]. Iterum, 'De præscriptionibus,' cap. 28. *Neglexerit officium Dei villicus, Christi Vicarius Spiritus Sanctus*[j]. Nec est habitus tamen *ordinarie,* ab ea voce, *Hæreticus.* Qui ad idem exemplum, contra Praxeam, cap. 24.[k] 213
Christum itidem dicit *Vicarium* Patris: nec Christum tamen Patre, nec Spiritum Christo inferiorem. Cur eandem vocem usurpare Regi non licuit? nisi jam non Pontifex solus, *Cardinales* etiam (sine *Cathedra*) *hæresin* excudendi jus habeant. Nondum bimula tamen *Hæresis* hæc, nec ulli præterquam Cardinali, et *Jesuitastris* quibusdam, qui, quicquid Cardinalis exscreat, quasi mel merum sit, elambunt protinus. Jubeo vero securos esse de Christo, missionem suam non revocabit, (quod facit Papa subinde), nec periculum esse ullum, ut privetur officio Spiritus. Jubeo itidem securos esse; non id agitur, ut deprimatur ulla ex parte Spiritus, qui etsi a Christo missus, etsi a Christo accipiens, non semetipso, Christo tamen par usquequaque est. Id agitur, ut locum suum capessat Spiritus, descendat Pontifex; et titulum mendacem exuat, quem ante annos mille quadringentos Tertullianus Spiritui addixit, Pontifici vix alius, quam Pontifex ipse. Quamquam, litem (credo) Tertulliano non movebit de *Vicariatu Christi;* si (quem diu jam prensat) *Vicariatu Dei* potiri detur; ut non tam *Ecclesiis* (quæ minus ei curæ), quam *Imperiis,* (quæ magis cordi) *dominari* possit. Nam, et ad illam *celsitudinem scalæ* ei jam fiunt, sed *quo magis in altum attollitur, graviori lapsu* (ut spes est) *ruituro*[l].

Sic [loquitur] S. Augustinus; 'Post promissionem Spiritus, ne quisquam putaret, quod ita Eum Dominus daturus fuerit velut pro seipso, ut non et Ipse

---

[i] ["Cum propterea Paracletum miserit Dominus, ut quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat, paulatim dirigeretur, et ordinaretur, et ad perfectum perduceretur disciplina ab illo Vicario Domini Spiritu Sancto."—Tert. de Vel. Virg. cap. i. Op., p. 173. A.]

[j] ["Age tunc, omnes erraverint; deceptus sit et Apostolus de testimonio reddendo; nullam respexerit Spiritus Sanctus, uti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut esset doctor veritatis; neglexerit officium Dei villicus, Christi Vicarius."—Tert. de Præscript. Hæret. cap. xxviii. Op., p. 212. A.]

[k] ["Secundum hæc enim, Vicarium Se Patris ostenderat, per Quem Pater et videretur in factis, et audiretur in verbis, et cognosceretur in Filio, facta et verba Patris administrante."—Tert. adv. Prax. cap. xxiv. Op., p. 514. D.]

[l] ["Tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant."
Claudian. in Rufin. I. 22.]

cum eis esset futurus, adjecit . . . 'Non relinquam vos orphanos [m].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 122. [Op., tom. vii. col. 773. B.]

[Non abest nobis Christus.] Facessit vero sibi negotium, ut doceat, non abfuturum a nobis Christum; quasi et *præsentis vices* non sint: quasi Augustini id verba non ferant, *sic pro seipso, ut et Ipse tamen cum eis futurus etiam esset.* Caveat vero hic Cardinalis, neque sibi dicat non prædictum. Nam si *præsentis vices* nullæ sunt (et Christus semper *præsens*), superfluus tum erit, et (ita quidem superfluus est) *Pontifex* ipse. Atque hoc ex ore ipso Cardinalis.

Promisit Spiritum Sanctum, ut invisibilem atque [leg. ac] internum Doctorem, et Consolatorem, S. Petrum, ut visibilem Rectorem, atque Pastorem in terris loco suo reliquit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 122. [Op., tom. vii. col. 773. A.]

[S. Petrus non Ecclesiæ visibilis Rector.] Ex uberiore tamen gratia sua, non excludit penitus *Spiritum Sanctum,* ut doceat, et dirigat, Apostolis promissum, atque missum; sed asciscit ei collegam, Petrum olim, jam Paulum V. Sic autem dispescit hic dignitates, ut *Spiritus* sit *invisibilis Doctor et Consolator,* et Rector internus: *Petrus visibilis Rector et Pastor et Doctor externus.* Narrat hæc Cardinalis, at aliter nobis rem narrat Apostolus. Non unum *Pastorem. Doctorem, Rectorem* a Christo datum, sed plures *Pastores* [n], *Doctores,* κυβερνήσεις [o]. Non unum, sed *plures*
214 ὑπερλίαν ἀποστόλους [p]; non unum, sed *plures Columnas, Joannem* et *Jacobum cum Petro* [q]. *Paulum* autem, *nihilo his inferiorem,* μηδὲν ὑστεροῦντα [r], et *cujus ipsius instantia sollicitudo omnium Ecclesiarum* [s]. *Spiritus promissus* Ecclesiæ: Petrus, (*promissus* non potuit dicere) dixit, *relictus* tamen. In quo vis argumenti *Regii,* quod pollicitus sæpe Spiritum, quod promissum hoc sæpe inculcarit Christus, (tanquam magni momenti rem,) Apostoli sollicite expectarint. At de Petro sic *relinquendo,* promissum nullum, et quicquid factum, factum ab inexpectato. Ad littus maris duo forte aderant, vel tres, qui piscatum ierant; reliquis absentibus. Et hic locus (scilicet), hoc tempus *Rectoris* designandi, repente ac ab improviso. At non is mos est *Rectorem summum* inaugurandi; quin multo sublimior. Mons vero Galilææ aptior

[m] [S. Aug. Tract. lxxv. in S. Joan. Evang. § 1. Op., tom. iii. col. 2274. C.]
[n] Ephes. iv. 11.
[o] 1 Cor. xii. 28.
[p] 2 Cor. xi. 5; xii. 11.
[q] Gal. ii. 9.
[r] 2 Cor. xi. 5.
[s] 2 Cor. xi. 28.

huic locus, ubi fratres simul *quingenti*[t]; ut quod omnes tangeret, id non duobus vel tribus, sed omnibus insinuari posset.

Sed ut Ecclesiæ corpus visibile Caput Vicarium haberet visibile, dixit Dominus coram omnibus [Petro] . . . 'Pasce agnos meos,' quod . . . tertio repetivit, primo commendans illi agnos, deinde oviculas, tertio oves.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 122. [Op., tom. vii. col. 773. B. C.]

Commendasse autem *Petro oves suas* et *agnos*, nulli negamus, ea voce, *Pasce oves meas*. At ea voce usum, *ut Ecclesiæ corpus visibile vicarium caput haberet visibile*, verba non evincunt: Patres, Cyrillus[u], Augustinus[x] non colligunt. Illi vero sic, *Pasce oves meas*, id est, iterum a me recipe pascendi munus. Esto inter *Pastores*, etsi meruisti ne esses, qui me *Pastorem* toties negaris. Somnium hoc vestrum est; Vestra hæc, non illorum glossa est, *Pasce* (id est) *Pontifex Maximus esto*, et *Ordinarius Rector: Oves meas* (id est) *super Apostolos*. Vel, *Pasce*, (id est) *Esto vicarium caput visibile, oves meas*, (id est) *super Ecclesiæ corpus visibile*. Non hoc Petro dixit; nedum Lino vel Cleto, vel Clementi, *Pasce oves meas:* (id est) Joannes Apostolus et Evangelista meus, quem diligo, tibi Line, vel Clete, vel Clemens, subjiciatur; tu illius *caput visibile* sis. Te ille superiorem agnoscat, colat; pascendum se tibi præbeat. [Verba 'Pasce agnos' quare S. Petro dicta.]

Nego verba illa ad omnes Apostolos pertinere, cum proprie dicta sint uni Petro.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 123. [Op., tom. vii. col. 773. C.]

Negat verba, Tibi dabo claves, ad *alios quam Petrum pertinere, quod ei dicta sint uni.* Sed auctoritate sua. Nos et *uni* dicta dicimus, sed *uni*, unitatem Ecclesiæ repræsentanti, auctoritate Patrum. Annon idem hoc sæpe Augustinus[y]? Annon cum unitas uno major sit, Constantiense Concilium subjecit sibi tres (qui Petri tum successores in clavibus et caulis) et uno ictu *tria Capita Vicaria visibilia* simul præscidit? At *Pasce oves*, etsi singulari numero dictum, et *uni*, ad *omnes* commeare, clarius id loquuntur Ambrosius[z], et Augustinus[a], quam ut obstrepere possint Novitii vestri. [Claves S. Petro, in persona Ecclesiæ,] 215

[t] [Conf. 1 Cor. xv. 6.]
[u] [Vide supra, p. 21. not. [s].]
[x] [Vide supra, p. 20. not. [r].]
[y] [Vide S. Aug. Tract. l. in Joan. Evang. § 12. Op., tom. iii. col. 2184. C., Tract. cxxiv. in Joan. Evang. § 5. ibid. col. 2470. B. C.; in Psalm. cviii. § 1. tom. iv. col. 1733. B.; Serm. cxlix. § 7. tom. v. col. 1019. B., Serm. ccxcv. § 2. ibid. col. 1756. C.]
[z] [Vide supra, p. 20. not. [n].]
[a] [Vide supra, p. 20. not. [m].]

Atque hoc adversarii admittere deberent, qui in omnibus Controversiis expressum verbum requirunt. Quid enim potuit expressius dici, quam illud, 'Beatus es Simon Bariona,' &c.—[Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 773. D.]

[et omnibus postea Apostolis datæ.]

Nos vero, quod *expresse* ibi dicitur, agnoscimus libenter, nec syllabam abesse volumus, *Tibi dabo claves*, dictum Petro, et *uni* (si volet), non tamen in persona sua. Quid est enim, *Tibi dabo claves? Quicquid ligaveris, &c.* Habemus *expressum* alibi *verbum*, quod *verbum* hoc *expressum* interpretetur. *Quicquid ligaveris: Quicquid ligaveritis.* Ut, etsi *uni* dictum *Tibi dabo claves:* at et *aliis* tamen dandæ, *aliis* datæ fuerint. *Pasce oves, expresse* fatemur, *uni* dictum, *uni* ter dictum; sed quia *unus* ter negarat; atque ea voce restitutum muneri, non supra reliquos in munere constitutum. Atque ita, si præceptum respiciat quis, porrigere se ad *omnes* Apostolos et Apostolorum successores, Oves enim Christi *omnibus* pascendæ. Si præcepti solennitatem, (trinam scilicet repetitionem,) *uni* peculiarem; sed ex causa, quæ non valde Monarchiam juvet.

Non . . . negamus, quin Apostoli cæteri plenam habuerint potestatem [in Ecclesias,] sed longe aliter quam . . . S. Petrus. Hic enim habuit ordinariam, quam transmitteret ad successores; illi extraordinariam, quæ cum ipsis finiretur; hic et supra Apostolos potestatem habuit, illi . . . nullam habuerunt.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 123. [Op., tom. vii. col. 774. A.]

[Nullam super cæteros Apostolos potestatem habuit S. Petrus.]

Tandem autem fatetur, et *plenam reliquis Apostolis potestatem datam in Ecclesias.* Ubi datam? Cum dixit illis, *Sicut misit Me Pater, et Ego mitto vos.* Par ibi potestas omnibus, plena omnibus. Sed *longe tamen aliter potestatem hanc habuit Petrus.* Gratis hoc sæpe dictum a Cardinale; gratis hic dicitur. *Petri potestas ordinaria fuit, reliquorum extraordinaria.* Petrus potestatem suam *transmittere* potuit, reliqui non potuerunt. Petrus etiam *super Apostolos potestatem habuit:* Reliqui *nullam habuerunt.* Ubi *verbum expressum?* Ubi *Patrum* vox? ubi *Concilii* Canon ullus? de *Petro ordinario, de potestatis transmissione* illi soli propria, de *potestate super Apostolos?* Phantasmata hæc mera sunt. *Dicit* ea in *Controversiis*[b], *repetit* hic Cardinalis, *probat* nusquam.

Apostolus . . . Paulus, etiamsi Apostolus non fuisset, sed simplex Episcopus, facile poterat incestum Corinthium per Ecclesiam Corinthiorum spiritu suo

[b] [Bell. de Rom. Pont. lib. iv. cap. 25. § 'Respondeo.' Op., tom. i. p. 231. G.]

præsente excommunicare.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 123. [Op., tom. vii. col. 774. A.]

At si *Pauli Petrus Ordinarius*, si a *Petro Paulus jurisdictionem habuit, sub illius potestate fuit*, non vel debuit, vel potuit, suo vel *nomine*, vel *spiritu* in Corinthium censuris agere; nisi legitima auctoritate fulcitus, nempe *Ordinarii* magni; nec potuit, nisi in virtute *Capitis, membrum* operari. Ordine enim agendum, et *Ordinarii* nomine, (cui subjectus erat,) Petri scilicet. Forte et dignus ipse censura, qui alicubi *nihilo se inferiorem* dixit (bis dixit[c]) vel *Summis Apostolis:* cum esset tamen subjectus Petro, cum Petrus in illum *potestatem ordinariam* haberet. [S. Paulus S. Petro haud subjectus.]

Respondeo, in eo Concilio primum omnium loqui cœpisse Petrum, atque in ejus sententiam ivisse Jacobum et alios, quod satis est, ut Petrus præses Concilii agnosceretur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 124. [Op., tom. vii. col. 774. B.]

In celeberrimo Apostolorum conventu, Concilio primo Hierosolymitano, ubi solennitate summa transigi res solent, et (si unquam) auctoritas eminere, locus aptus, tempus opportunum exercendæ auctoritati, *Visibile* tum oportuit hoc *caput* esse, visibilem Monarcham, *Ordinarium* elucere, et alicubi potestatem, quam *super Apostolos* habuit, exercere. At nulla tamen hujus in *Decreto* mentio. Qui sic *Ordinaria auctoritate* cæteris eminebat, cui subjecti omnes, qui potestatem in omnes habuit, delituit in plebe media: nec *visibile* magis *Caput*, quam de membris quodlibet. Non ibi, *Ego Petrus Catholicæ Ecclesiæ Rector Ordinarius:* vel, *Ego Petrus Vicarium caput visibile totius visibilis Ecclesiæ:* vel, *Ego Petrus Summus Ecclesiæ Monarcha.* Nihil horum, Sed *visum Apostolis et Presbyteris*[d], *et* Petrus in numero conjectus eo cum reliquis: nec *Caput* hic quicquam eminet. [Conc. 216 Hieros. haud præfuit S. Petrus;]

Nec de *Præside Concilii* agitur hic, sed de *Principe*, seu *Capite Ecclesiæ*. Poterat enim absens per Legatos *præsidere:* quod forte magis consultum fuisset. At ubi præsens (ut ibi Petrus per se), *Principem* ostendisset se, fecisset quod *Principis* erat. Neque nos inviti *Concilii præsidem* daremus: at non pariter *Ecclesiæ Principem.* Tamen, si *Præsidi Concilii* dicenda primum sententia, cur Petrum non imitantur *Præsides*, sed ultimo loco dicunt? Jacobi (scilicet). Quo [minime ergo Ecclesiæ caput.]

[c] 2 Cor. xi. 5; xii. 11. [d] [Act. Apost. xv. 22, 25.]

facto inducunt nos in errorem, ut Jacobum ibi *Præsidem*, non Petrum putemus: cum Jacobi loco, non Petri, sententia ferri soleat: sed, de *Præside* quicquid sit, in *Decreto* ponuntur promiscua voce *Apostoli* simul *omnes: Caput* nusquam comparet, nusquam *Potestas* illa in reliquos *Ordinaria*, una voce concluditur cum sibi subjectis, non sine injuria aliqua. Nonnihil enim hinc *Capiti* derogatum est.

Si ex hoc loco colligi posset, Petrum non fuisse caput Ecclesiæ, posse etiam colligi Christum quoque non esse caput Ecclesiæ . . . Qui dicebant se esse Pauli . . non recedebant a Christo, . . . sed gloriabantur alii se baptizatos a Paulo, alii ab Apollo, [alii a Petro,] alii prudentiores [baptismum suum] ad . . Christum referebant.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 124. [Op. tom. vii. col. 774. B. C.]

[Christus Ecclesiæ caput.] Imo, *colligi non potest, ex loco* 1 *Cor.* i. *Christum Caput Ecclesiæ non fuisse.* Soli enim sapiebant, soli *prudentes* erant, qui se Christo addixerant. Reliqui, qui vel Cephæ, vel Apollo, vel Paulo, in schismate erant, a fide recesserant. Et is forte error Pauli fuit, quod Cepham a Christo secreverit, et alios Christi dixerit, alios Cephæ; cum omnes qui Cephæ sunt, ipso facto sint Christi, unumque sit Christi et Cephæ Consistorium. Nam de *Baptismo*, quod infert Cardinalis, vacillat admodum. Cepham enim Corinthi fuisse unquam, vel quenquam ibi *baptizasse*, erit (credo) difficillimæ probationis.

217 Neque in eo capite, neque usquam alibi me legisse Paulum se antetulisse Petro, nisi prælationem istam colligat [Rex] ex eo, quod Paulus Petrum reprehendit. Quasi non soleant aliquando superiores ab inferioribus reprehendi. Ipse . . Petrus Christum increpare cœpit.—[Bell. Apol. pro Resp.] pp. 124, 125. [Op., tom. vii. col. 774. D.]

[S. Paulus se S. Petro æquavit.] *Æquavit se* Petro Paulus, *οὐδὲν ὑστερηκέναι* bis dixit[e], Petrus Paulo, *cum dextram societatis dedit*[f]. *Reprehensio* autem non omnis a *superiore* est: non, si seorsim solum abducat, non, si *blande* compellet ut Dominum Petrus, *Propitius tibi sis Domine*[g]*:* At, vix ut *inferiorem* se gcret, si *in faciem*, si *aspere*, si *coram omnibus*, ut Paulus Petrum[h]; idque Antiochiæ, ubi tamen *bis Ordinarius* Petrus, ut Episcopus, ut Papa Antiochenus. *Si tu;* et, *Cur cogis Judaizare Gentes?* in cujus vel facto *hypocrisin*, vel judicio *errorem*, acriter notavit: et scripto hoc post, quasi bonum factum,

[redacted]

[e] [2 Cor. xi. 5.; xii. 11.]
[f] [Gal. ii. 9.]
[g] [Matt. xvi. 22.]
[h] [Gal. ii. 11.]

divulgavit. Non sic (credo) solent *reprehendere Papam Cardinales, in faciem, coram omnibus:* si facerent, non ferret, corriperet, quasi qui ea facerent, quæ *superioris* sunt. Non solent quidem æquo animo Pontifices ab *inferioribus reprehendi.* Scripsit Lutherus ad Leonem de *Indulgentiarum* fœda per *Germaniam nundinatione,* de *Quæstorum* horrendis blasphemiis[i]. Bilem homini movit. Non tulit Leo, tonuit, fulguravit, pauperem Monachum proscripsit[k], etsi privatis literis egerit, etsi officiose, etsi de re tam æqua, de hominibus autem qui tollerentur tam dignis, ut eos post Synodus ipsa Tridentina tollendos duxerit, adeoque sustulerit[l]. Certe longe alia Petri indoles, *primatum* suum non regessit; nec obtemperari sibi a Paulo oportere, aut Paulum sibi, tanquam *Ordinario,* subjici.

Inspiciamus autem, quæ per vim hic, et coactus Cardinalis ascribit *testimonia.* Unum hoc peccant omnia, ut nihil afferant, quod statim concedi non possit, nisi voculam forte habent, de qua non libet λογομαχεῖν. Nam, nec *Primatum* negamus Petri, nec, quæ *Primatum* sonant, *nomina. Rem* ipsam, quæ præ manu est, *terrestrem* ejus *Monarchiam* petimus: pro qua, utinam volens, utinam vel coactus, aliquid tandem adduceret. Scit, non negari *Primatum* usquequaque, non *omnem;* scit, hoc jam loco, quem: (*terrestrem* nempe *Monarchiam Ecclesiæ.*) Scit, involvit se nebula, et declinat tamen. [Monarchia S. Petro, haud primatus negatus.]

> Origenes in [cap.] vi. ad Rom. . . . 'Petro cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, [et super ipsum velut super terram fundaretur Ecclesia,] nullius [alterius] ab eo virtutis confessio, nisi charitatis exigitur[m].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 125. [Op., tom. vii. coll. 774. D. 775. A.]

Ex Origene. *Summam rerum de pascendis ovibus Petro traditam.* Sed *traditam* et *aliis* eandem *summam,* ut aperte Origenes[n] alibi; quod, si quid ibi *Petro peculiare, ratione id* [De hac re examinantur testimonia Origenis,]

[i] [Vide Epist. Mart. Lutheri ad Leon. X. Op., tom. i. fol. 74. b. Jenæ 1564. seq.]

[k] [Vide Bull. xl. Leon. X. 'Exurge Domine.'—Bullar. Rom. tom. i. pp. 610—614.; et Bull. xli. 'Decet Romanorum.'—Ibid. pp. 614. 615.]

[l] ["Abusus vero, qui in his (indulgentiis) irrepserunt, et quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos et correctos cupiens, præsenti decreto generaliter statuit pravos quæstus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse."—Conc. Trident. Sess. xxv. Decret. de Indulgentiis.—Conc. tom. xiv. col. 918. A.; et Sess. xxi. Decret. de Reform. cap. ix. ibid. col. 851. E.]

[m] [Orig. in cap. vi. ad Rom. Comment. lib. v. Op., tom. iv. p. 586. col. 2. C.]

[n] [Ἆρα δὲ τῷ Πέτρῳ μόνῳ δίδονται ὑπὸ τοῦ Κυρίου αἱ κλεῖδες τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας, καὶ οὐδεὶς ἕτερος

lapsus peculiaris. Super ipsum, veluti terram, fundatam Ecclesiam, sed *super alios,* una cum ipso.

Cyprianus . . . de unitate Ecclesiæ facit Petrum caput, fontem, et radicem [totius] Ecclesiæ. — [Bell. Apol. pro Resp.] p. 125. [Op., tom. vii. col. 775. A.]

[S. Cypriani.] *Fecit* Cyprianus Petrum *caput, fontem, radicem, Ecclesiæ.* Non Petrum Ecclesiæ, sed imo *Ecclesiam* ipsam *fontem*
218 *facit,* unde *multi* rivuli; *lumen,* unde multi radii; *radicem,* unde multi rami propagantur. Disce vel ex ipso. *Sic* (*et*) *Ecclesia, Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit. Ecclesia* (dicit), non Petrus. *Unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur,* (an lumen hoc Petrus? aut an is ubique diffusus?) *nec unitas corporis separatur. Ramos suos* (*Ecclesia*) *in universam terram, copia ubertatis, extendit, profluentes largiter rivos latius expandit: unum tamen caput, et origo una, et una mater, fœcunditatis successibus copiosa*[o]. Caligavit hic Cardinalis: Non enim (puto) *Petrum dicturus est Matrem,* ne *Caput* quidem igitur.

Et in Epist. ad Quintum, 'Petrus . . . . super quem Dominus ædificavit Ecclesiam.' . . . Dicit . . . super eum ædificatam esse Ecclesiam, ac per hoc esse fundamentum Ecclesiæ. Quod autem est fundamentum in ædificio, idem est caput in corpore.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 125. [Op., tom. vii. col. 775. A.]

Alter vero illi ex Cypriano locus præcidendus erat ex parte, qua parum benignus ei aspectus ad primatum. Sic enim se habet. *Nam nec Petrus,* (*quem primum Dominus elegit,* [*et supra quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret*]) *vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret se primatum tenere,* [*et*] *obtemperari a novellis, et posteris, sibi potius oportere*[p]. Ubi ea Cypriani mens videtur, ut, si dixisset *Primatum se tenere Petrus, insolenter sibi aliquid vindicasset.* Suppressit itaque caute hanc partem Cardinalis, cum parum faceret ad primatum; maluit priorem, ubi *super eum ædificatam* dicit *Ecclesiam: ac, per hoc, esse fundamen-*

τῶν μακαρίων αὐτὰς λήψεται; εἰ δὲ κοινόν ἐστι καὶ πρὸς ἑτέρους τό· Δώσω σοι τὰς κλεῖδας τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, πῶς οὐχὶ καὶ πάντα τά τε προειρημένα, καὶ τὰ ἐπιφερόμενα, ὡς πρὸς Πέτρον λελεγμένα; καὶ γὰρ ἐνταῦθα μὲν ὡς πρὸς Πέτρον εἰρῆσθαι δοκεῖ τά· Ὅσα ἂν δήσῃς κ.τ.λ.— Orig. Comm. in Matt. tom. xii. § 11. Op., tom. iii. pp. 524. B. 525. C.; et latine] in Matt. xvi. Tract. i. [p. 36. Basil. 1571.]

[o] [S. Cyr. de Unit. Eccl. Op., p. 108.]

[p] [S. Cyprian. Ep. lxxi. ad Quintum. Op., pp. 194, 195.]

tum Ecclesiæ. Esse *fundamentum* quidem unum, sed non *unicum:* esse enim illiusce ædificii *duodecim fundamenta*[q]. *Quod autem fundamentum in ædificio, idem est caput in corpore.* Vix illud usquequaquam. Ostendo enim Cardinali *ædificium,* cujus *duodecim fundamenta*[r]; at ægre Cardinalis mihi *corpus* unicum, cujus *duodecim* sunt *Capita.*

[S.] Basilius . . . . 'Ille . . . beatus qui cæteris prælatus discipulis . . , cui claves Regni cœlestis commissæ.'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 125. [Op., tom. vii. col. 775. A.]

Ex Basilio *Cæteris Discipulis prælatum Petrum.* Sed an ut esset *Monarcha*? Nullane nisi *Monarchiæ* prælatura, *μαρτυρίᾳ* quidem, ut habet ibi Gregorius [*leg.* Basilius[s]], et *μακαρισμῷ*, adde (si voles) *ordine* prælatum et *loco.* Idem hoc tribuit ei Rex, etiam ut *Princeps Apostolorum* sit: citra Monarchiam tamen. Nam, *claves ei commissas* quis dubitat? sed an in persona sua, an vero Ecclesiæ, Basilius ibi non expedit, sed Augustinus[t] multis in locis. [S. Basilii,]

[S.] Hilarius. . . . 'Qui nuncupatione novi nominis [felix] Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra[u].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 125. [Op., tom. vii. col. 775. A. B.]

Ex Hilario *Felix Ecclesiæ fundamentum Petrum,* sed, inter *alia* pariter *fundamenta; Dignam ædificatione Christi Petram,* sed *fidei ratione,* ait ipse Hilarius[x], non *personæ;* ut *Petrus* a *fide* pendeat, non *fides* a *Petro.* [S. Hilarii,]

[S. Greg.] Naz. . . . 'Vides . . . ut hic Petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta . . . credita habeat, ac reliqui . . . , posthaberi se tranquillo animo ferant[y].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 125. [Op., tom. vii. col. 775. B.]

Ex Nazianzeno, *Petrum et Joannem aliquo præ cæteris privilegio donatos;* Petrum, *ut novum a Petra nomen sortiri;* Joannem, *ut plus cæteris diligi, et reclinare posset in pectus;* [S. Greg. Naz.] 219

[q] [Eph. ii. 20.]

[r] Apoc. xxi. 14.

[s] ['Ο *μακάριος Πέτρος, ὁ πάντων μὲν τῶν μαθητῶν προκριθεὶς, μόνος δὲ πλεῖον τῶν ἄλλων μαρτυρηθεὶς καὶ μακαρισθεὶς, ὁ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν πιστευθείς.*—S. Bas. De Jud. Dei. § 7. Op., tom. ii. p. 221. B.]

[t] [Vide supra, p. 295. not. [y].]

[u] ["O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, et tartari portas, et omnia mortis claustra dissolveret."—S. Hil. Pictav. Comment. in Matt. xvi. sect. 7. Op., tom. i. col. 749. D.]

[x] ["Hæc fides Ecclesiæ fundamentum est."—S. Hil. Pict. de Trinit. lib. vi. sect. 37. Op., tom. ii. col. 160. D.]

[y] ['*Ορᾷς τῶν Χριστοῦ μαθητῶν πάντων ὄντων ὑψηλῶν καὶ τῆς ἐκλογῆς ἀξίων; ὁ μὲν πέτρα καλεῖται, καὶ τοῖς θεμελίοις τῆς Ἐκκλησίας πιστεύεται, ὁ δὲ ἀγαπᾶται πλέον, καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Ἰησοῦ ἀναπαύεται, καὶ φέρουσιν οἱ λοιποὶ τὴν προτίμησιν.*—S Greg. Naz. Orat. xxvi. De Moderat. in Disput. servand. Op., tom. i. pp. 453. D. 454. A.]

reliquos hoc *non iniquo animo* tulisse. Quid hic in Petro, quod non et in Joanne itidem *singulare?* vel nullus ergo hic, vel duplex Primatus.

[S.] Maximus . . 'Quanti . . meriti [apud Deum suum] Petrus [erat,] ut ei [post naviculæ parvæ remigium] totius Ecclesiæ gubernacula traderentur[a]?'—[Bell. Apol. pro Resp.] pp. 125, 126. [Op., tom. vii. col. 775. A.]

[S. Maximi Taurin.] E Maximo (si tamen Maximus is Taurinensis, et non posterior eo alius, si Maximi ætate, de *Apostolis* (data opera) *Sermones* sunt habiti, quales postera ætate habitos constat), *Petro totius Ecclesiæ gubernacula tradita.* Ecquis enim *particularis ullius Ecclesiæ* ei *tradita gubernacula* putavit, præter vos, qui *Romanæ vestræ traditis?* (quasi *totius* ea *pars* non esset) postquam ei *totius gubernacula tradidistis.*

[S. Joannes] Chrysostomus . . . . 'Petrum . . Ecclesiæ futuræ pastorem constituit.' Et paulo post . . . 'Cujus pastor et caput, homo Piscator[b].'—Bell. Apol. pro Resp.] p. 126. [Op., tom. vii. col. 775. B. C.]

[S. Chrysostomi,] E Chrysostomo: *Cujus Pastor, et Caput homo piscator:* at hæc verba, *Cujus Pastor et Caput,* irreptitia sunt, *Latine* addita, in gratiam Λατείνου, *Græce* enim non habentur. *Græca ἄνθρωπον ἁλιέα* habent, *hominem piscatorem, Caput* ibi nusquam comparet, et eo loco ne Pastor quidem: quanquam Ecclesiæ *Pastorem* Petrum nemo negaverit et *primarium,* sed cum aliis *Pastorem* Coapostolis suis, non solum sine aliis.

[S.] Hieronymus . . . 'Inter duodecim . . unus eligitur, ut capite constituto Schismatis occasio tolleretur[b].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 126. [Op., tom. vii. col. 775. C.]

[S. Hieronymi,] Hieronymus idem hic a Cardinale patitur, quod ante Cyprianus; utrobique mutilatus locus. Namque ita Hieronymus, *At dices* [leg. *dicis*] (tu scilicet Joviniane) *super Petrum fundatur Ecclesia* (quod toties jam nobis serio inculcat

[a] [S. Max. Hom. III. in Nat. Beatiss. Pet. et Paul.—Bib. Patr. Max. tom. vi. p. 35. F.]

[b] [Καὶ ἐγώ σοι λέγω, Σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν· τουτέστι, τῇ πίστει τῆς ὁμολογίας· ἐντεῦθεν δείκνυσι πολλοὺς μέλλοντας ἤδη πιστεύειν, καὶ ἀνίστησιν αὐτοῦ τὸ φρόνημα, καὶ ποιμένα ποιεῖ.—S. Chrysost. Hom. LIV. in S. Matt. Op., tom. ii. p. 344. lin. 18. Ἀ γὰρ Θεοῦ μόνον ἐστιν ἴδια, τὰ τὰ ἁμαρτήματα λῦσαι, καὶ τὸ ἀπερίτρεπτον τὴν ἐκκλησίαν ποιῆσαι ἐν τοσαύτῃ κυμάτων ἐμβολῇ, καὶ ἄνθρωπον αλιέα πέτρας πάσης ἀποφῆναι στερρότερον, τῆς οἰκουμένης πολεμούσης ἁπάσης, ταῦτα αὐτῷ ἐπαγγέλλεται δώσειν· καθάπερ ὁ πατὴρ πρὸς τὸν Ἱερεμίαν διαλεγόμενος ἔλεγεν· Ὡς στῦλον χαλκοῦν, καὶ ὡσεὶ τεῖχος τίθησιν αὐτόν· ἀλλ' ἐκεῖνον μὲν ἐνὶ ἔθνει, τοῦτον δὲ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης.—Ib. lin. 32.]

[b] [S. Hier. lib. i. adv. Jovinian. § 26. Op., tom. ii. col. 279. B.]

Cardinalis, probe in eo secutus Jovinianum.) At quid Hieronymus? *Licet* (inquit) *id ipsum, in alio loco, super omnes Apostolos fiat, et cuncti claves Regni cœlorum accipiant; et ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen* (nec propter claves igitur, nec propter fundamentum, quæ tanti Romæ sunt, sed) *propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto Schismatis tollatur occasio.* Inter *duodecim unum eligi;* aut numerum quemvis, cui *unus* aliquis par regendo sit, et possit prospicere; vel *schismati tollendo,* quis vetat *constitui caput?* cui et potestas detur, quanta rei satis sit, cui constitutus est. Sed quam late pateat potestas illa; quam late numerus; de eo quæritur; ne fiat heteroclitum *caput* hoc: nec, tam *Schismatis tollatur,* quam *Tyrannidis ponatur occasio.*

[S.] Augustinus, Serm. cxlii. [leg. cxxiv.] de tempore . . . 'Totius corporis . . morbum in ipso capite curat Ecclesiæ, et in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem[c].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 126. [Op., tom. vii. col. 775. C.]

Concludit testes suos, Augustino non Augustino, cujus tempore non fiebant *Sermones de tempore:* Sed nec (si *tempori* cedamus) hic tamen Testis satis *in tempore venit*[d]. Non enim auspicato, qui *caput* non narrat nobis, nisi *morbidum;* nec *verticem,* nisi *male sanum:* quod recte proin præteriri ab eo potuit: præsertim, cum eundem *morbum* in *capite* vestro notarint diu jam medicorum filii. *Etsi omnes, non ego*[e], (id est) plus ego, quam omnes. Sed ab eo *morbo sanatum* hoc *caput:* vestrum autem *sanari* non vult, nec *sanum,* nec (ut videtur) *sanabile:* sed, si *sanetur,* sit *caput Ecclesiæ* suæ *Romanæ,* ut Augustini tempore: sed ad eum *transmarinus nemo appellet;* si appellet, ab Augustino *excommunicandus*[f]. Qui multum aberat ut caput Ecclesiæ Zosimum[g], Bonifacium[h], Cœlestinum[i] agnosceret, in quibus tamen eundem hunc *morbum curavit.* Curet ergo sibi Augustinum germanum, non (ut hic est) suppositium (Augustinensem forte), si *Monarchiam* suam recte curatam volet. [Pseudo-Augustini.] 220

[c] [Pseudo-Aug. Serm. lxxix. Bened. (al. cxxiv. de Temp.,) § 2. Op., tom. v. Append. col. 2531. C.]

[d] [Vide Terent. Heaut. II. 3. 123.]

[e] [Matt. xxvi. 33.]

[f] [Vide Cod. Can. Eccl. Afric. Can. cxxv.—Conc. tom. ii. col. 1132. A.]

[g] [Vide Conc. Carth. vi. — Conc. tom. ii. coll. 1589—1593.]

[h] [Vide Epist. Conc. Afric. ad Bonif., apud Conc. Afric. cap. ci.—Ibid. coll. 1670—1672.]

[i] [Vide Epist. Conc. Afric. ad Cœlestinum, apud Conc. Afric. cap. cv. —Ibid. coll. 1674—1676.]

Ad Caput Nonum.

Nulla probabilitate ex Cap. ii. Epist. secundæ ad Thessal. colligi posse Romanum Pontificem esse Antichristum.—[Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 775. D.]

Ex secundo Capite secundæ ad Thessal. probabiliter colligi, Romanum Pontificem esse Antichristum.

Bellarminus . . . intactam relinquere potuisset (disputationem de Antichristo,) in qua nihil fere Rex attingit, quod ipse in lib. iii. de Pontifice . . . non refutaverit. Deinde multa Rex ex Rob. Abbato . . . . mutuatus est, ad quæ . . . respondit . . . Eudæmon.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 127. [Op., tom. vii. coll. 775. D. 776. A.]

[In hac Disputatione nihil ab Abbato Rex mutuatus est.]

Potuit *intactam relinquere totam Regis de Antichristo disputationem* Cardinalis. Potuit, sed noluit. Potuit primum, *Quia in Controversiis eam fere refutavit*, ubi, etsi, *quod fere fit, non fit ;* tamen nec *fere* illud *vere* ab eo dictum. Pleraque enim *plena* ibi *manu*[a] congessit Rex, quæ nec *extremis digitis*[b] Cardinalis attigit, forte autem, ne *pungerent*. Potuit, *Quia multa ibi mutuatus Rex ab Abbato, quem jam debellavit Eudæmon*[c]. Sit Abbato sua laus, sit et cura, ne Eudæmon ille diu Eudæmon sit. At *Regem ab Abbato sua mutuatum*, qui scit Cardinalis? qui scire potuit? Quodsi nec scit, nec scire potuit, præterquam quod inurbanus in eo est, et committit in bonos mores, annon inter eos ponendus de quibus loquitur Apostolus, *De quibus nesciunt affirmant*[d]*? Regem mutuatum?* Imo Regi hæc domi nascuntur, meditata illi sunt, a multis jam annis. *Ab Abbati* autem *libro*[e]! illo quidem legi digno, sed quam necdum Regi vacavit legere, nec

[a] [Cicer. ad Att. ii. 25.]
[b] [Cicer. pro Cælio, cap. xii.]
[c] [Andreæ Eudæmon-Joannis Cydonii, e Societate Jesu, adversus Roberti Abbati Oxoniensis de Antichristo sophismata disputationis libri tres, Ingolst. 1609.]
[d] 1 Tim. i. 7.
[e] [Antichristi Demonstratio, &c. Auctore Roberto Abbato, Lond. 1603.]

quid commune sit illis, quid non, ei adhuc exploratum. Tantamne in Cardinale vanitatem!

Præterea non pauca eorum, quæ Rex adduxit [*leg.* adducit], invenimus apud Tho. Brightmannum in explicatione Apocalypsis[f]. — [Bell. Apol. pro Resp.] p. 127. [Op., tom. vii. col. 776. A.] 221

Jam et Brightmannus non dubium quin Regi multa commodarit, cujus tamen non nisi post editam *Regis Præfationem* liber huc appulit. Tam semper temporibus commode sua non dividit[g]. Sed *non pauca Regis apud eum invenit.* Ne clamet tamen εὕρηκα. Nam quid mirum? Sic lucent vera quædam, ut nec luscos fugiant. Sed, (ne nesciat quanti apud nos *Auctor* ille) homo fuit, dum vixit, proclivis ad schismata, nec qui *saperet ad sobrietatem*[h]: eoque nomine, ex quo suscepit hic Regnum Rex, et in id genus hominum inquiri jussit, lata pro *Tribunali* sententia, exutus est eo quo prius gaudebat, Sacerdotio, ac loco motus, atque omni docendi munere: nec multo post diem obiit. Nec excudi hic poterant quæ scripsit, cum apud eum non longe absint ab *ineptiis* quædam, quædam nec ab *hæresi.* Tantum abest, ut illiusmodi homine Rex usurus fuerit, ad Theologiam ab eo mutuandam. At, si me audiat, mutus sit de mutuo Cardinalis, cujus *intactæ relinqui* possunt *Controversiæ*, si, quæ *mutuo* sumpta sunt, *tactio* non sit. Tot enim ibi *mutua*, et a tot, ut si *recognoscat* quis, et suum cuique reddat, versura facienda sit Cardinali; et *Controversiarum* crassum opus vix ossibus hæsurum. Parcius ista ergo dehinc *de mutuo.* [nedum a Brightmanno.]

Denique in hac disputatione Rex non certas demonstrationes, sed conjecturas suas, vel sensum suum... proponit... Poterat igitur... facile præterire. Sed voluit tamen breviter singula persequi, et sententiis Regis sententias veterum Patrum opponere.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 127. [Op., tom. vii. col. 776. A. B.]

Potuit vero etiam *præterire*, quia *nullæ ibi sunt certæ demonstrationes*: sed *conjecturæ modo, et quid Rex sentiat*[i]. Nec libet Cardinali luctari cum *conjecturis.* Verum hoc modestiæ erat de se et suis non multa magnifice dicere: quam in partem non multa peccant Jesuitæ, quibus nullæ placent, nullæ sonant, nisi *evidentissimæ, et luculentissimæ demonstra-* [In Apocal. explicanda demonstrationes certæ non possunt adhiberi.]

[f] [Brightmanni Apocalypsis Apocalypseos, id est Apocalypsis D. Joannis Analysi et Scholiis illustrata. 4to. Francofurti, 1609.]

[g] [Vide Terent. Andr. III. i. 18.]

[h] [Rom. xii. 3.]

[i] [Vide Præf. Monit. pp. 70, 142.]

tiones. Ampullari non didicit, nec qui didicerunt amat: nec cum Torto dicere, *apertissime demonstrare se,* quæ vix dubia luce proponit, vel infantis pedi Herculis cothurnos inducere[k]. At enim, si non strictim attingat Cardinalis, (quod fere facit,) sed excutiat, ut par est, plus etiam sentiet inesse, quam *conjecturas.* Quid porro faciat Rex? qui placeat hominibus his? Diceret magnifice multa de suis, non *conjecturas* eas, sed *dogmata, definitiones, de fide* omnes: hoc ipso, non placeret. Minus autem dicit, quam par est, et, quibus uti posset vocibus, modeste abstinet: ne sic quidem placet. Utrumvis fecerit, incurret in eum Cardinalis. Unde merito ei laus debita, certa illi reprehensio. Ille vero *Tripodem* non con-
222 scendit, nec *oracula* fundit, ut Papa, nec loquitur *sententias,* ut Cardinalis: quæ proponit tamen, utut ea Cardinalis habeat, apud pios et prudentes, non dubitat vim et pondus habitura. Sed *conjecturæ* tamen hæ, ut videntur, sic *conjectæ* sunt, ut *Antichristum intactum non reliquerint,* ut petierint eum, forte etiam læserint. Nam mutata Cardinali mens subito. Subiratus enim, jam vult *singulas persequi;* persequi se velle ait: Quid hoc est? *nonnullas conjecturas e Patribus,* seu (ut mavult dicere) *sententias, Regiis opponere.* Et hoc illi *persequi* est. Sed an nescit, de *Apocalypsi,* (et siquid præterea est in Sacris argumenti mystici et subobscuri) nihil dum ab Ecclesia certi præscriptum, *nec de fide,* ut uno tantum interpretandi genere, nec alio uti fas, tam scilicet explicato, et liquido, nihil, ut ab eo discedere, nihil, ut in aliquo discrepare nefas sit? Imo, ut quisque impletas ibi prophetias probabilitate maxima docere poterit, ita cuique liberum in iis explicandis uti judicio, abundare sensu suo[l]: dum tamen fidem ne lædat, et, quæ passim alibi occurrunt, Scripturæ locis ne contraveniat. *Patres* quidem ipsi, dum quisque pro captu suo evolvit ibi mysteria, abeunt diversi, ut, *quot pene capita, tot sensus*[m]; nec hic in illum tamen Censor tam severus, ut inique ferat, si idem secum non sentiat. Certe, non uno filo decurrunt, nec alter ab altero exigunt, ut uno; sinunt, ut diverso, nec in eo tamen lædi pietatem putant. Regi hic idem cur non licuit? quæ observata ei sunt, cur non interponere? præsertim, si

[k] [Vide Quinct. Instit. Orat. VI. i. 36.]

[l] [Rom. xiv. 5. Vulg.]

[m] [Vide S. Hieron. supra, p. 214. not. [u].]

liquida, si non interrupta, si recurrant in se, si probabilitate summa Lectori placeant, et ad se renitentem pertrahant. Nec committendi hic cum eo *Patres*, non magis quam *Patres* committendi inter se. Imo edat Cardinalis, vel Eudæmon, edant ipsi simile quid, hoc ipso in genere, quod Libri illius methodo vim nullam faciat, cujus cohæreant inter se partes, primo medium respondeat, medium ab imo ne discrepet [n], nihil usquam hiet, contradictio non emergat, nihil vel incurrat in alia Scripturæ loca, vel fidei analogiam violet. Tale quid edat de vobis qui volet; post, æquo Marte dimicet. Alioqui, vellicare hic aliquid, ibi arrodere, in tenui labor est [o]: et quem Rex *habebit*, addo etiam *ridebit*, pro irrito.

Quin potius Pontificii sentiunt cum Patribus discessionem illam fore a Romano imperio .... Neque fieri potest, ut universalis discessio a fide sit futura ante adventum Antichristi, quia tunc Antichristus adveniens non inveniret, quos seduceret.—[Bell. Apol. pro Resp.] p 128. [Op., tom. vii. col. 776. C. D.]

[Qualis discessio temp. 223 Antichr.]

Discessio jam, de qua Apostolus, 2 Thess. ii., quæritur, quæ et unde futura sit. *A fide?* an *ab Imperio Romano? A fide*, (dicit et docet Rex.) *Ab Imperio*, mavult Cardinalis. Discamus *ab Apostolo*, qui de iis temporibus, *Discedent homines a fide* [p]. Potest tamen utrumque constare. Non enim qui discessionem *a fide* ponit, negat *ab Imperio*. Nec quæ affert ibi tamen, huic probando sunt. *Impleta imperii tempora* [q], *Sublatum e medio imperium* [r], aliud sonant, quam *discessionem ab imperio*. Discedit sic Imperium ipsum, non disceditur ab ipso. Argumentum vero ejus, nihili est. *Si ante Antichristi tempora discessio, non inveniet quos seducat Antichristus veniens*. Ubi incautus verba Regis posuit, per quæ periret. *Antichristi* enim *temporibus fore* [s], verba Regis sunt: non *ante Antichristi tempora*.

S. August. . . lib. xx. de Civ. Dei, cap. xi. 'Tempore Antichristi Ecclesiam toto orbe passuram persecutionem maximam [t].' . . . Ex quo intelligere

[n] [Vide Hor. Epist. ad Pis. lin. 152.]
[o] [Virg. Georg. iv. 6.]
[p] 1 Tim. iv. 1.
[q] ['Ερχεται δὲ ὁ προειρημένος 'Αντίχριστος οὗτος, ὅταν πληρωθῶσιν οἱ καιροὶ τῆς 'Ρωμαίων βασιλείας, καὶ πλησιάζοι λοιπὸν τὰ τῆς τοῦ κόσμου συντελείας.—S. Cyril. Hier. Catech. xv. § 12. Op., p. 229. D.]
[r] ['Οταν δὲ αὕτη καταλυθῇ, ἐπιθήσεται τῇ ἀναρχίᾳ.—S. Chrysost. Hom. iv. in 2 Thess. Op., tom. iv. p. 235. lin. 30.]
[s] [Præf. Monit. p. 71.]
[t] ["Hæc enim erit novissima persecutio novissimo imminente judicio, quam Sancta Ecclesia toto orbe patietur, universa scilicet civitas Christi ab universa diaboli civitate, quantacunque erit utraque super terram."—S. Aug. de Civ. Dei, lib. xx. cap. 11. Op., tom. vii. col. 945. B.]

potest Rex, Antichristum nondum venisse, cum ante ejus adventum discessio generalis fieri debeat a Romano Imperio.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 129. [Op., tom. vii. col. 777. A.]

[Utrum a Romano Imperio.]

At *Antichristo regnante, persecutionem fore* dixit Augustinus. Nec temere dixit; Quot enim (regnante illo) exusti, mactati, mulctati sunt? Verum si detur Cardinali, de quo ita valde laborat, esse *discessionem* illam *a Romano Imperio*; nec id tamen in lucro deputabit. Nam et *a Romano Imperio discessio* jam pridem facta est. Ubi enim terrarum jam (quod Apostolo scribente fuit,) *Romanum imperium?* ubi quæras? ubi reperias, præterquam Romæ fortassis, et in *Pontifice*, Cardinalis Domino? Quantillum jam juris Cæsari est in Italiam, imo in Italia? Quantillum in *Provinciis*, quæ tum erant *Imperii?* præterquam si forte quid ei in Germania reliquum est, et Pannonia: nec posteriore tamen hac, *Imperii* jure ullo, *hæreditario* potius. Nisi, si ideo *Romanum* jam *Imperatorem* dicitis, quod is in vestrum (qui *Romani* estis) jus totus jam cesserit; utpote, qui sumat, qui ponat secures, vestro *Romanorum* arbitrio[u]. Quem neque *Papæ vassallum*[x] scribere vos puduit: et in ipsum Pontificale vestrum inserere, *Juramentum fidelitatis*, quod præstat Pontifici[y]. Quare, quod vidit, quodque agnovit, cuique subditus fuit Apostolus, *Romanum imperium*, diu jam *discessio* ab eo facta est.

Quæ discessio nondum facta est, cum adhuc maneat Romanus Imperator, ad quem Rex ipse misit 'Monitoriam Præfationem' suam, Dicens, Sacratissimo, etc. Rodulpho II. Romano Imperatori.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 129. [Op., tom. vii. col. 777. A.]

[Utrum adhuc sit Romanus Imperator.]

Frustra hoc non factum docebit, ex eo, quod Rodulphum II. *Rex Romanum Imperatorem scripserit.* Quem Cardinalis tamen non ita scribit; alieno potius nixus exemplo quam suo, (forte, quia *obsequium* modo *Pontifici* juravit, *obedientiam* nisi *Ecclesiæ* jurare renuit.) Ita Regem decuit, ita æquum fuit. Titulum enim hunc sibi (postquam ex illa Romæ pos-

[u] [Vide Horat. Carm. III. 2. 19. 20.]

[x] ["Fecit legi (Innoc. IV.) quoddam privilegium, aurea bulla munitum, ab eodem Imperatore, (Frid. II.) cum esset Rex, Honorio prædecessori suo concessum, in quo inter alia potissimum habebatur, quomodo eidem juramentum fidelitatis præstiterat tanquam vassallus suo domino."—Brev. Not. eorum, quæ in Conc. Lugd. gesta sunt.—Conc. tom. xi. col. 638. E.]

[y] [Cf. Decret. Par. i. Dist. lxiii. cap. xxxiii. 'Tibi Domino.'—Corp. Jur. Can. tom. i. col. 330.; et Clement. lib. ii. Tit. ix. 'De Jurejurando,' Cap. Unic. coll. 114. sq.—apud Corp. Jur. Can. tom. iii.]

sessione pulsi vi partim, partim astu Pontificis,) semper tamen retinuerunt Germani Cæsares. Titulis autem Principem quemvis insignire, par est, priscis, suis: non insignire, incivile semper est habitum; etsi titulo forte res abest. Exciderunt (ut fit) multi possessione ipsa, tituli tamen jus, titulus juris, manet. Hispanum quis non scribit Regem Hierusalem, etsi regione illa tota nihil actu possidet? Gallo et Hispano, utrique Navarræ titulus defertur, et ille partem, et hic, uterque totam non habet. Quanquam quid istis moror? Vix quisquam per orbem Christianum *Princeps* est, cui non in titulis sit, quod in re non est. Quare quicquid de titulo sit *Romani Imperatoris; ab imperio Romano discessio* facta est, ut neque vel eo sensu, moretur *Antichristum* defectus *discessionis*. 224

> Antichristus ... non extollet se tantum super eos, qui dicuntur Dii per quandam similitudinem, vel participationem, ... sed super omne quod dicitur Deus, [id est super omnem Deum,] sive per essentiam, sive per participationem, sive falsum, sive verum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 129. [Op., tom. vii. col. 777. B.]

[Quo sensu Antichristus se extollet super omnem Deum.]

Potestne vero quis tibi (Lector) interpretationem illius loci, *Quod dicitur Deus*, aptam magis vel fluentem sistere, quam ex illo, *Ego dixi, Dii estis*[s]*?* Ecqua vero tutior, ecqua nervosior consequentia, quam ut dicantur *Dii* ab Apostolo, quos Deus ipse *Deos* dixit in Psalmo? Cardinali tamen secus videtur, non tam forte libenter, quam necessario. Negare enim non potest, extulisse olim, etiam jam *extollere se* Papam, *super omne quod* (Deo dicente) *dicitur Deus*. Comminiscendus illi sensus alter, qui tamen non perinde fluit; nempe, *Quod dicitur Deus*, id est, *quod per essentiam est Deus*. At nisi ad aliquos qui dicerentur, nisi et ad aliquem qui dixisset, respiceret ibi *Apostolus*, æque facile ei dixisse, *super omne quod est*, vel saltem, *super omne quod vel est, vel dicitur*.

> Quod clarius scripsit Daniel, c. xi. 'Deum Patrum suorum non reputabit, nec quenquam Deorum curabit, quia adversum universa consurget.'—[Bell. Apol pro Resp.] p. 129. [Op., tom. vii. col. 777. B.]

Nam *clariorem* Paulo Danielem, et in illa omnium abstrusa maxime Prophetia *clarius* afferri rem, quam ab *Apostolo:* mirum, ni valde hoc Lector miretur. Nec efficiet

[s] [Ps. lxxxii. (lxxxi. Vulg.) 6. Conf. Joan. x. 34.]

tamen quicquam. An enim ibi de Christo vaticinetur Daniel, lis adhuc sub judice[a]. At de *Antichristo* hic *Apostolum* agere, fatentur omnes. Ut autem confessum quis ex controverso explicet, ratio interpretandi non patitur. Et hic læsam sibi memoriam ostendit Cardinalis, qui alibi scripsit, *Antichristum egregium Magum*[b] fore: qui si ita futurus, *non extollet se super omnem Deum*[c]; non enim super Deum hujus sæculi. Falsum quidem Deum, Deum tamen adorabit et colet. Ita hærent hic omnia. Potest autem, si *Antichristus* colet Deum falsum, et Deos falsos adorare Pontifex: et tamen *Antichristus* esse. Nam *Vicarium* se
225 nominare, et eum, cujus vices obeat, impugnare, frequens via: nempe, ut obtendant Regiam auctoritatem rebelles, ad Regem ipsum auctoritate, sæpe et vita, exuendum.

Romanus autem Pontifex ex doctrina Catholicorum Vicarius Dei est, ac per hoc non extollitur super Deum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 129. [Op., tom. vii. col. 777. B.]

Sed quod Pontificem hic *Vicarium Dei* stylo novo nuncupat, qui ipse antehac diu non nisi Petri erat, post non nisi Christi[d], sed neque Christi, nisi *qua mortalis*[e], non autem, *qua Deus*, adducor ut credam, non in eo memoria lapsum Cardinalem. Majus opus molitur: mutabit in doctrina. Nam Christus qua mortalis, non extulit se super Reges terræ: nec Christi igitur *Vicarius*. Quare, mittendus huic titulo libellus repudii, sed paulatim, et sine strepitu: *Vicariatus Dei*[f] alia vice sumendus, quo ita libere jam extollere se possit, non super Deum, sed *super omne quod a Deo dicitur Deus*[g]. Id quidem dicitur, quod vere dicitur. Vere autem id, quod a Deo: nec a Deo *Deus* dicitur, nisi qui ex eorum numero est, quos dixit in Psalmo *Deos*[h]. Nec effugium hic reperit Cardinalis, nisi miserum hoc, *Quod dicitur Deus, id est, quod falso dicitur:* nec super illud tamen *extollitur Antichristus*, non enim *super diabolum*, quem adorabit. De

[a] [Horat. Epist. ad Pison. lin. 78.]
[b] [Bell.] de [Rom.] Pont. [lib.] iii. [cap.] 14. [Op., tom. i. p. 197. A.]
[c] [2 Thess. ii. 4.]
[d] ["Papa est Christi Vicarius, et si alicubi invenitur, quod est Petri Vicarius, illa est impropria locutio."—Petr. de Anchar. in Gloss. ad Clement. lib. ii. Tit. ix. cap. unic. col. 114.—*apud* Corp. Jur. Can. tom. iii.]
[e] [Vide Bell. de Rom. Pont. lib. v. cap. 4. §. 'Sed jam.' Op., tom. i. p. 233. C. D.]
[f] [Conf. vi. Decretal. lib. i. Tit. vi. 'De Elect. et Elect. potest.' cap. xvii. 'Fundamenta' §. 'Decet.'—Corp. Jur. Can. tom. iii. col. 132.]
[g] [2 Thess. ii. 4.]
[h] [Ps. lxxxii. (lxxxi. Vulg.) 6.]

quo viderit lector. Atqui non super Deos falsos, (ex sententia Papistarum et sua) sed super eos, qui a Deo dicuntur Dii, (ex sententia Davidis,) Cæsarem et Reges, extollit se, ac per hoc est *homo peccati, filius perditionis*[i], ipse denique *Antichristus*.

Sedem Antichristi non fore Ecclesiam Catholicam, sed templum Salomonis, ... aut certe aliud Templum in civitate Hierusalem, notum est ex Apoc. xi.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 130. [Op., tom. vii. col. 777. D.]

[Quænam futura sedes Antichristi.]

Sedes Antichristi in Templo Dei futura, uter et hic sensus magis ad sensum Apostoli? *Templum*, id est, *Ecclesia Dei*: an *Templum Salomonis*, vel *aliud* nescio quod ibi e ruinis ejus et ruderibus denuo instaurandum. Post exæquatum solo Salomonis Templum, non reperimus Spiritum Sanctum in *Scripturis*, præterquam Ecclesiæ, *Templi* nomen usquam accommodare. Nullum ergo nobis jam inde ab illo diruto *Templum*, nisi Ecclesia. De Patribus quidem nonnulli favent Hierosolymis[k], secuti scilicet conjecturas suas, ut de Nerone *Antichristo*[l]: ita tamen ut suum hunc *de fide* sensum non faciant, nec, si secus quis sentiat, ægre ferant. Secus quidem

[i] [2 Thess. ii. 3.]

[k] [Ἀνέδειξεν ὁ Χριστὸς τὴν ἰδίαν σάρκα ὡς ναὸν, καὶ ἀνέστησε τριήμερον, καὶ αὐτὸς ἀναστήσει τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις λίθινον ναόν.—S. Hipp. tribut. lib. de Consumm. Mundi, cap. xx. Op., tom. i. App. p. 14. Vide quoque, cap. xxv. ibid. p. 17. Confer præterea S. Hipp. de Antichristo, cap. vi. Op., tom. i. p. 7.

Ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ καθίσαι· ποῖον ἆρα ναόν; τὸν καταλελυμένον τῶν Ἰουδαίων φησί· μὴ γένοιτο γάρ, τοῦτον ἐν ᾧ ἐσμέν. —S. Cyr. Hier. Catech. xv. § 15. Op., p. 231. B.

"Sequitur deinde et indicium adventus futuri, cum abominationem desolationis stantem in loco sancto videbunt, tunc claritatis reditum intelligendum. Et de hoc quidem, beatissimo Daniele et Paulo prædicantibus, superfluum nos puto habere sermonem; de Antichristi enim temporibus hæc locutus est. Abominatio ex eo dictus, quod adversus Deum veniens honorem sibi Dei vindicet; desolationis autem abominatio, quia bellis et cædibus terram cum piaculo desolaturus sit. Atque ob id a Judæis susceptus loco sanctificationis insistet; ut ubi sanctorum precibus Deus invocabatur, illic ab infidelibus receptus Dei honore venerabilis sit."—S. Hil. Pict. Comm. in Matth. cap. xxv. sect. 3. Op., tom. i. coll. 788. E. F.; 789. A.

"Cæterum cum ab eo de fine sæculi quæreremus, ait nobis (sc. Martinus) Neronem et Antichristum prius esse venturos . . . . Ab Antichristo vero Orientale imperium esse capiendum; qui quidem sedem et caput regni Hierosolymam esset habiturus; ab illo urbem et templum esse reparandum."—Sulp. Sev. Dial. ii. cap. 14. Op., p. 476.

"Ergo sedebit in templo, et in templo interiore Judæorum, qui Christum negabunt; in templo non inviolabili, sed corruptelæ obnoxio, quod aut perfidiæ involvat ruina, aut iracundiæ vis subruat, aut cupiditatum ignis exurat. Et bene tunc veniet dies Domini, et breviabuntur dies propter electos."—S. Ambr. Expos. in Luc. lib. x. § 7. Op., tom. i. col. 1508. B. C.]

[l] [Conf. S. Aug. de Civit. Dei, lib. xx. cap. 19. Op., tom. vii. col. 958. D., et auctores ab Edit. Bened. in annot. in loc. citatos.]

sentiunt, nec numero pauciores alii, et vero auctoritate superiores.

Unus est Œcumenius, qui hunc locum exponens negat Antichristum sessurum in Hierusalem; sed videtur locus depravatus omissione particulæ 'tantum.' Hic enim auctor perpetuo sequi solet Chrysostomum. Sed neque tanti faciendus est, cum sit auctor recens.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 131. [Op., tom. vii. col. 778. A. B.]

[Utrum templum Hierosol.]

Nec erat, ut uni medicinam ibi faceret, quasi unus modo extra Hierosolymas Antichristum quæreret. Quam tamen illi medicinam facit? Œcumenio, qui diserte negat *Hierosolymis sessurum*[m], (cujus ex jure proin major debet esse auctoritas) peccatum *omissionis* impingit, adhibet *Indicem Expurgatorium,* tanquam *depravato* jubet suppleri *tantum. Non Hierosolymis: Lege non tantum Hierosolymis.* Facilis vero medendi ratio. Post vero etiam ut *recentem* elevat. *Recentem* autem? Ubi ergo jam, quam nobis toties inculcavit, regula? *Qui ante annos amplius sexcentos scripsit, videat an recte recens appelletur*[n].

226

Quid ergo Chrysostomus? quem sic (ut ait) *perpetuo sequi solet Œcumenius.* Etiam idem illi quoque supplementum adhibendum *particulæ 'tantum.'* Nec enim Chrysostomus aliter loquitur, Latine quidem aliter: ubi (*Tantum*) apposuit interpres, at Græce, *εἰς ναὸν, οὐ τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις, in Templo, non quod Hierosolymis*[o]. Haud aliter vetus Auctor Chrysostomus, quam recens Œcumenius. Quid Theophylactus? *Non in Templo,* (et hic abest *'tantum,'*) *non in Templo specialiter quod est Hierosolymis, sed in Ecclesiis simpliciter, et omni divino Templo*[p]. Theodoretus autem, *Dei autem Templum appellavit Ecclesias,* (caveat autem hic Romanus vester) *in quibus primam sedem arripiet*[q]. Hieronymus aperte rem gerit, ut scias quæ illius hic sententia. *In Templo Dei, vel Hierosolymis, ut quidam putant, vel in Ecclesia, ut verius arbi-*

[m] [Εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ. Οὐ τὸν ἐν Ἱερουσαλὴμ λέγει, ἀλλ' εἰς τὰς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ.—Œcumen. in 2 Thess. ii. Op., tom. ii. p. 194. B.]

[n] [Vide Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 763. C.]

[o] [Οὐ γὰρ εἰς εἰδωλολατρείαν ἄξει ἐκεῖνος, ἀλλ' ἀντίθεός τις ἔσται, καὶ πάντας καταλύσει τοὺς θεούς, καὶ κελεύσει προσκυνεῖν αὐτὸν ἀντὶ τοῦ Θεοῦ. καὶ καθεσθήσεται εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ, οὐ τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις μόνον, ἀλλὰ καὶ εἰς τὰς πανταχοῦ ἐκκλησίας.—S. Chrys. Hom. iii. in 2 Thess. Op., tom. iv. p. 232. lin. 19.]

[p] [Οὐχὶ εἰς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις ναὸν ἰδίως, ἀλλὰ εἰς τὰς ἐκκλησίας ἁπλῶς, καὶ πάντα ναὸν θεῖον.—Theophyl. Comment. in 2 Thess. ii. 4. Op., tom. ii. p. 536. E.]

[q] [Ναὸν δὲ Θεοῦ τὰς ἐκκλησίας ἐκάλεσεν, ἐν αἷς ἁρπάσει τὴν προεδρείαν.—Theod. in 2 Thess. ii. 4. Op.; tom. iii. p. 533.]

tramur[r]. Verior ergo sensus, in *Ecclesia.* Qui *ipse* (quem unum affert, pro se de Scripturis, locum Cardinalis) *de urbe in qua Dominus crucifixus est,* non in transitu perstringit, sed excutit serio: et de Hierosolymis[s] intelligendum negat. At Augustinus, *incertus* primo, (ut scias *Templum Judaicum* fidei rem non esse) *an in ruina Templi, an vero in Ecclesia,* concedit post in sensum nostrum *de Ecclesia,* dum expendit idioma Græcum, *sedebit* non *ἐν ναῷ in Templo,* sed *εἰς ναὸν in Templum: quod sessurus sit in Templum, tanquam ipse sit Templum, quod est* (inquit) *Ecclesia*[t]. Quem et Primasius sequitur, et sensum hunc asserit *de Tychonii regulis* petitum[u]. Habet ergo Sectatores plerosque sententia hæc inter Patres, *de sede Antichristi* in *Ecclesia,* nec una hic hirundo Œcumenius.

Pontificem nullo colore Antichristum dici posse, qui nunquam in Hierosolymis sedit, neque a Judæis pro Messia habitus est.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 131. [Op., tom. vii. col. 778. B.]

Nec Judæi hic quicquam obstabunt, qui Messiam suum agnituri, etsi vel trans montes Caspios sederit. Ubi diu jam abhinc natum, et etiamnum sedere fabulantur. Quare sedeat modo *in Ecclesia Dei,* (etsi nusquam Roma pedem efferat) nihil impedit, quo minus sit *Antichristus.*

[r] [S. Hier. Ep. cxxi. Vall. (al. cli.)] ad Algasiam [Quæst. 11. Op., tom. i. col. 882. A.]

[s] ["Si enim ais; Civitas magna, in qua crucifixus est Dominus, nulla est alia nisi Jerusalem; ubi autem crucifixus est Dominus, spiritualiter Sodoma appellatur et Ægyptus; ergo Jerusalem Sodoma est et Ægyptus, in qua crucifixus est Dominus. Primum te scire volumus, omnem sanctam Scripturam non posse sibi esse contrariam; et maxime unum adversum se non discrepare librum; et, ut plus adjiciamus, eundem ejusdemque libri locum. . . . Si enim Apocalypsis multo post passionem Domini scripta est a Joanne, et in ea Jerusalem sancta civitas appellatur, quomodo rursum spiritualiter Sodoma vocatur et Ægyptus?" — Ep. Paulæ et Eustoch.] ad Marcel. [apud S. Hier. Epist. Ep. xlvi. Vall. (al. xvii.) sect. 6. Op., tom. i. col. 201. C. D. E.]

[t] ["Sed in quo templo Dei sit sessurus, incertum est; utrum in illa ruina templi, quod a Salomone rege constructum est, an vero in Ecclesia. Non enim templum alicujus idoli aut dæmonis, templum Dei Apostolus diceret. Unde nonnulli, non ipsum principem, sed universum quodammodo corpus ejus, id est, ad eum pertinentem hominum multitudinem, simul cum ipso suo principe hoc loco intelligi Antichristum volunt; rectiusque putant etiam Latine dici, sicut in Græco est, non *In templo Dei;* sed, *In templum Dei sedeat,* tanquam ipse sit templum Dei, quod est Ecclesia; Sicut dicimus, Sedet in amicum, id est, velut amicus; vel si quid aliud isto locutionis genere dici solet." —S. Aug. de Civ. Dei, lib. xx. cap. 19. § 2. Op., tom. vii. col. 958. A, B.]

[u] ["*Quod dicitur Deus,* Ecclesia est; *quod* autem *colitur,* Deus summus est. *Ut in templo Dei sedeat, ostendens se quod ipse sit Deus;* id est, quod ipse sit Ecclesia; Quale est, si diceret, in templum Dei sedeat, ostendens se quod ipse sit Dei templum; aut in Deum sedeat, ostendens quod ipse sit Deus. Istud de Ticonii regulis."—Primasius in 2 Thess. ii. apud Bibl. Max. Patrum. tom. x. p. 232. C. Vide Tichonii regulas apud Gall. Bibl. Pat. tom. viii. pp. 741, seq.]

Peccata condonat (Papa) non auctoritate propria, sed ministerio sacramentorum, animas non proprie redimit, sed peccata eleemosynis redimere docet. . . . Articulos fidei non proprie condit, sed qui sint articuli fidei . . . declarat. Judicat omnes . . ., ipse a nullo . . . judicandus, sed judicandus tamen a Deo.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 131. [Op., tom. vii. col. 778. B. C.]

227 [Quænam Pontificis potestas.]

Quasi jam *Pontificem* in ordinem cogere velit Cardinalis, narrat nobis serio, *peccata non condonari ab eo, nisi ministerio Sacramentorum*, quod tamen quivis facit de vulgo *Sacrificulus*: in quo, absit, ut ea sit, quæ in *Pontifice* est, *plenitudo potestatis*. Tum, *nec animas redimere*, sed annon id quotidie fit e Purgatorio? Pretium solvitur, pœna remittitur. Et quid est, si hoc non sit, *redimere?* Etiam in *Cancellaria* taxantur scelera, taxa numeratur, anima, quasi excusso compede, libera statim evolat[x]. Sed neque *Articulos condere*. Imo, *condere*, sed non *proprie*. Quod autem *improprie dicitur*, ex Cardinalis regula, *jure negatur*[y]. Qui dudum non erant, (saltem Catholicis suis non erant,) declarando facit ut sint. *Vocare ea, quæ non sunt, ut jam sint*[z], quid aliud est, quam *condere* vel *creare?* At ut *judicetur a quoquam Pontifex*, id non concedit, nisi *a Deo*. Non sponte (credo) sed *judicatus* tamen, ab Othone[a], ab Henrico[b], a Sigismundo[c], vel (ne detur elabi) eorum opera, a Conciliis, Romæ[d], Sutrii[e], Constantiæ[f]. Verum jam Concilium Constantiense non sedet. At poterit cito sedere, si Sigismundus sit. Interim dignatus tamen est Petrus apud Ecclesiam facti sui rationem reddere[g]: si dedignetur *Papa, Antipetrus* est, et (quod perinde apud vos valet,) *Antichristus*.

Proinde neque Deus est, neque Deum se facit, qui servum servorum Dei se nominat.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 131. [Op., tom. vii. col. 778. C.]

[Se Servum Servorum falso nominat.]

Nam nomen *Servi Servorum* nomen est, sine re: imo rem contra. Fac super Cæsaris cervices provoluti stantem Pontificem, (Cæsaris, *Dominorum Domini*, olim enim sic

[x] [Vide Taxam Cancellariæ apud Tractatus Juris Universi. tom. xv. par. i. p. 368.]

[y] [Bell.] de Imag. lib. ii. cap 21. [§ Secundo. Op., tom. ii. p. 456. A.]

[z] [Rom. iv. 17.]

[a] [Plat. in Vita Joan. XIII. (al. XII.) in Vitis Pontif. p. 155.]

[b] [Plat. in Vita Greg. VI. ibid. p. 169.]

[c] [Plat. in Vita Joan. XXIV. (al. XXIII.) ibid. p. 285.]

[d] [Conc. tom. ix. coll. 648–652.]

[e] [Conc. tom. ix. coll. 943. E; 944. A.–C.]

[f] [Vide Bullam convocationis Concil. Constant.—Conc. tom. xii. col. 11. seq.]

[g] [Act. Apost. xi. 4.]

Cæsares:) appone tum nomenclaturum, Hic, qui sic calcat *Dominum Dominorum, Servus Servorum est:* joco dictum putent, nec nisi per *antiphrasim,* ut *montem a movendo.*

Omitto quod . . . Rex multum laborat ut probet, quod nos non negamus, Apostolum loqui de Antichristo venturo post multa tempora.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 131. [Op., tom. vii. col. 778. C.]

[Utrum Antichristus sit Romæ an Babylone sessurus.]

Si vero *post multa tempora venturus Antichristus,* parcendum labori, ut probetur hoc. Si non negatis, en ex eo quid sequatur. Quo loco *venturum sic post multa tempora Antichristum,* eodem ipso *Babylone* sessurum legimus. Vobis vero *Roma Babylon. Romæ* ergo sessurum. *Roma Babylon* est, (dicetis statim) sed *Roma Ethnica.* Imo eo ipso tempore, quo Apocalypsis scripta, *Roma* jam tum *Ethnica. Post multa* vero *tempora, Ethnica* non erat, *Ethnica* non est. Quare quæ in Apocalypsi, *Roma* seu *Babylon* est, *Ethnica* non est, sed quæ *Christiana* jam facta, *post multa tempora* defecit ad idololatriam; ut post illa tempora sedes esse possit *Antichristi.* Operæ pretium ergo Rex in eo fecit, ut venturum probaret *post tempus non breve.* Longinquitate enim 228
temporis perit vestra vobis *Roma Ethnica.* Quodsi *Ethnicam* esse eam non sinant *tempora longa;* facilis tum conjectura, quam tandem ibi Joannes *Babylonem* dicat, et quis ibi *Antichristus* in *Babylone* sessurus, et quam ob causam denique casura *Babylon* illa.

Sed mirum est, quam varie ludant Adversarii in verbo Domini. Nunc enim dicunt verbo Domini Antichristum interficiendum, nunc vero contra verbum Domini ab Antichristo interficiendum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 132. [Op., tom. vii. col. 778. D.]

[Quo sensu Christus Antichristum spiritu oris sui interficiet.]

Spiritus oris Christi, quæritur *verbumne Dei sit,* an *potestas.* Utrumque, tuto concedi potest. Nam et *potestas* in *verbo* est, addo et *potestas summa.* Nihil ergo hic opponit Cardinalis. Non est enim hoc refutare, oppositionem facere sine oppositione. Sed et in eo sibi ludos facit, (vereor autem, ne se quoque) dum ei dicto illudit, *verbum ab Antichristo, Antichristum a verbo interficiendum.* Nam quid impedit, si redeant a morte ad vitam (et redeunt) Testes illi, ut, a quo interfecti prius, eum post redivivi interficiant? Nec est enim tam hebes hic Cardinalis, ut sentiat, utcunque ad tempus, verbum Dei jacere, at penitus sic interire non posse, ut non denuo reviviscat.

Oportet . . . valde debilem (esse) spiritum oris Christi, si Antichristum supra mille annos regnantem . . . . conficere non potuit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 132. [Op., tom. vii. col. 778. D.]

Tum, illud alterum *de Spiritu Christi debili, qui tot jam annos Antichristum non interemerit,* Gladiator hoc aliquis forte culpet, qui uno statim machæræ ictu rem conficit, non Cardinalis, qui lenta morte tam scit interire homines, quam repentina, nec interfici modo, qui statim concidit, sed et qui hausto odore sæpe, vel spiritu non bono, etsi post diuturnum languorem, tandem tamen moritur. Pontifices hoc sæpe senserunt, ut toti Romæ ludibrium debeat, si hoc neget. Omnino languor ille, (seu malis *debilitatem* dicere) via est ad interitum. Viam qui ingressus est, etsi non properat forte, tandem tamen ad viæ terminum perventurus est. Interim, a termino ad quem, motus denominari solet. Et Cardinalis *ludit* ipse, dum sic opponit, *non dicit, debilitabit, sed interficiet.* Utrumque dicit; opposita hæc non sunt; *debilitando* enim *interficiet.* Scit enim, qui multis vulneribus confossus, qui in gradu ultimo sit *debilitatis,* a morte non multum abesse.

Satius . . est audire . . . Patres, qui per spiritum oris . . ., non intelligunt prædicationem verbi . . ., quæ ad salutem, non . . . perditionem adhiberi solet, sed potestatem . . . Christi.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 132. [Op., tom. vii. coll. 779. A.]

Simile et illud, *Prædicationem verbi Dei adhiberi ad salutem, non perditionem:* quasi non legerit, *Odorem quoque mortis ad mortem esse in iis, qui pereunt*[h]*;* nisi, si jam illi in animo est, *salutem* etiam afferre (si potest) *Antichristo.* Nam de Hieronymo[i] quæ affert, et Chrysostomo[k], recte consis-
229 tunt: ubi, vires ejus diu attrivit, momento tandem de medio tollet. Nec hic quidem igitur vel *debilitavit* Cardinalis, quæ Rex attulit.

[Conatur ostendere Ecclesiam nostram esse Antichristianam, quia jactet innumerabilia miracula, quæ tamen sint contraria suæ ipsius doctrinæ. —Bell. Apol. pro Resp. p. 132; et Op., tom. vii. col. 779. B.]

---

[h] 2 Cor. ii. 16.

[i] ["*Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui;* divina videlicet potestate, et suæ majestatis imperio, cujus jussisse, fecisse est; non in exercitus multitudine, non in robore militum, non in Angelorum auxilio; sed statim ut ille advenerit, interficietur *Antichristus.*" — S. Hier. Ep. cxxi. Vall. (al. cli.) ad Algas. Quæst. 11. Op., tom. i. coll. 882. E, 883. A.]

[k] ['Ο Χριστὸς τῷ ἐπιτάγματι μόνον, καὶ τῇ παρουσίᾳ τὸν Ἀντίχριστον ἀναλώσει. ἀρκεῖ παρεῖναι αὐτὸν, καὶ ταῦτα πάντα ἀπόλωλε· στήσει τὴν ἀπάτην, καὶ φανεὶς μόνον.—S. Chrysost. Hom. iv. in 2 Thess. Op., tom. iv. p. 235. lin. 40.]

Erit Antichristi adventus *in signis mendacibus:* qualia tam multa in *Papatu,* ut eant in libros molis magnæ. *Mendacia* merito dixit, nempe quæ, vel *Papatus* ipsius *doctrinæ contraria,* ut ita, vel *in signis,* (quæ ipsi narrant) *mendacium* deprecari nequeant. Sunt alia innumera. Unum ponit Rex, de *Equa* quadam apud Bellarminum[l] devota, et cum (Garnetto doctior[m]) scisset Hostiam rite consecratam, certo *transubstantiatam,* de geniculis adorante. [Signa Antichristi mendacia;]

> Quamvis . . non sit institutum . . . Sacramentum, ut ab animantibus rationis expertibus adoretur, [tamen] cum id fit, Deo . . . membra animalium illorum movente, ut Sacramentum adorare videantur, . . . præsentiam Domini in Sacramento adesse adoratio illa demonstrat.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 132. [Op., tom. vii. col. 779. C.]

Nec hoc vel ex doctrina vestra verum est, *Sacramentum ideo institutum,* ut illud *pecora campi,* vel cognoscant, vel *adorent,* vel cómmercii cum eo quicquam habeant. Certe mures sæpe non bene obseratas hostias epulantur: non legitur tamen *Troxartes* quis ex ea gente, qui tantam reverentiam sacramento exhibuerit, quantam *Equa* hæc. Hic Cardinalis, non *adorasse* quidem Equam suam, (puta vera latria) *mota* tamen *illius membra,* ut, etsi non adoraret, *videretur* tamen *adorare.* Atque illud ipsum *videri* satis esse, ut Christum ibi, *non videri,* sed *esse* omnes sine dubio intelligunt. At magis æquum erat, mures Hostiam, antequam comedant, venerari, aut ut *motus* in illis aliquis *membrorum* foret, proxime accedens ad latriam. Mures quidem manducantes, quam Equam famelicam. [ut illud de equa hostiam venerante.]

Addit deinde, ex sacris literis quædam, et conjungit cum Equa, Vaccas, *Quæ Arcam ferentes non aberrabant*[n]*:* Asinam, *quæ humana voce loquebatur*[o]*:* Cetum, *qui Jonam rejecit in littus*[p]*:* Corvos, *qui Eliam quotidie pascebant*[q]*:* Leones, *qui Danielem in spelunca non attingebant*[r]. Sed, inæquale hoc jugum est: aliqua tamen ex parte æquale fuisset, si *Vaccæ* Arcam (utpote *Scabellum* Domini[s]) *adorassent.* At neque in *Vaccis,* nec *Asina,* non in *Ceto,* nec vel *Corvis,* vel *Leonibus;* nusquam hic *adoratio* est, non vel duliæ species aliqua: nedum, qui in *Equa* fuit, devotionis ardor. Ardorem dico, [Nihil simile apud Scripturas.]

[l] [Vide Bell. de Sacr. Euch. lib. iii. cap. 8. § 'Quinto.' Op., tom. iii. p. 149. G. H.]
[m] [Vide supra, p. 9.]
[n] [1 Sam. vi. 10. seq.]
[o] [Num. xxii. 28.]
[p] [Jon. ii. 10.]
[q] [1 (al. 3.) Reg. xvii. 6.]
[r] [Dan. vi. 22.]
[s] [Ps. xcix. (xcviii. Vulg.) 5.]

quod sic, pabulo neglecto, accurrerit, quod tam humiliter devotionem exhibuerit, quod tam disciplinate *membra moverit*.

Idem enim Deus fecit, ... qui fecit ut vaccæ feræ [*leg.* fœtæ] et indomitæ dimissis vitulis sine ullo Rectore arcam Dei [*leg.* Domini] ferrent. 1 Reg. vi.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 133. [Op., tom. vii. col. 779. D.]

[in vaccis arcam ferentibus,]

Sed nec *indomita Equa* hæc, ut *Vaccæ:* quo minus mirum. Vidimus enim condocefactum hic apud nos equum multi, qui signo dato, de genibus, quemcunque innuisset ei Dominus, confestim adorasset, citra tamen miraculum omne. Ibant *Vaccæ* arcam ferentes, ibant relictis vitulis suis mugientes, ibant recta, nec *domitæ* tamen, nec doctæ viam. Nihil hic doctrinæ contrarium, nihil nisi verbo Dei congruum inprimis. Naturam quamque, vel belluinam, dirigi ab eo, qui naturæ suæ cuique auctor est. Monuit autem eo, vel Israelem ipsum (quod totidem pene verbis expressit Esaias), *Boves cognoscere, cognoscere et asinos præsepe Domini sui, at illos, stirpem infelicem, Deum vivum supremum ignorare* [t]. Nec ire quo dirigit; cum *Vaccæ* tamen recta eant, ad destinatum a Deo *Arcæ* locum.

Et qui fecit, ut jumentum ... aliquando loqueretur, et Prophetæ insipientiam redargueret. Num. xxii.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 133. [Op., tom. vii. col. 779. D.]

[in asino Baalamum alloquente,]

Sed neque secundum de *Asina* quadrat; quadraret, si vel *Angelum adorasset Asina,* sicut *Equa:* vel *Equa* locuta, sicut *Asina,* hæreticorum incredulitatem arguisset. Ubi tamen, nimio plus tribuit Cardinalis *Equæ,* quam *Asinæ. Asinæ* sat erat, si *argueret;* Equæ autem, non id satis, nisi et *triumpharet,* mirum autem, ni et *Io Pæan* canat miraculo huic *Equæ triumphantis.* Mirum autem, quod sic (ut est in fabula) venerata jam, non et gustarit de ea pauxillulum, præsertim cum jejuna esset et, quod majus est, famelica. Quidni autem id detur liceatque *Equæ* huic *triumphanti,* quod sæpe compertum est licere *muri trepidanti?* At (quod erat instituti divini) in *Asina loquente,* habemus in ipso verbo. Petrus [u] enim consilium Dei explicat, in *Asinæ* ore aperiendo, ut illud sine dubio non fuerit doctrinæ contrarium.

Et qui Ceto mandavit, ut Jonam .... evomeret. Jon. ii.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 134. [Op., tom. vii. col. 779. D.]

---

[t] Es. i. 3. [u] 2 Pet. ii. 16.

Quodsi et de *Ceto* dicendum: nec ibi contrarii quid. Nam quis typum fuisse nescit Servatoris, triduo absorpti quasi a sepulcro, tertio post die inde, quasi de ventre *Ceti*, erumpentis? atque hoc, Servatore[x] ipso interprete. [in cœto Jonam evomente,]

Et qui corvis præcepit, ut ad Eliam panes et carnes bis in die deferrent. 3 Reg. xvii.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 134. [Op., tom. vii. col. 779. D.]

Etiam in *Corvis* illustre emicat divinæ providentiæ exemplum, quæ non solum *pullos corvorum pascit*[y]: sed per eos pascit, qui *pluris illi sunt, quam corvi multi*[z]. Id quod et singulari solatio Ecclesiæ fuit, et nobis est: Ei nos Domino operam ponere, cui usque adeo cordi et curæ sumus, potius ut, per volucres voraces illas, (notæ infimæ, et infaustæ) pascendi, quam ut fame nobis pereundum sit. Quod et apte non minus apud Jobum dicitur, *Ubi* quis Deo famulatur, *etiam cum lapidibus agri ei, etiam cum feris, pacem fore*[a]. Sed neque *Cetus*, (postquam rectus jam in littore staret) Jonæ discedens inclinavit se: Neque *Corvi*, antequam escam apponerent, Eliam venerati sunt: ut desit semper, quod in hac collatione caput est. [in corvis Eliam pascentibus,]

231

Et qui leonibus . . . jussit, ut Danielem . . . non attingerent.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 134. [Op., tom. vii. col. 779. D.]

Jam a *Leonum* insultu, ab hominum *Leone* quovis efferatiorum pernicie, liberati populi Dei passim exstant exempla per sacram utramque paginam; ut mirum Pauli quoque *Viperam* agmen non clausisse. At id scire volumus Cardinalem, nobis hic Danielis et Pauli, (et siquæ præterea sint ejusdem generis ab ultimo discrimine) liberationes, nullo modo doctrinæ sacræ contrarias videri. Nobis (inquam) *Serenissimi Regis* JACOBI subditis, qui, sub Rege hic nostro, et cum Rege, adhuc vivimus. Cui enim id nostrum unquam excidet? cui in memoria semper non hærebit? quis nostrum *misericordias Domini non cantabit in æternum*[b]? Qui nos, non ita pridem insigni miraculo (cuique simile vel secundum per universam sæculorum seriem, nec præcedentem exstitit, nec subsequentem exstabit unquam), nos (inquam,) *Regem* ante omnes, *Reginam* a dextris, Summæ spei *Principem*, Regiam sobolem, Familiam, Regni denique Ordines omnes et [in leonibus Danieli parcentibus.]

[x] Matt. xii. 40.
[y] Ps. cxlvii. 9.
[z] [Vide Matth. x. 31.]
[a] Job. v. 23.
[b] [Vide Ps. lxxxix. (lxxxviii. Vulg.) 1.]

Gradus, de suffossa pulveris vi tanta, et igne jam jamque accendendo, liberavit. Tristior illa longe, et formidolosa magis *spelunca*, quam de qua Daniel ereptus. Non *Leones* in vestra hac, vel *viperæ;* homines quidem ibi specie, sed Cardinalis doctrina de hominibus feræ facti, (doctrina de quolibet *audendo, cum vires aderunt*[c], aderant autem tum, aderant, quæ in disploso igne sunt, vires omnium maximæ,) feræ (inquam) facti, imo feris pejores, ut præ illis, *Leones* non *Leones*, nec *viperæ ipsæ, viperæ*. Ecqui enim in subterraneo illo Danielis specu *Leones* simile quid facturi erant? Ecquid similem, ut illi, stragem edituri ? (Appello Cardinalem) ni Deus avertisset, ni successu caruisset scelus. Utrobique quidem *spelunca :* verum in nostra hac, non *Leones, Dæmones* ipsi potius. Utrobique etiam, qui eruti sunt, Danieles, ut non possit in oblivionem venire nobis, unquam, vel *exemplum doctrinæ* illius, vel *doctrina exempli*. Atque ut redeam, (unde me abripuit *speluncæ* illius mentio) et claudam locum, sed aliter tamen, quam Cardinalis. Etiam *Arca Domini* ad hoc instituta est; etiam *Prophetæ*, addo etiam *Vaccæ, Balenæ, Corvi, Leones*, animantium genus omne, ut in salute populi sui eluceat Dei tum potentia, tum
232 gloria, quæ tanto magis elucet, quanto infirma magis instrumenta sunt, quanto magis despicatui, per quæ salutem hanc operatur in medio terræ[d]: idque, cum vires inimicis eorum adsunt maximæ, ipsique viribus suis maxime præfidentes. Totum vero hoc, quo in eo stultitiam arguat eorum, qui, homines cum sint, eoque brutis ratione præstent, ac plus sapere deberent, usque adeo desipiunt tamen, ut, non aliter, ad *bruta*, quam ad *Magistros*, ablegandi sint; cum et feræ interdum ipsæ, Dei nutu, feritatem exuant; ubi homines a Deo humani facti ipsi in feras degenerant, adeoque feras ipsas feritate longe superant.

[c] [Bell. de Rom. Pont. lib. v. cap. 7. Op., tom. i. p. 235. G.]

[d] [Ps. lxxiv. (lxxiii. Vulg.) 12.]

Ad Caput Decimum.

De Sede, et duratione Antichristi.—[Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 780. A.]

De Sede, et duratione Antichristi.

Non est idem Bestia, quæ describitur cap. xi. Apocalyp., et Meretrix magna, quæ describitur cap. xvii.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 135. [Op., tom. vii. col. 780. B.]

De *Sede Antichristi*, non difficile conveniret, si eandem rem significaret *Bestia*, cap. XI°., *Meretrix*, cap. XVII°., XVIII°., XIX. Eandem ibi rem significari negat Cardinalis, dum hæc salutavit modo, et perstrinxit leviter: quæ Regi diu multumque meditata, interius multo, meliusque perspecta sunt. Semel (ut videtur Cardinali) Antichristus comparet, in vaticinio illo, idque, cap. XI°. Res vero secus se longe habet. Una enim, eaque continua, nec usquam pæne visionum interrupta series, evincet facile, non tam leviter transiri, insisti diutius in Antichristi negotio, tanquam de quo admoneri Ecclesiam, vel unice, vel certe maxime, interesset. Nec XI°. tantum, sed et XIII°., ac XIV°., XVI°. etiam, et XVII°., Regnum ejus describi. Nam de XVIII°. nemini dubium est. [Bestia apud Apoc. eadem est ac Meretrix.]

Nec operosum erit, hac de re, ex istorum Capitum reciproca quadam, (tum quoad res, tum quoad phrases ipsas terminosque) cohærentia, conjecturam facere. Nam in XI°. *ascendit ex Abysso Bestia, duratio Regni ejus triennium, et semestre*[a]. At XIII°. *Bestia eadem*, iterum de *nomine*[b] describitur: iterum autem duratio, per *menses quadraginta duos*[c], qui *annos* itidem *tres* conficiunt *cum semestri*. Utroque ergo hoc capite tenemus Antichristum, nec Cardinalis hoc negat. [Sæpius in Apoc. memoratur.]

[a] [Apoc. xi. vers.] 7. 9.
[b] [Apoc. xiii.] ver. 1.
[c] [Ibid.] ver. 5.

Eodemque post XIII°. *de Imagine Bestiæ*[d] mentio fit, deque
233 *Numero*, nec *cuiquam emendi vendendive futura copia, nisi, qui characterem Bestiæ, vel manu dextra, vel fronte susceperit.*

Decimo autem quarto, in cœlis gaudium est, et gratulatio. Gaudii vero causa, his verbis, *Cecidit, Cecidit Babylon Civitas magna, quæ universam terram potavit calice fornicationum suarum*[e]. Sed, ut scias eandem inibi quoque rem premi, mox et illud repetit, *Siquis Bestiam adoret, ejusve imaginem, et suscipiat in manu, vel fronte characterem ejus*[f], (de qua prius meminerat,) *ut eadem plane* hoc quoque Capite sit Bestia, quæ paulo ante fuit decimo tertio præcedente.

Jam, decimo sexto eandem incudem tundit. Effusa enim per Angelum phiala prima, *Occupat eos lues gravis, et infesta, super quos Character Bestiæ, quive imaginem ejus venerati essent.* Post vero, eodem ipso capite legas, et *Phialam quintam*[g] in ejusdem ipsius *Bestiæ thronum* ipsum infundi. Nominatim autem, vers. xix. ibi dicitur factum hoc, quod, *revocata Deo in memoriam magna Babylon, quo misceret ei in calice, de vino furoris iræ suæ.*

Ineunte autem cap. XVII°., ipso statim exordio, idem ille Angelus, qui decimo sexto unam de septem phialis habuit, quique earum primam in illos effuderat, (qui Bestiam venerati, ejusque characterem admiserant:) idem (inquam) ille pollicetur Joanni, jam ostensurum se ei, *judicium Meretricis Magnæ, sedentis super aquas multas, cujusque vino scortationum inebriati Orbis incolæ*[h]. Quæ et ipsa verba habes de Babylone, cap. XIV°. Tum, eodem ipso capite sic affatur Joannem Angelus. *Quid miraris? Ostendam tibi mysterium mulieris, adeoque et Bestiæ, cui insidet*[i]. Eadem vero ibi Bestia. Bestiæ enim illi VII. *capita*, X. *cornua*, per omnia uti illi ipsi, quam XIII°. ante Capite descripserat[j]. Subdit autem, *Bestia quam vidisti, fuit, et non est, et ascendet ex Abysso*[k]: quæ et ipsa verba, *Ascendet ex Abysso*, cap. XI°. referuntur[l], satis ut inde liqueat, non *duas* ibi Bestias, sed utrobique per utramque, tam quæ in XI°., quam, quæ in XIII°. capite, *eandem rem* denotari. Atque hæc jam, (quam ita breviter obii)

[d] [Apoc. xiii.] vers. 15. 16. 17.
[e] [Apoc. xiv.] ver. 8.
[f] [Ibid.] ver. 9.
[g] [Apoc. xvi.] ver. 10.
[h] [Apoc. xvii.] vers. 1, 2.
[i] [Ibid.] ver 7.
[j] [Apoc. xiii.] ver. 2.
[k] [Apoc.] cap. xvii. 8.
[l] [Apoc. xi.] ver. 7.

connexio capitum, annon luculenter ostendit *unam* hic eandemque, per quinque illa capita, XI^um^., XIII^um^., XIV^um^., XVI^um^., XVII^um^., Bestiam: nec *unam* in uno, in alio *aliam?* (Cum, et repetatur in plerisque nomen ipsum Babylonis [m].) An vero cum Cardinale, in XI°. ac XIII°. alterius Bestiæ, Babylonis item alterius descriptio sit, quam quæ est in tribus reliquis: (ut Babylon ibi gemina, utraque tamen Roma:) 234
Horum quid sit, aut utra magis ad methodum, seriemque contextus interpretatio, videat æquus Lector, visa re judicium ferat.

[Et quoniam nos . . . ex communi Patrum sententia docuimus Antichristum regnaturum tribus annis cum dimidio [n] . . . . .] Rex conatur eludere Scrip-

---

[m] Capp. xiv. 8.; xvi. 19.; xvii. 5.

[n] [Testimonia Patrum quæ de Regno Antichristi a Bellarmino citantur, hic subjicere visum est. (1.) "Quum autem vastaverit Antichristus hic omnia in hoc mundo, regnans annis tribus et mensibus sex, et sederit in templo Hierosolymis, tunc veniet Dominus de cœlis in nubibus."—S. Iren. contr. Hær. lib. v. cap. 30. p. 330. col. 1.

(2.) Τὰ τρία ἥμισυ ἔτη βασιλεύσει ὁ Ἀντίχριστος ἐπὶ τῆς γῆς. καὶ μετὰ τοῦτο ἀρθήσεται ἡ βασιλεία αὐτοῦ καὶ δόξα.—S. Hipp. trib. lib. de Consum. Mundi, cap. xxv. Op., tom. i. Append. p. 17. Vide quoque S. Hippol. de Antichristo, cap. lxi. Op., tom. i. p. 30.

(3.) Ἐπὶ τρία δὲ ἔτη μόνα καὶ μῆνας ἐξ τὰ τοιαῦτα τολμήσας, ὑπὸ τῆς δευτέρας ἐξ οὐρανῶν ἐνδόξου παρουσίας τοῦ μονογενοῦς Υἱοῦ Θεοῦ καταργεῖται, τοῦ Κυρίου καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἀληθοῦς· ὃς ἀνελὼν τὸν Ἀντίχριστον τῷ πνεύματι τοῦ στόματος, τῷ τῆς γεέννης τοῦτον παραδώσει πυρί. — S. Cyr. Hier. Catech. xv. § 12. p. 230. B.

(4.) "Tempus annum significat, Tempora, juxta Hebraici sermonis proprietatem, qui et ipsi dualem numerum habent, duos annos præfigurant. Dimidium autem temporis sex menses, quibus sancti potestati Antichristi permittendi sunt."—S. Hier. in Dan. vii. 25. Op., tom. v. col. 671. D.

(5.) "Tempus quippe et tempora et dimidium temporis, annum unum esse et duos et dimidium, ac per hoc tres annos et semissem, etiam numero dierum posterius posito dilucescit, aliquando in Scripturis et mensium numero declaratur."—S. Aug. de Civ. Dei, lib. xx. cap. xxiii. § 1. Op., tom. vii. col. 971. C.

(6.) Καιρὸν οὖν, καὶ καιροὺς, καὶ ἥμισυ καιροῦ, τρία ἥμισυ ἔτη λέγει, ἃ τὸ κέρας ἐκεῖνο τὸ λαλοῦν μεγάλα κρατήσει.—Theod. in Dan. vii. 25. Op., tom. ii. p. 1206.

(7.) "His etiam mensibus tres anni cum sex mensibus adimplentur, quibus superius quidem præsentis, nunc autem specialiter novissimæ persequutionis prænunciatur asperitas."—Primas. Comment. in Apoc. lib. iv. (in cap. xiii. 5.)—Bibl. Max. Patr. tom. x. p. 318. G.

(8.) Beda ad Apoc. cap. xi. Op., tom. v. coll. 785—787.

(9.) Anselm. Laud. Enarr. in Apoc. cap. xi. apud S. Anselm. Cant. Op., tom. ii. p. 488. D. Col. Agripp. 1612.

(10.) "Quadraginta duos menses possumus specialiter referre ad spatium trium annorum et dimidii, quando sub Antichristo acerbius calcabitur, et comprimetur Ecclesia ab impiis. Nam in tribus annis et dimidio quadraginta duo menses continentur, quo numero etiam omne præsens tempus intelligitur."—Haymo Halberstat. in Apoc. (cap. xi.) lib. iii. fol. 98 a. Paris. 1535.

(11.) Ὁ τῆς ἐπιδημίας τοῦ Ἀντιχρίστου καιρὸς καὶ τῆς ἀπατηλῆς αὐτοῦ ἐξουσίας εἰς τρία ἥμισυ ἔτη συντελεῖται. τοῦτο γὰρ οἱ τεσσαρακονταδύο μῆνες χρονικὸν διάστημα συνάγουσιν.—Areth. Comm. in Apoc. cap. xxxvi. (ad cap. xiii.) apud Œcumen. Op., tom. ii. p. 761. B.

(12.) "Civitatem Sanctam, id est Ecclesiam, conculcabunt, videlicet persequendo, mensibus quadraginta duobus, id est tribus annis et dimidio, quibus regnabit Antichristus."—Rich. de S. Vict. lib. iii. super Apocal. Op., par. ii. p. 248. col. 2. B. Venet. 1592.

(13.) "Daniel quoque hoc modo dictum sibi audivit, 'Et putabit quod possit mutare tempora et leges, et tradentur in manu ejus usque ad tempus et

turæ . . sententias, quod in eis numerus certus pro incerto accipiendus sit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 136. [Op., tom. vii. col. 781. A.]

[Quamdiu regnaturus sit Antichristus.]

De *duratione*, certamen jam novum, ubi *triennii spatium, et semestris* ponitur. Dixit ibi Rex, *numerum poni certum pro incerto*, quod est apud Prophetas non infrequens. Non apud Prophetas. Nec apud Joannem ipsum. Quod fatetur hic Bellarminus, (nec Jesuitæ negant) ubi *millenarius annorum* (post quem solvendus Draco[o]:) ubi 144,000 (eorum qui signati in fronte) *certus* in speciem numerus, re *incertus* tamen[p]. Æque autem horum uterque definite positus atque ille. Cur ergo hi *incerti* sint, ille ne sit?

Sed id solet habere locum, cum unus aliquis numerus, isque perfectus adscribitur. . . . At hoc loco cum tempus Antichristi accuratissime describatur, per annos, per menses, et per dies, mirum est, si cui numerus certus pro incerto poni videatur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 136. [Op., tom. vii. col. 781. A. B.]

Magnum vero discrimen, ait Cardinalis. *Triennium enim hoc, et semis Antichristi, etiam per quadraginta duos menses explicatur magis:* quare hic sine dubio certus. Colligat vero se paululum, parum hic interesse sentiet. Nonne etiam et signatorum numerus, postquam summatim positus, quoad tribus universas, iterum, post, per partes sigillatim enumeratur, quoad singulas? Nomina autem ipsa singularum tribuum expresse ponuntur ibi, et ad nomina singula sigillatim 12,000, post autem, summis conjunctis denuo, 144,000. Tam vero accurate hoc, et quasi per minutias, cuivis ut perspicuum sit, non minus exacte signatorum summam, per partes suas, quam Antichristi annos, per menses suos explicari. Quod autem *id soleat habere locum*, ut numerus integer seu perfectus habendus sit pro incerto, (ut quadraginta menses, ut triennium) fractus autem pro certo, (ut quadraginta duo menses, ut triennium cum semestre) minus enim in speciem certi numeri, qui fracti: certiores, qui integri: gratis id dicitur a Cardinale: nec solet habere fidem, nisi ubi Cardinalis pro Pythagora. At illa magis Lectorem

tempora et dimidium temporis' . . . Tempus namque et tempora et dimidium temporis tres et semis annos intelligimus."—Rup. Tuit. in Apoc. (cap. xi.) Comment. lib. vi. Op., tom. ii. p. 526. col. 1. Paulo autem post, de ratione mensium quadraginta duorum subtilius disputat, et allegoricos quosdam sensus in illo numero latere contendit.]

[o] [Conf. Blas. de Vieg. Comm. in Apoc. cap. xx. § 1. num. 1. p. 851. Lugd. 1602.]

[p] [Idem in Apoc. cap. vii. Com. v. § 7. num. 1. p. 360.]

movere potest ratio, cur numerum ibi dimidiatum Joannes addiderit: quod a Daniele (cujus ubique fere imitator est,) loquendi modum illum mutuetur. Vix enim reperias apud Joannem phrasin aliquam, nisi vel ex Daniele, vel ex alio aliquo Propheta desumptam. Postquam enim ita Daniel de Christi adventu primo, *cap.* IX. *vers. ult., Hebdomada una fœdus firmabit cum multis, medio vero hebdomadæ illius, cessare faciet oblationem et Sacrificium:* Ad eundem modum, Antichristi tempus describit Joannes, quasi medio annorum 235
septenario, (qui numerum facit *annorum trium, et semissis:*) medio autem posteriore, venturum: quo novissima tempora designare voluit.

Ergone (inquies) toto illo tempore regnabit Antichristus? Certe non sine Apostolo diceret, qui id ita diceret. Jam tum enim, cum ad Thessalonicenses [q] scriberet Apostolus, *cœpisse* dixit *operari mysterium iniquitatis:* nempe, quasi fundamenta prima poni Regni *Antichristiani,* per, quæ tum invalescere cœperunt, opinionum portenta, et vitæ morumque corruptelas. Nec id plane tamen; nec, nisi sublato (quod tum obstitit) impedimento *Romani Imperii;* fore enim, ut cum Roma exactus *Imperator,* tum demum thronum suum plane capesseret Antichristus. Quanquam, et ita voluit, *media septimana* tempus illud circumscribere, ut scirent definitum a Deo tempus Antichristi, nec spem omnem abjicerent pii, quasi sine fine sæviturus in eos esset: nec vel ille sævitiæ, vel ipsi expectationis suæ terminum habituri. Interim, tam calide atque acriter insectatur hic *Bestiam* suam Cardinalis, ut in medio æstu, exciderit illi confessio hæc, *Capite* XVII°. *describi a Joanne excidium Romani Imperii propter persecutiones in Christianos* [r], quibus sævitum fuerat in Martyres Roma adhuc Ethnica: parum sui hic (ut videtur) memori, qui paulo ante argumento hoc usus fuerat, *necdum venisse Antichristum, quod excidium Romani Imperii nondum advenisset* [s]. Nondum autem advenisse illud, *quod Rex Rodulphum II. Romanorum Imperatorem scripserit.*

Siquid hæc argumentatio valet, adversus [S.] Hieronymum potissimum valere. Ille enim . . . 'Beatus,' inquit, . . . 'qui interfecto Antichristo

---

[q] [2 Thess.] cap. ii. 7.
[r] [Bell. Apol. pro Resp.] p. 135. [Op., tom. vii. col. 780. C.]
[s] [Bell. Apol. pro Resp.] p. 129. [Op., tom. vii. col. 777. A. Vide supra, p. 308.]

dies supra numerum præfinitum quadraginta quinque præstolatur, quibus est Dominus [atque Salvator in sua majestate] venturus[t],' &c. Hæc (ille) . . . magnus Pontificius.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 138. [Op., tom. vii. col. 782. A. B.]

[Utrum subito post cædem Anti-christi sit Christus venturus.]

Atqui infeliciter post pugnat Cardinalis, dum se docet non repugnare Scripturæ, cum diebus xlv., post triennium illud cum dimidio exactum, mundi finem fore affirmat, atque ita finem *incertum non fore*, quem tamen Christus *incertum fore* dixerat. Infeliciter (inquam). Nullum enim hic reperit suffugium, ut ictum declinet, nisi ut recipiat se a tergo Hieronymi, eumque interponat, et opponat Christo, quo sic plagam ne accipiat. Miram autem respondendi rationem: Christi ipsius sententiæ, nescio quot locis repetitæ, Patris unius sententiam nescio quam objicere; cum Cardinalis tamen ipse non sic semper habeat Patres, quin ex illis quenquam, ex causa minus apta, sæpe rejiciat. Tametsi, nec multum illi in Hieronymo præsidii est, qui recipit se ad
236 *divinam scientiam, pro silentio* illo suo, et *Regni dilatione*[u]. Unde autem illa magis manifesta, quam ex Christi ipsius ore, in quo *scientiarum omnium thesauri absconditi*[v]*?* qui, dum incertum diem illum dixit, silentium nobis indixit, de certo dierum numero illi præfiniendo. Quicquid ergo hic senserit Hieronymus (ascriptus ad hanc jam rem repente inter Pontificios) ut hic res se habet, ut verba Christi tam clara, tam diserta, liberum erit cuivis secus sentire; liberum autem (ut initio dixi) in tota hac quæstione, in qua nihil dum vel Synodus ulla definivit, et Patres ipsi libertatem sibi sumunt, in sensu suo abundandi: et, quam sibi sumunt, nobis non gravate faciunt.

Nos enim vere nescimus diem atque horam judicii. . . . Illi autem, qui Antichristi temporibus in vivis invenientur, facile scire poterunt, non longe abesse diem judicii, et mundi consummationem.—[Bell. Apol. pro Resp. p. 138. [Op., tom. vii. col. 782. B. C.]

[Dies judicii ignotus.]

Sed, Evangelio tamen adhuc, sed Christo, qui diem dixit ignotum, nondum satisfactum est. En ergo glossam, novitiam et nuperam. Primum, non de *die* quidem et *hora* nos at de *tempore* tamen, *certos* sinit esse Cardinalis: qui nuper

[t] [S. Hier. in Dan. xii. 12. Op., tom. v. col. 730. A.]

[u] ["Quare autem post interfectionem Antichristi quadraginta quinque *dierum* silentium est, divinæ scientiæ est, nisi forte dicamus, dilatio regni Sanctorum patientiæ comprobatio est."—S. Hier. ibid.]

[v] Col. ii. 3.

fanaticos quosdam error valde exercuit. *Tempus* quidem designari posse putant, (*annum* puta, aut quod *absit ab eo tempus non longe*) tantum de *die* et *hora*, divinæ scientiæ relinquunt. At, (qui toties delirat de Abbato) annon ille hæc sua debet Napeiro Scoto, de Regis subditis uni qui scripsit in Apocalypsin[w]? annon ab eo hæc mutuatus? Qui, quanquam de *die* et *hora* deprecatur, tanquam ignotis ulli, tamen tempus aliquod ei propinquum (*annum* forte), et signari putat posse, et vero signat ipse. Verum, cum verba illa Christi ita vidit lucis plena, ut ne hac quidem nebula offundi possent, eo se post recipit, ut dicat, *post dies quadraginta quinque fore judicii diem et mundi consummationem: fore, id est, non longe tum abfore.*

> Sed neque illi certo scient diem atque [*leg.* neque] horam, quoniam etiamsi dies quadraginta quinque . . . expectandi erunt post mortem Antichristi, tamen Scriptura non dicit diem judicii non esse longius prorogandum. Itaque scient . . illi diem judicii non esse expectandum ante diem quadragesimum quintum ab Antichristi cæde, sed an diutius differendus sit, ignorabunt.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 139. [Op., tom. vii. col. 782. C. D.]

[Utrum post xlv. dies a cæde Antichristi protrahendus.]

Tandem autem exscreat, et aperte loquitur; *etiamsi dies quadraginta quinque expectandi tum erunt post mortem Antichristi, tamen non id in Scriptura dici, diem Judicii non esse longius protrahendum.* Non esse longius protrahendum? *Non longius,* non plures dies quam quadraginta quinque? Quare quadraginta quinque illi jam dies hoc sibi volunt, *non expectandum diem judicii, ante diem quadragesimum quintum ab Antichristi cæde;* sed, *an diutius differendus sit, id vero, qui tum erunt homines, ignoraturos.* Erunt ergo dies illi quadraginta quinque, quadraginta quinque et nescio quot plures, ac ne Cardinalis quidem ipse scit, *minor Pontificius,* sed nec Hieronymus etiam, quem ex non magna causa *magnum Pontificium* subito creavit. Quo responso, nec bonum se *Theologum* præstat Cardinalis, neque vero *Juristam* bonum. Non *Theo-* 237
logum. Nam, quæ propter electos a Deo promissa fiunt, (ut *breves futuros dies illos* pollicetur[x] Servator *propter Electos*) ii, ut plures jam fiant, nescio quot plures, *Theologia* non patitur. Nec ita unquam fefellit Deus suorum spem, ut cum præstituisset illis diem, quo liberandi essent, eo ipso die non liberarit illos, liberarit fidem suam, sed elabi sineret diem

[w] [Vide Napeir on the Revelation. Prop. xiv. pp. 16—22.]

[x] Matth. xxiv. 22.

illum, et alio post effectum dederit. Non cadit in Deum protelatio hæc. Porro, qui certum tempus designari posse valde vellent, (nempe qui domum Eliæ sequuntur) et *bis mille annos* Messiæ ascribunt[y]; tamen et illos, in *Electorum gratiam*, uno ore aiunt *abbreviandos* fore. Atqui protelandos, et annis annos, dies diebus, adjiciendos, *Theologorum* nemo vel legit vel audivit. *Longius* ergo *prorogare*, diutius differre (quod hic facit Cardinalis), id quidem *Theologiam est* evertere.

Nec vel *Jura* ipsa hoc patiuntur; ubi, *restringi odia, favores convenit ampliari*[z]. Quod vero dies pauci, tempus breve sit, favori id fit *Electorum*. Pauciores ergo dies sunto, tempus brevius; et hoc æquum est: ut vel plures illi, vel hoc longius sit, id vero ne fiat, jus ipsum intercedet.

Recte ergo concludi potest locus hic; Et loco huic Apocalypseos, et vero etiam voto *Auctoris* ejus, Divi Joannis, ex diametro repugnare Cardinalis glossam. Sic enim verbis libri fere novissimis, *Qui testificatur hæc dicit, Amen, venio cito*[a]. Cui Joannes, *Amen, Etiam veni, Domine Jesu.*

Nec male tamen vel sic cadit glossa hæc nova, sed in rem nostram satis commode. Venit enim ea Cardinalis in sententiam nostram una, una incurrit in Hieronymum. Nam si *quadraginta quinque dies* isti plures etiam forte sint, quam quadraginta quinque, ergo *numerus* hic *certus, pro incerto.*

Tum, neque *Quinarius* hic, *quadragenario* additus, facit ut *certus* sit. Nec ergo *menses duo, quadraginta mensibus, nec sex menses, triennio* additi, facient ut vel ille sit *certus*. Non enim quadratus hic numerus est *quadragenarii*, qui *incertus* interdum est, ex sententia Cardinalis: Est et fractus alter *quinarii*, qui *numerum* Cardinali *certum* semper reddit. Ante quidem reddidit, at jam non reddit, discedit enim interdum a se. *Longius* autem *producere* jam tempus hoc, dies hos augere, id perinde est ac numerum hunc, qui paulo ante *certus* erat, *incertum* jam esse confiteri.

[y] [Vide Th. Goodwin. 'Mos. et Aaron.' lib. iii. cap. ix. § 6; apud Ugolini Thes. tom. iii. coll. ccxci.—ccxcii.]

[z] [Vide Vl. Decret. lib. v. Tit. xiii. De Regulis Juris. Reg. xv.—Corp. Jur. Can. tom. iii. col. 798.]

[a] Apoc. xxii. 20.

De Enoch et Elia. [Bell. Apol. pro Resp. Op. tom. vii. col. 783. A.]

De Enoch et Elia.

Non eam primus excogitavit, sed a . . . Beda desumpsit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 140. [Op., tom. vii. col. 783. C.]

IN Quæstione *de duobus Testibus*, saltem hoc habet Rex, vel ex ore ipsius Cardinalis, ne pro *Novatore* habeatur, ut qui non suo de cerebro ista confinxerit, sed Bedam secutus sit. Qui ipse Beda non *excogitarit* tamen, nec de se ista dixerit, sed Ticonium secutus sit. *Cujus quidem Auctoris et nos in hoc opere sensum secuti*[a]. Auctorem, e *septem regulis* suis satis insignem, quem et in aliis nec Augustinus ipse sequi sit dedignatus. Et vero etiam in hac ipsa interpretatione, ut in iis Commentariis legimus, quæ inter Augustini opera habentur: nisi unus idemque hic Auctor sit, alio atque alio nomine. Apocalypsin quidem *et vivaciter intellexit, et veridice satis, Catholiceque disseruit*[b]. *Duobus Testibus*, id est, *duobus Testamentis*[c]. Sic Augustinus, *Qui stant*, ait, *non qui stabunt, . . . et habent ait, non habebunt. Hoc ideo dicit, quia tempus quod nunc agitur, significavit*[d]. Tempus, quod nunc agitur: non olim agetur, ex mente Cardinalis. Et ex Augustino Primasius. *Duobus Testibus. Quod est enim Joannes, hoc duo testes, id est, Ecclesia duobus Testamentis prædicans et prophetans.* Et *habent*, ait, *non habebunt, tanquam modo non habeant.* Et post. *Proinde quod non de futuris, sed de præsentibus loquitur dicens, 'Hi sunt . . . duo candelabra'. . . . Quod* [Qui sint duo testes.]

[a] Bed. Prolog. in Apocal. [Op., tom. v. col. 763.]

[b] Ibid.

[c] [Pseudo-Augustinus] Hom. viii. in Apoc. [apud S. Aug. Op., tom. iii. Append. col. 3129. D. Hæc vero expositio, Tichonio vulgo tributa, revera ex Victorini, Tichonii, Primasii, Bedæ, aliorumque commentariis est consarcinata.—Vide Cavei Hist. Lit. tom. i. p. 294.]

[d] [Ibid. col. 3130. A. B.]

potest de Ecclesia accipi, quæ duorum Testamentorum lumine radiata formatur [e]. Augustinus ibidem. *Duo Candelabra, Ecclesia (una) est, sed pro numero Testamentorum,.. duo.... Nam Zacharias unum Candelabrum vidit septiforme, et has duas olivas (id est) Testamenta, infundere oleum Candelabro, hoc est, Ecclesiæ* [f]. Et paulo post, *Duorum dicit utrum corpus, et aliquando corpora, ut numerum Testamentorum servaret, et Ecclesiæ unum corpus ostenderet* [g]. Et, quod omne fert punctum: *unde excluditur omnis suspicio quorundam, qui putant hos duos Testes duos viros esse* [h]. Quæ Bedam, Primasium, Augustinum, Ticonium, Auctores habuit, ea vero *novitatis* insimulari non potest.

239 Beda vero etiamsi spiritualiter ita exponit, tamen adjungit communem aliorum sententiam, quod duo illi Prophetæ sint Enoch et Elias.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 140. [Op., tom. vii. col. 783. C.]

[Testimonia Bedæ,] Nam Cardinalis sententiam Beda, nec nisi finita demum totius visionis expositione sua, refert: nec ut vel *Patrum*, vel *communem* tum *sententiam*. Sic enim, *Quidam duos Prophetas* Enoch et Eliam *interpretantur*. *'Quidam'* autem *'sic interpretantur,'* nec de plurimis dici potest: potius enim tum dicendum erat, *'Quidam* aliter' (de sua scilicet ipsius); et de *Patribus* plurimis Beda nunquam tam frigide loqueretur, aut *quosdam* modo diceret. Et in ea ipsa quoque sententia referenda, non resurrecturos denuo duos illos asserit; sed, *redinstaurandum demum certamen a Sanctis, qui latebrarum præsidio velut mortui credebantur, qui pro unius compage corporis iidem prophetæ resurgere dicantur* [i]. Ita refert eam modo Beda, nec e re Cardinalis refert: relatam in medio relinquit.

Neque ... (Beda) refellit, et non refellendo approbare videtur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 140. [Op., tom. vii. col. 783. C.]

Nec *refellit* quidem, sed tamen *non refellendo, non approbat*. Nam si *approbasset*, posuisset eam pro sua, quam ipse (non

[e] [Primas. Comment. in Apoc.] lib. iii. [in cap. xi.—Bib. Max. Pat. tom. x. p. 314. B. C. D. Clausula vero 'Habent — habeant,' non suo loco citatur.]

[f] [Pseudo-August. Hom. viii. in Apoc., apud S. Aug. Op., tom. iii. Append. col. 3130. A.]

[g] [Ibid. col. 3130. C.]

[h] [Ibid. col. 3131. B.]

["Quidam duos Prophetas Enoch et Eliam interpretantur, qui tribus semis annis prædicantes contra mox secuturam Antichristi perfidiam fidelium corda confirment; illisque occisis tantundem temporis sævitiam ejusdem grassaturam, et redinstaurato demum certamine a sanctis, qui latebrarum præsidio velut mortui credebantur, esse superandam, qui," etc.—Beda] in Apoc. [cap.] xi. [Op., tom. v. col. 787.]

autem eam) secutus est. Male ergo *non refellit, et non refellendo approbare visus est.* Imo non acceptavit in suam, et non acceptando visus est *refellere*, saltem respuere.

Patres, qui . . hoc docent, hi sunt. Hilarius[k], Hieronymus[l], Chrysostomus[m], Origenes[n] . . . Lactantius[o] . . . Augustinus[p] . . . Theodoretus[q] . . . Primasius[r] . . . Hippolytus[s] . . .—[Bell. Apol. pro Resp.] pp. 139, 140. [Op., tom. vii. col. 783. A. B.]

[Patrum antiquorum,]

Sed nec apud *Patres* quos nominat, tam hoc liquidum est, de Enocho et Elia *Testibus*, Antichristo regnante. Hilarius enim (qui ducit agmen) Enochum rejicit, et pro eo Mosen surrogat; idque *licet* (inquit) *variæ vel de Enocho, vel de Jeremia plurimorum exstiterint opiniones.* Alios enim venturos existimare, *quam qui ad sponsionem fidei venisse conspecti sunt, nempe* Mosen et Eliam, hoc est illi, *veritatis fidem sensus*

[k] [Vide infra, not. [t].]

[l] ["Traditio Pharisæorum est, juxta Malachiam Prophetam . . . quod Elias veniat ante adventum Salvatoris, et reducat cor patrum ad filios, et filiorum ad patres, et restituat omnia in antiquum statum."—S. Hier. Comment. in Matth. xvii.; qui in versum sequentem hæc addit, "Ipse, qui venturus est in secundo Salvatoris adventu, juxta corporis fidem, nunc per Joannem venit in virtute et spiritu." —Op., tom. vii. col. 132. B. C. D.]

[m] [Τῆς μέντοι μιᾶς τῆς δευτέρας πρόδρομον λέγουσι τὸν Ἠλίαν ἔσεσθαι· τῆς γὰρ προτέρας ἐγένετο ὁ Ἰωάννης, ὃν καὶ Ἠλίαν ὁ Χριστὸς ἐκάλει· κ. τ. λ.—S. Chrysost. Hom. LVII. in S. Matth. Op., tom. ii. p. 363. lin. 41.]

[n] [Καὶ ἔοικέ γε διὰ τούτων δηλοῦσθαι ὅτι προευτρεπίσει ὁ Ἠλίας τῇ ἐνδόξῳ Χριστοῦ ἐπιδημίᾳ, διά τινων ἱερῶν λόγων καὶ καταστάσεων ἐν ταῖς ψυχαῖς, τοὺς εἰς τοῦτο ἐπιτηδείους γεγενημένους.—Orig. Comm. in Matth. tom. xiii. § 2. Op., tom. iii. p. 572. A. B.]

[o] ["Imminente jam temporum conclusione propheta magnus mittetur a Deo, qui convertat homines ad Dei agnitionem, et accipiat potestatem mirabilia faciendi . . . Hic (falsus propheta) pugnabit adversus prophetam Dei; vincet, et interficiet eum, et insepultum jacere patietur."—Lact. Div. Inst. lib. vii. 'De Vita beata.' Cap. xvii.—Gall. Bib. Patr. tom. iv. p. 358. A. B.]

[p] ["Nam si Enoch et Elias in Adam mortui, mortisque propaginem in carne gestantes; quod debitum ut solvant, creduntur etiam rediturі ad hanc vitam, et, quod tamdiu dilatum est, morituri."—S. Aug. de Genesi ad Lit. lib. ix. cap. vi. (§ 11.) Op., tom. iii. coll. 398. D. 399, A. Alibi autem S. Augustinus ita loquitur, "Commemorat . . Apocalypsis quosdam duos mirabiles Prophetas eosdemque morituros, et in conspectu hominum resurrecturos, et ascensuros ad Dominum: et intelliguntur ipsi Enoch et Elias; quamvis illic nomina eorum taceantur."—Serm. ccxcix. § 11. Op., tom. v. col. 1791. B.]

[q] [Ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω ὑμῖν Ἠλίαν τὸν Θεσβίτην. Καὶ σημαίνων τὸν καιρὸν, ἐπήγαγε· Πρὶν ἐλθεῖν τὴν ἡμέραν Κυρίου τὴν μεγάλην καὶ ἐπιφανῆ. Τὴν τῆς δευτέρας ἐπιφανείας ὠνόμασε.—Theod. Comm. in Mal. iv. 5. Op., tom. ii. p. 1623.]

[r] [Vide Primas. Comment. in Apoc. lib. iii. (in cap. xii.)—Bibl. Max. Patr. tom. x. p. 315. B. seq.]

[s] [Ἡ μὲν πρώτη αὐτοῦ παρουσία Ἰωάννην τὸν Βαπτιστὴν εἶχε πρόδρομον· ἡ δὲ δευτέρα αὐτοῦ, ἐν ᾗ μέλλει ἔρχεσθαι ἐν δόξῃ, Ἐνὼχ, καὶ Ἠλίαν, καὶ Ἰωάννην τὸν θεόλογον ἀναδείξει . . . καὶ πληρώσουσι τὴν μαρτυρίαν αὐτῶν, καθὼς φησι καὶ τοῦτο Δανιὴλ, προεωρακὼς ὅτι τὸ θηρίον τὸ ἀναβαῖνον ἐκ τῆς ἀβύσσου ποιήσει μετ' αὐτῶν πόλεμον, ἥγουν, μετὰ Ἐνὼχ, Ἠλίαν, καὶ Ἰωάννου, καὶ νικήσει αὐτοὺς, καὶ ἀποκτενεῖ αὐτούς.—S. Hipp. trib. lib. de Consumm. Mund. cap. xxi. Op., tom. i. App. pp. 14, 15. De prædicatione Enochi et Eliæ vide quoque S. Hipp. de Antichristo cap. xliii. Op., tom. i. pp. 20. 21.

nostri opinione corrumpere; et ultra Evangelicam veritatem opinari[t].

Hieronymus, qui secundus, nec de Elia satis certus. Mihi ne credat lector, credat Ruperto: *De Adventu Eliæ quicquam definire non ausim,* (et hoc post annos jam mille pene ducentos) *quia videlicet Doctorum alii, quibus omnes fere consentimus, credunt eum ad literam venturum, et restituturum omnia, ac mortis debitum persoluturum. Alii vero nequaquam. Quibus vir illustris B. Hieronymus consentire videtur, dicens, Quanquam multi sunt etiam nostrorum, qui credunt eum ad literam venturum,* [*et restituturum omnia,*] *ac mortis debitum persoluturum. Cæterum Dominus interrogatus ab Apostolis de adventu Eliæ, respondit, 'Elias jam venit, at non cognoverunt eum,' . . . Joannem in Elia volens intelligi. . . . Veruntamen sive ipsam Eliæ personam, sive ut alii volunt, prophetiam promitti magis verum sit*[u], *&c.* Hæc Rupertus de Hieronymo, nec ipse tum certus de vestro hoc (ut videtur) *Eliæ adventu.* At Bulengerus vester in Hieronymum etiam iniquior est. *Quodsi,* ait, *Hieronymus alicubi id negasse videtur,* (*ut in quarto cap. Malachiæ scribens in hunc modum, 'Judæi et Judaizantes hæretici dicunt Eliam venturum,' &c.*[x]) *ejus non tanti hic nobis debet esse auctoritas, ut, Patrum neglecta traditione, ejus sequamur sententiam*[y]. Sed fatetur tamen (ut vides) Hieronymum de vestro *Patrum Catalogo* expungi oportere. Lactantius ibi nec Eliam nominat, nec Enochum. Chrysostomus porro et Origenes, Theodoretus, et Primasius de Enocho omnes silent. Augustinus nominat quidem, sed non ab Antichristo occidendum.

Neque vero in iis, quos de utroque simul profert, satis succedit Cardinali. Nam Hippolytus pro duobus tres adducit, Joannem nempe, præter illos, *Theologum,* (rectius

[t] ["Et quantum sentire ex ipsis Evangeliis licet, in regno cœlorum Moses et Elias assidebunt. . . . Et hos quidem eosdem prophetas duos prævenientes adventum Ejus esse intelligimus, quos Apocalypsis Joannis ab Antichristo perimendos esse dicit; licet variæ vel de Enoch vel de Jeremia plurimorum exstiterint opiniones, quod alterum eorum sicut Eliam mori oporteat. Sed non possumus veritatis fidem, quam Dominus tribus superioribus testibus revelavit, sensus nostri opinione corrumpere; neque alios venturos existimare, quam qui ad sponsionem fidei venisse conspecti sunt. Et quanquam ultra Evangelicam veritatem non necesse sit opinari," &c.—S. Hil. Pict. Comm.] in Matth. cap. xx. [sect. 10. Op., tom. i. coll. 768. D. 769. A.]

[u] [Rupert. Tuit.] in Mal. iv. [Op., tom. i. p. 984.]

[x] [Vide infra, p. 334. not. [f].]

[y] [Petr. Bulengerus] in Apoc. lib. iii. Vis. 3. [fol. 305. a. Paris. 1589.]

autem id multo quam Enochum) ut cui paulo ante dictum *Oportet te iterum prophetare*[z]; quale nihil Enocho dictum. At Augustinus *morituros* aliquando credit Enoch et Eliam; at *de Testimonio illorum* Antichristi ætate dicendo, vel de *Antichristo*, vel de *Apocalypsis* loco, verbum ibi nullum.

Interpretes Apoc. ad cap. xi., Beda[a], Anselmus[b], Ricardus[c] et Arethas[d], qui addit inviolabiliter [*leg.* invariabiliter,] a tota Ecclesia credi Enoch et Eliam venturos, ut Antichristo se opponant.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 140. [Op., tom. vii. col. 783. B.]

De Beda jam ante vidimus, *quosdam* ita quidem locum interpretari, quos tamen non sequatur ipse. Vix autem *Patrum* numero habendi Anselmus et Richardus, qui *undecimo* demum sæculo vixerunt: ut nec Arethas, qui tamen *Triarii* Cardinalis sunt, soli qui pro eo testimonium ferunt. Qui vero extra limites a Rege fixos *annorum quingentorum* sic evagatur, ut *quingentis* post *quingentesimum annis testes* sibi quæritet, quidni *et alios* itidem *quingentos* transiliat, atque ita Baronium etiam nobis pro *teste* citet, tandem etiam et *seipsum?* Tres istos, Anselmum, Richardum, Aretham, nisi quis *Patres* dederit (quis autem dederit?), *Patres* hic rari comparent. Inter quos, qui ultimus Arethas, ingenue fatetur de Enoch e Scripturis nihil habere se, *ἀπὸ τῆς γραφῆς οὐκ ἔχομεν, λόγος δὲ φέρεται ἐκ παραδόσεως φοιτῶν, sed circumferri sermonem, Sermonem* autem, *qui ex traditione ortum habuit*, et illum cum Elia venturum. Et huc jam recidit nobis *Patrum sententia* hæc, cui vix quisquam favet e *Patribus*. Et qui favent, cum de utroque simul non deponant, tantum de alterutro, alii de Elia et Mose, non Enocho, de Elizeo alii, alii de Jeremia, hunc alii, alii illum sileant, alii pro *duobus tres* substituant, non favent eis *Juris regulæ*, cum 241

[Et scriptorum recentiorum.]

[z] [Apoc. x. 11.]

[a] [Vide supra, p. 330. not. l.]

[b] ["Dicit quia in tempore sævissimæ illius persequutionis prædicabunt Elias et Enoch."—Anselm. Laud. Enarr. in Apoc. cap. xi. apud S. Anselm. Cant. Op., tom. ii. p. 488. D.]

[c] [Richard. de S. Vict. lib. iii. super Apoc. Op., par. ii. p. 248. col. 2. B. seq. Venet. 1592.]

[d] [Καὶ ὅτι μὲν Ἠλίας ἥξει ὁ προφήτης δῆλον, προαγορευσάσης τῆς γραφῆς διὰ Μαλαχίου χρησμῳδοῦντος.... Περὶ δὲ τοῦ Ἐνὼχ μαρτυρίαν μὲν ὅσον πρὸς παρουσίαν ἀπὸ τῆς γραφῆς οὐκ ἔχομεν, πλὴν τοῦ διὰ μεταθέσεως ἀπαθανατισθῆναι. λόγος δὲ φέρεται ἐκ παραδόσεως φοιτῶν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀπαρατρέπτως καὶ αὐτὸν ἥξειν μετὰ Ἠλίου τοῦ Θεσβίτου. Ἠξουσι γὰρ ἄμφω προδιαμαρτύρασθαι τοῖς οὖσι τότε, μὴ τοῖς ἀπατήλοις τοῦ Ἀντιχρίστου παράγεσθαι σημείοις.—Areth. Comment. in Apoc. cap. xxx. (ad cap. xi.) apud Œcumen. tom. ii. p. 745. C. D.]

testes singulares[e] modo habendi sint, nec plenam fidem faciant, ut eorum testimonio deferri sit necesse.

Rex tamen cum fateatur hanc esse Patrum sententiam, tamen Judaicam fabulam non semel appellat, et huic tantæ testium nubi conjecturas suas... anteponit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 140. [Op., tom. vii. col. 783. B. C.]

[Utrum fabella sit Judaica de Enocho et Elia iterum venturis.]

Cum vero *Patrum* ea *sententia* non sit, *pugnaturos cum Antichristo* Enoch *et* Eliam, (etsi de Elia nonnulli forte sentiant, de Enocho autem vix quisquam, nisi esse eum denuo *moriturum*, sed, vel ubi, vel quando, incerti;) cum hæc (inquam) *Patrum* non sit *sententia;* non ægre feret Cardinalis, si Rex *Judaicam fabulam* dixit. Dicit idem hoc Pater Hieronymus, bis dicit, *Nisi quis spiritualiter intelligat locum hunc Apocalypseos, Judaicis ei fabulis acquiescendum esse*[f]. *Judæos* enim *et Judaizantes Hæreticos ita quidem putare*[g], se non item: quo ejus dicto rejectus est a Bulengero vestro, quasi in eo non audiendus[h]. At Hieronymus nihil de *Judaicis fabulis* subintulisset, si *Patrum sententiam* scivisset, qui omnium optime id scire potuit. At ille sciebat Hilario Mosen et Eliam[i] placere magis, dispuncto Enocho; aliis Elizeum. At Victorino Jeremiam, et pro sententia sua strenue asserere Victorinum, *quia* [leg. *per quem*] *omnes veteres nostri tradiderunt esse illum Jeremiam*[j]. Quodsi *omnes veteres*, næ vestra illa, *Patrum sententia* non est. Et male Cardinalis *Testium nubem* dixit, quæ *nubecula* modo est, et statim evanescit.

Dicit (Rex) me mala fide agere cum Christo, . . . quia malui verba Evangelii exponere cum Patribus, . . . et aliis veteribus, quam cum Novatoribus Bibliandro et Chytræo.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 140. [Op., tom. vii. col. 783. C.]

[Verba Christi de Eliæ

Qua *fide cum Christo egerit*, quam vel *probe*, vel *prudenter* verba ejus exposuerit Cardinalis, non aliunde judicium ferri

[e] [Vide Decretal. Greg. IX. lib. i. tit. vi. 'De Electione,' cap. xxxii. 'Cum dilectus.'—Corp. Jur. Can. tom. ii. col. 163.; et lib. v. tit. i. 'De accus.' cap. xviii. 'Cum dilecti,' in gloss.—Ibid. col. 1586.]

[f] ["De Enoch autem et Elia, quos venturos Apocalypsis refert et esse morituros, non est istius temporis disputatio, quum omnis ille liber aut spiritualiter intelligendus sit, ut nos existimamus, aut, si carnalem interpretationem sequimur, Judaicis fabulis acquiescendum sit.—S. Hier.] Ep. [lix. Vall. (al. cxlviii.)] ad Marcel. [sect. 3. Op., tom. i. col. 327. A. B.]

[g] ["Judæi et Judaizantes hæretici ante ἠλειμμένον suum Eliam putant esse venturum, et restituturum omnia. Unde et Christo in Evangelio proponitur quæstio; *Quid quod Pharisæi dicunt, quod Elias venturus est?* Quibus ille respondit; *Elias quidem veniet, et, si creditis, jam venit,* in Elia Joannem intelligens."—S. Hier.] in Mal. iv. [5, 6. Op., tom. vi. col. 986. B.]

[h] [Vide supra, p. 332. not. [r].]

[i] [Vide supra, p. 332. not. [t].]

[j] [S. Victorinus] in Apocal. [Gall. Bib. Pat. tom. iv. p. 59. col. 2. C. Locus autem corruptus videtur.]

cupit Rex, quam ex verbis ipsis Christi, quater in Evangelio, bis apud Matthæum[k], semel apud Marcum[l], semel itidem apud Lucam[m] repetitis (ut prophetiæ natura fert) satis par se claris. Ubi quod sibi laudi ducit, (paulo post, hoc ipso capite,) et vero sibi sumit pro auctoritate, hac ipsa in prophetia (mystica quidem illa et obscura) omnia ad *literam* revocare, et saccos, *veros saccos*, et *triduum*, *verum triduum*, interpretari; cur id Regi hic vitio vertat, si revocet ille ad literam, quæ de adventu Eliæ, seu missione *Angeli ante faciem suam*[n]; christus Ipse non populo *in parabolis*, sed discipulis suis *perspicue*, atque adeo Malachiæ agens interpretem, sine involucro omni enucleate disseruit. Cardinalis autem, cum eorum, quæ Christus ibi dicit, priorem partem adducit, quæ in rem suam visa est, præscindit posteriorem, unde sententiæ toti lux erat: cum, quæ diversis locis posita, ea repetit ipse confuse, ne diversa putentur, sed eadem, atque pro alio sumatur aliud; an, quasi *bona fide egerit*, laudari vult? annon potius notari, quod mala? De Malachiæ verbis, qui Eliam prius venturum dixerat, respondet Christus et ultro cap. xi., et rogatus xvii., tum Marci etiam nono quæstionem solvit de Elia. *Prophetiam illam completam jam esse:* venisse enim, quem Malachias venturum dixerat, Eliam, nempe Joannem: fecisse Joannem, quæ Malachias Eliam facturum dixerat: qui, quia *in spiritu et virtute Eliæ*[o] venerat, Eliam, (ex Prophetæ mente) jam venisse Christus explicat. 242

adventu quomodo intellexerint,]

Lectorum erit judicium, Utri rectius exposuerint, . . . Rex cum Chytræo, et Bibliandro, an ego cum Patribus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 140. [Op., tom. vii. col. 783. D.]

Nec a Bibliandro[p], vel Chytræo[q] hausit illa Rex. Quid opus hauriret, tam ex verbis ipsis eliquata? Non (inquam) hausit illa Rex: ne Vestri quidem: Burgensis, Cui, *quod de Elia dicitur* (*apud Prophetam,*) *videtur proprie exponendum de Baptista*[r]. Vatablus ad locum Malachiæ, *Locus iste exponendus est, de primo Christi Adventu*[s]. Arias denique. *At-*

[Paul. Burgensis, Vatablus, Arias Montanus.]

[k] [Matt. xi. 17; xvii. 12.]
[l] [Marc. ix. 13.]
[m] [Luc. vii. 27.]
[n] [Mal. iii. 3.]
[o] [Luc. i. 17.]
[p] [Vide Bibliand. Chronolog. Autopt. tab. ix. A. M. 4004. Cassellis, 1601.]
[q] [Explicatio Apocalypsis Joannis perspicua et brevis, tradita et recognita a Doctore Davide Chytræo, cap. xi. p. 241. Viteb. 1575.]
[r] [Paul. Burg.] Ad Malach. iv. [apud Bibl. Sacr. tom. iv. col. 2208. D. Lugd. 1589.]
[s] [Vatabl. in Schol. in Mal. iv. apud Bibl. Sacra, Salmant. 1584; qui addit, "Quanquam sub secundum adventum venturus sit Elias."]

[*que*] *diem hunc magnum, et terribilem* [*horribilem*] *non judicii extremi sed Messiæ advenientis tempus, antiqui scribæ sapienter interpretabantur, idque a Christo* [*et*] *probatum, et confirmatum est,* (*Matt. xvii.*) [t] Cui etiam, *ferire terram anathemate, est, desertam* [*incultam*] *vastamque reddere, qualis Judæa* [*regio*] *a Titi . . . temporibus ad hæc usque tempora perseverat* [u]. Ita mittendus *Elias, ante adventum Christi:* Adventus is *primus* est, non *secundus* [x]. Ante *primum* nemo missus, nisi *Joannes in spiritu Eliæ.* De *secundo* nulla ibi mentio [y]. Idem *Angelus* [z], Mal. iii. 1. idem *Elias:* Elias venturus erat [a]. *Hic est Elias, qui venturus erat* [b]: Elias jam venit [c]. Elias *convertet corda Patrum ad Filios* [d]. Joannes *convertit corda Patrum ad filios* [e]: *Antequam veniat dies Domini magnus et horribilis* [f]. Is est *Messiæ* adventus *primus* [g]. *Ne percutiam terram anathemate* [h]. Hoc factum, sub Tito [i].

Malo cum veteribus desipere quam cum novatoribus sapere.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 140. [Op., tom. vii. col. 783. D.]

[Qui minime novatores.] *Novatores* hi non sunt, quos dicis: *Vestri* sunt, nec de *vestris* infimi, *quibuscum* reperias, qui *sapere* malint, quam *desipere cum Cardinale.* Poterat vero Rex hausisse ab his: sed quid opus, qui poterat unde et hi? e Christi verbis ipsis, quæ sensum, nisi detorta, alium non admittunt. Nam *veteres,* præsertim autem Hieronymum, (quod paulo jam ante docui) ex *veteri* more suo, sine causa hic crepat. Cum veteribus quidem omnibus *sapere* non potest Rex, cum *unum* hic omnes non *sapiant:* cum iis tamen, qui inter *veteres* præstant, hac quidem in re, *sapit* Rex potius quam Cardinalis.

Rex qui initio dixerat, se Patres . . . venerari, . . . hoc loco palam eos errare dicit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 141. [Op., tom. vii. col. 783. D.]

213 [Patres in hac re Rex haud rejicit,] Verum Rex hic sibi contrarius; *Venerari se Patres dixerat, et quicquid unanimi consensu ad æternam salutem necessarium statuissent, nolle reprehendere.* [j] *Errare hic jam dicit, et minus recte multa intelligere* [k]. Sed primum, hæc *contraria* non sunt Nam, quod Rex ipse reprehendit, *unanimi consensu* non

[t] [Bened. Arias Mont.] in Mal. iv. [apud Comment. in duod. Prophetas, p. 978. in marg. Ant. 1571.]
[u] [Ibid. p. 979.]
[x] Arias. [ut supr.] Vatab. [ut supr.]
[y] Arias. [ut supra, not. [t].]
[z] Matt. xi. 10.
[a] Matt. xvii. 11.
[b] Matt. xi. 14.
[c] Matt. xvii. 12.
[d] Mal. iv. 6.
[e] Luc. i. 17.
[f] Mal. iv. 6.
[g] Arias. [ut supra, not. [t].]
[h] Mal. iv. 6.
[i] Arias. [ut supra, not. [t].]
[j] [Præfat. Monit. p. 48.]
[k] [Ibid. p. 92.]

statuunt: sed neque, *tanquam ad æternam salutem, necessarium.* Non *unanimi consensu,* fatetur Hilarius *varias plurimorum opiniones*[l], quas ipse tamen non sequitur. Hieronymus, *Quanquam multi sint, qui ita credant, se tamen non credere*[m]. Beda, *Quidam sic: quidam aliter*[n]. Rupertus, *Doctorum alii credunt, alii vero nequaquam*[o]. Fatetur Abbas Joachim, *Quod in hoc articulo non sibi conveniunt Patres, sed diversi diversa sentiant*[p]. Nec *ad salutem necessarium,* fatetur idem, *Quicquid ab his vel illis dicitur, opinionem magis esse quæ falli potest, quam notitiam vel intellectum, qui, si verus est, falli non potest.*

Patres non tantum erroneos facit,=

Tum, et illud odiosum nimis, *Patres erroneos facit,* cum *errare* modo dicat; *Errare* autem illud exponat, per *minus recte intelligere,* quod (quis non videt?) multo levius est, quam *erroneos facere. Errare* se, ut hominem, Cardinalis (credo) dabit: *Erroneum esse* non dabit. Nec illos igitur: etsi *errorem* cuivis illorum, quoties vult, Cardinalis ipse impingit. Sed vel ea voce abstinuisset Rex, nec *errare* de iis quenquam dixisset, nisi quod, post illos diu jam mortuos, longa succedentium sæculorum, quæque in illis contigerunt rerum, experientia edoctus, melius rem scire potuit, quam quivis illorum, qui tot ante sæculis fato functi sunt, nec quæ eventura essent post obitum suum cognoscere potuerunt. [Eos erroneos,]

= sed etiam stultos. — [Bell. Apol. pro Resp.] p. 141. [Op., tom. vii. col. 784. A.]

At illud, magis etiam adhuc odiose: quod non modo *facere* dicit *erroneos,* sed *stultos:* quæ Cardinalis est, et *erronea,* et *stulta* calumnia. Nam, si id est, *stultos facere,* si quis dicat *minus recte* alicubi aliquid *intellexisse:* quoties alter ab altero discedit, vel aliter sapit, tanquam *minus recte* rem *intelligente,* extemplo *stultum facit.* Quis autem hic nescit ire in diversa *Patres?* Hippolytum de Joanne Evangelista[q], Teste tertio, et Supernumerario; Victorinum de Jeremia[r], non Enoch, Teste secundo; Hilarium de Mose[s], et non Enoch. Ephrem etiam de Paradiso secus sentire[t]; nec vel illos tamen a [et stultos haud facit.]

[l] [Vide supra, p. 332. not. [t].]
[m] [Vide supra, p. 332.]
[n] [Vide supra, p. 330. not. [l].]
[o] [Vide supra, p. 332.]
[p] [Abbas Joachim] in Apoc. xi. [fol. 148. b. col. 1. 4to. Venet. 1527.]
[q] [Vide supra, p. 331. not. [s].]
[r] [Vide supra, p. 334.]
[s] [Vide supra, p 332. not. [t].]
[t] [Vide Mos. Bar. Ceph. De Paradiso Comment. par. i. cap. xiii. p. 37. Antv. 1569; quem quoque citat Corn.

reliquis, vel reliquos ab illis, pro *stultis* haberi. Par est et de *Scholasticis* ratio. Scotus Thomam alicubi *minus recte*
244 *rem*, se vero *magis recte intellexisse* autumat: *Stultumne* ergo Scotus Thomam de *Sancto* facit, aut Ecclesia *Sanctum* de *Stulto?* Par et de *Patribus Jesuitis*. Pater Bellarminus Enoch et Eliam, sine dubio, duos hos *Testes* fore asserit. Pater alter Maldonatus, nec Maldonatus[a] modo, verum et *doctus* ejus *Interpres*: *tam apertam rem esse* scribit, *Mosen et Eliam venturos esse, ut nemo id, non solum sine temeritate, sed nec sine impudentia negare possit*. Ergone *stultificatur* a Maldonato Cardinalis? *Stulte* ergo hoc dictum est, de *stultis* ex eo *factis*, quod non omnia semper *recte satis intelligant*. *Aliter* enim *sapere* possunt, et tamen *sapere*.

Quod librum obsignatum resignare tentaverint.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 141. [Op., tom. vii. col. 754. A.]

[Liber Apocalypsis quamquam obsignatus,] Nam de *libro obsignato* nota phrasis est, ubi quid in obscuro est. De loco autem obscuro, qui sententiam suam interponit, culpa is quidem caret, dum ut sententiam modo suam, non ut oraculum toti Ecclesiæ proponat; quod fere a vestris fit, stulte id quidem, quasi non per transennam alicubi introspexerint, sed in adyta ipsa penetrarint, ac sigillum ipsum, imo sigilla omnia resignarint.

Si Prophetia jam impleta est, et liber resignatus, quid opus est conjecturis? Cur dicitur obscura et involuta de Antichristo disputatio?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 141. [Op., tom. vii. col. 754. A. B.]

[magna tamen ex parte impletus.] Quæ vero de *involuta* adhuc et tamen *impleta*, *impleta* et tamen *involuta* subjicit, prævaricatio mera est. Revelatur per *visiones* illas, quis Ecclesiæ futurus status, ad secundum usque Christi adventum. Ejus jam temporis sæcula abiere sedecim. Neque fieri potest, sedecim his sæculis, ut non magna *visionum* pars *completa* fuerit: *completa* autem jam, facilior intellectu sit necesse, quam recens adhuc, necdum aliqua ex parte *completa*. A *complemento* ei lux est. Pars quidem *complenda* restat, nec ante diem novissimum *complementum* habitura. Ea vero, etiamnum sub *obscuro* manet, ubi *conjecturis*, et *opus*, et locus, ubi Regis, an vestræ, vero magis

[a] a Lapide, Comm. in Gen. cap. ii. p. 33. col. 1. B. Antv. 1616. Vide quoque Bell. de Gratia primi Hominis. cap. xii. Op., tom. iv. p. 11. H.]

[" Præterea Joannes in Apocalypsi capite xi. 3. 6. tam aperte scribit Moysem et Eliam esse venturos, ut nemo non solum," &c.—Joan. Maldonat. Comment.] in Matth. xvii. [tom. i. col. 356. D. Mogunt. 1611.]

propinquæ, id demum quæritur. Sed et illa, quo magis semper consummata, eo minus sub velo erit: donec, simul plene perfecta, plene erit et cognita, id quod adventu ipso Christi, nec prius futurum est. Viden' ergo, ut et *revelata* jam dici possit, jam (inquam) præ ut olim *quarto, quintove* sæculo fuit; et tamen qua parte necdum eventum, eadem necdum lucem plenam consecuta sit, sed hodieque maneat *obsignatus* liber.

Sed Regi ignoscendum est, qui ea [quæ de reprehensione Patrum scripsit,] non ex se protulit in medium, sed ex . . . Abbati . . . libro mutuatus est.— —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 142. [Op., tom. vii. col. 784. B.]

Hic vero, et Regi proclive foret, aliquem nominare de nuperis in Apocalypsim obscuris Auctoribus, apud *Papistas*. Fratrem Claudium [v], Zegerum [x], vel Caponsacchium [y], atque dicere, inde Cardinalem *sua mutuatum* esse; nec *ex se in medium protulisse*; post Cardinali etiam pariter *ignoscere*: si ornarent ista libros, et non stomachum lectori facerent, cum et ante annos multos digesta apud se in commentariis Rex habuerit sua illa; et vero librum suum aliquandiu ediderit, priusquam vel illa vidisset, unde mutuatum eum esse Cardinalis vidit (credo) per insomnium. [Rex nihil ex Abbato mutuatus est.] 245

Aliud . . est in disputatione Regis de Enoch et Elia valde admirandum. Scribit enim . . . corpora Enoch, et Eliæ, nunc esse in cœlo glorificata, &c. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 142. [Op., tom. vii. col. 784. B. C.]

Cœli incolas esse Enoch et Eliam, *valde admirandum id* quidem videtur Cardinali. At non novum hoc aliis; ita enim visum et quidem vestris. *Bibliothecario* olim *Papæ*, Eugubino. Is enim eos *admiratur* tanquam audaces, qui in Paradiso collocant: *Elias, fateor, assumptus est, sed num in paradisum? Quis tam audax est, ut hoc ausit asserere, cum id nusquam memoriæ proditum inveniatur? Eodem modo Enoch assumptus est, sed quem in locum Scriptura non refert*[z]. (Non in Paradisum igitur.) Ipse vero; [*Quod si hi cum corpore assumpti sunt, arbitror*] *eos ibi positos, ubi et Jesus cum* [Utrum Enoch et Elias in cœlum assumpti.]

[v] [Claudium a Monte Martyrum Commentaria in Apoc. sæculo xv. scripsisse refert Corn. a Lapide in Prolegomenis suis, in Apoc. p. 11. col. 1. C. Antv. 1627. Nihil autem de eo apud Caveum, Oudinum, aut Ceillierium invenimus.]

[x] [Scholion in omnes N. T. libros, &c. authore Tæc. Nicolao Zegero Minorita. Col. Agr. 1553. In tertia parte continentur Scholia in Apoc.]

[y] [In D. Joannis Apostoli Apocalypsim observatio. Auctore Petro Caponsacchio de Pantaneto Aretino; Florent. 1586.]

[z] [August. Steuch. Eugub.] in Gen. ii. [Op., tom. i. p. 95. F.]

corpore versatus. (Is autem in *cœlo* est.) ***Neque vero, propter corpus, in Paradisum erant transferendi, cum glorificata corpora aliam recipiant naturam, quod et in Jesu Christi corpore accidisse dicimus***[a]. Quare, et in *cœlo* eos, et eorum *corpora glorificata,* Bibliothecarius agnoscit. Etiam Catharinus, qui sententiam hanc in eo oppugnavit, concessit post in eandem. Credimus Patri Blasio Viegas[b], qui ***non audiendum*** putat Ambrosium Catharinum, ***qui in opusculo de consummata Christi gloria, Enoch et Eliam ait jam modo frui visione beatifica, et in corporibus gloriosis in cœlo regnare***[c].

Exploratus error est, et contrarius omnibus Patribus. — [Bell. Apol. pro Resp.] p. 142. [Op., tom. vii. col. 784. C.]

[Quid de hac re senserint Joachim, aliique.]

Nec recentes modo hi: olim Abbas Joachim, *valde admirandam rem* refert, nec *exploratum* hunc *errorem* esse, nec *contrarium omnibus patribus.* Non omnibus. Non enim Hieronymo, non (inquam) Hieronymo, *utenti auctoritatibus veterum.* Sic enim ille[d]; *Ita . . . scribit . . .* B. Hieronymus [*super locum illum Apostoli, 'Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*[e],'] *utens auctoritatibus veterum, et se in eorum sententia circa hoc et circa multa manere demonstrans, quod Enoch et Elias, mortis necessitate superata, ita ut erant, in corporibus, de terrena conversatione ad cœlestia Regna translati sunt.* Nam Procopii nota sententia, qui ante annos jam plus mille ita censuit. *Attamen Christus, naturam humanam restaurans, illis,* (id est Enoch et Eliæ) *qui natura erant mortales, immortalitatis munus elargitus est*[f]. *Cæterum . . . Eliam scitote assumptum esse, et illatum in æterna Tabernacula, . . . (qui) etsi more hominum non leguntur defuncti, attamen divina quadam ratione, nobis inexplorata, mortalitatem exuerunt*[g]. Non ita ergo *valde,* vel *novitios* illos, vel hos *veteres* invaderet, quæ Cardinalem hic invasit, *admiratio.* Illa magis exerceret quæstio, quæ *Scholas* vestras fatigat, de prospiciendo illis victu, et victus genere[h]; deque eo, cum adhuc

246

[a] [Ibid.]
[b] [Blas. de Vieg.] in Apoc. xi. Com. v. sect. iv. [p. 484. Lugd. 1602.]
[c] [Cf. Ambros. Cathar. de Consummat. Gloria Christi; ad calc. lib. de Immaculata Concept. Divæ Virg. p. 119. Lugd. 1542.]
[d] [Abbas Joachim] in Apoc. xi. [fol. 148 a. col. 2.]
[e] [Vide S. Hier. Epist. cxix. (al. clii.) § 2. Op., tom. i. col. 794. D.]
[f] [Procop. Gaz.] in Gen. iv. [apud Comm. in Octateuch. p. 91. Tiguri. s. a.]
[g] [Procop. in cap. v. ibid. pp. 93, 94.]
[h] [Vide Franc. Suarez in iii. part. D. Thom. Quæst. lix. Art. vi. Disp. lv. sect. i. tom. ii. pp. 1125. 1126. Complut. 1592; et Blas. de Vieg. in Apoc. xi. Comm. v. sect. iv. § 3. p. 484.]

in statu merendi sint, (utpote mortales et *viatores*) ne per tot annorum tam diuturna sæcula meritorum vis illis crescat in infinitum; ut vel B. Virginem meritis longo intervallo superent[i]: nisi si illorum merita, quanquam extensa valde, rarioris tamen contextus sint: at B. Virginis tam intensa, atque densa, ut, si rarefiant, vel Enochi tam in longum protracta merita exæquare possint, adeoque etiam excedere.

Ne tamen nihil omnino adversus hanc hæresin dicamus, pauca de multis adducemus. Joan. xiv. . . . 'Vado parare vobis locum,' &c. . . . Heb. vi. 'Præcursor pro nobis introivit.' . . . Heb. ix. . . . 'Nondum propalatam esse Sanctorum viam.' — [Bell. Apol. pro Resp.] p. 142. [Op., tom. vii. col. 784. C. D.]

At *nihil* sibi quicquam *dixisse* videtur Cardinalis, dum hæret in *Patribus*, quorum nemo forte Enochum vel Eliam obvios uspiam habuit, ut quo loci ætatem agerent ex iis posset resciscere. *Ne* igitur *nihil dicat*, ad *Scripturas* se recipit, ubi *vadit* Christus *parare Discipulis locum, Præcursor pro illis introit, Propalat Sanctorum viam, &c.* In quibus, quid ordo habeat, quid ex usu, ex jure communi sit, edocemur. Nec quicquam tamen obstat, quo minus duobus his speciale aliquod privilegium peculiari jure indulgeri possit. Quid autem dico, possit? cum indultum sit, idque Cardinale ipso non refragante. 1. *Statutum* enim *hominibus, semel mori*[j], atque ea clausula est, ad cujusque *Patriarchæ* periodum, *Et mortuus est*[k]. Enochum tamen hic Cardinalis excipiet scio. 2. *Abraham mortuus est*, et Prophetæ *mortui sunt*[l]. Prophetam tamen Eliam (scio) eximet, nempe ex *privilegio*, quo tamen juri communi non derogatur. 3. Par est et resurrectionis ratio. Ea in fine sæculi *generalis* futura est, at *surrexerunt* tamen *multi, et exierunt de monumentis suis post resurrectionem Christi*[m]; etiam in cœlum, ut quorundam opinio est, cum Christo ascenderunt. Addo et quartum. 4. *Requiescunt mortui a laboribus suis*[n]. Excitati tamen denuo multi, ad vitam hanc, ad vitæ hujus munia et labores redierunt. Atque hoc vel in *Scripturis*: At in *Legendis vestris* et in *Speculis, Fratres, Monachi, Sacerdotes,* quos non est numerare.

[Loca S. Scripturæ de hac re examinantur;]

[i] [Vide Franc. Suarez in iii. part. D. Thom. Quæst. lix. Art. vi. Disp. lv. sect. i. tom. ii. p. 1124; Bened. Pererii Comm. in Gen. lib. vii. Quæst. v. p. 363. Col. Agripp. 1601; et Blas. de Vieg. in Apoc. cap. xi. Comm. v. sect. iv. § 4. pp. 484. 485.]

[j] Heb. ix. 27.

[k] Gen. v.

[l] Joan. viii. 53.

[m] Matt. xxvii. 53.

[n] Apoc. xiv. 13.

5. Denique, vel duo isti, Enoch et Elias, prævenient reliquos omnes, nec expectata generali resurrectione, aliquandiu ante eam resurgent. Et hoc (ut habet Cardinalis Hugo) *per speciale privilegium, specialiter eis datum, propter speciale*
247 *testimonium*[o]. Generalis ergo mors, generalis post mortem quies, generalis in fine mundi resurrectio; Exempti tamen morte, et a quiete ad labores revocati, et ante mundi finem, resuscitati nonnulli. Quibus fit, ut et generalis post Christum ascensio nihil duobus istis deroget: cum id illis concessum non sit, nisi ex singulari gratia.

[(1.) Joan. xiv. 2.] Habeat tamen, ad loca singula, si ad singula responsum expectet. *Vado parare vobis locum*[p]. *Vobis*. Nec hoc Enocho vel Eliæ dictum (credo,) sed *vobis* (id est) discipulis meis. *Vobis*, quibus parandus, non *Illis*, quibus diu jam locus paratus est. Nec aliud alteri ad Hebræos loco responsum ferat,

[(2.) Heb. vi. 20.] quam, *Præcursor nobis*, (id est) Paulo, et quibus scripsit. Nec enim in voce '*nobis*' Enoch unus erat, vel Elias. Quanquam, nec id negare animus est, cuicunque aperta olim, aperienda jam cœlorum janua: per Christum et fuisse olim apertam, et jam aperiendam esse. Nondum in carne, *occisus* tamen est: nondum in carne, *præcursor*[q] tamen fuit, *ab origine mundi*[r]. Etsi enim, non nisi *veniente temporis plenitudine*[s], carnem nostram actu indutus est: at diu ante, *a mundi usque origine*, operata est Christi (quasi in carne jam) *οἰκονομία*. Nec mortis solum, sed et ascensionis vis: nec modo, qua *Agnus occisus* abinde jam, pro nobis; sed etiam, qua *præcursor* factus est nobis. Nec per aliam viam pervenerunt hi, nec per aliud ostium intraverunt: nec locum nisi a Christo paratum, nec introitum, nisi illo viam præmoliente, nec nisi per *ἐνεργείαν* non jam factæ, sed vel diu post futuræ, Ascensionis. Refudit enim se in ætates *præteritas* mysterium illud, tam iis, qui *præcesserunt* utile, quam nobis qui sequimur, ut et *πρόδρομος* Enochi Christus, et ei, quem in cœlis habet, *locum parasse*, jure merito affirmari possit. Quo modo, *ab initio mundi occisus*, eodem et *præcursor* scilicet.

Nec tamen hic quicquam definio, utrum ad *visionem beatificam* plene tum admissi fuerint; nec an ulla eis ascensu Christi facta sit accessio. Nec enim inter *multas illas man-*

[o] [Hugo Card.] in Apoc. xi. [Postill. Par. vi. fol. cccIxiv. col. 1. Paris. 1538.]
[p] [Joan. xiv. 2.]
[q] [Heb. vi. 20.]
[r] [Apoc. xiii. 8.]
[s] [Gal. iv. 4.]

siones[t], an aliæ aliis sublimiores sint, disputo: sed, (siquis fuit talis, qualem Schola reputat) *Patrum limbus*[u], eum in *cælo* potius, quam *apud inferos*, fuisse: ubi aliqua tenus, mensura vel gradu, ævo beato fruerentur.

Qui vero sequitur locus, *de nondum propalata Sanctorum via, priore Tabernaculo adhuc statum habente.* Legat modo hæc Cardinalis, non ut *ἀποσπάσματα*, sed ut legi par est, cumque iis, quæ antecedunt, connectat, jam inde ab initio capitis octavi, reperiet de Christo Ipso, Ipsiusque Christi in carne adventu, non de *apertione cæli*, intelligenda esse. Vel Aquinatem suum audiat. *Vetere Testamento* (*significato per primum Tabernaculum*) *statum habente* (*id est, durante*) *via Sanctorum* (scilicet Christus) *qui dicit*, Ego sum via[v], *nondum venerat. Ipse enim est ostium, per quod patet introitus, in Sanctum Sanctorum.* Ego sum ostium[x], *sed non erat propalatus, quia adhuc latebat sub figuris literæ obumbratus, ut cap. x.* (*Umbram habens lex, &c.*)[y] *Via Sanctorum*, non *cæli aditus*, sed Christus ipse: *obumbratus* in veteri Testamento, *propalatus* in novo. [(3.) Heb. ix. 8.] 248

Concludit idem Apost. ad Heb. xi. 'Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt promissionem . . . ut non sine nobis consummarentur.' Poteratne apertius dici, Patres veteris Testamenti, inter quos Enoch ab Apostolo numeratus est, non accepisse promissiones, ut non sine nobis consummarentur?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 143. [Op., tom. vii. coll. 784. D. 785. A.]

At in quarto. *Promissio, quam non acceperunt*, quæ fuerit, aperit Paulus: *ut consummarentur.* Quando autem *consummabuntur?* Ecquid ante resurrectionem finalem, quando duplici stola perficientur? ante quam, plena eorum fruitio non erit, quæ repromissa sunt. Audi, si placet, Aquinatem et hic. *Ad stolam corporis referri posse, quæ non dabitur universaliter, usque post resurrectionem universalem, licet forte aliqui jam habeant ipsam, ex speciali privilegio*[z]. Quorum *aliquorum* in numero, *ex speciali privilegio, Enoch et Eliam aliquos* esse, quid obstat? quorum ita raptus commemoratur, ac si *speciali*, præ cæteris, *privilegio* præsigniti forent? [(4.) Heb. xi. 39. 40.]

[t] [Joan. xiv. 2.]
[u] [Conf. S. Thom. Aquin. Summ. Theol. par. iii. Suppl. Quæst. lxix.]
[v] [Joan. x. 9.]
[x] [S. Thom. Aquin. Lect. ii.] in [Epist.] ad Heb. ix. [Op., tom. vii. pp. 430. b. 431. a.]
[y] [Joan. xiv.]
[z] [S. Thom. Aquin. Lect. vii. in Epist.] ad Heb. xi. [Op., tom. vii. p. 473. b.]

Verum, quæ ibi verba, tanquam *Glossam*, interserit Cardinalis, *inter quos Enoch numeratus est*, e *Glossarum* genere est, quas recte quis dixerit, *genimina viperarum*[a]. Textum enim plane perimit. Sic enim *Textus* Apostoli, *Translatus est Enoch, ne videret mortem*[b]. Sic *Glossa* Cardinalis, *Translatus est Enoch, ut videret mortem*. Nec *videret* modo scilicet, sed et *perferret, sub Antichristo*. Verum cum ante dixisset *vers.* 13. *juxta fidem defuncti sunt omnes isti*[c]: (*inter quos numeratus est et Enoch*,) excipiet ibi tamen (credo) Cardinalis Enochum, quem *defunctum* non autumat: *Omnes isti* (dicet cum Aquinate) *præter Enoch*. Sinat et nos, *Hi omnes*, (præter eundem.) Saltem inique ne consulat: tanto magis hoc, quod vel Cardinalis ipse, cum suis, excipiat Enoch et Eliam de *his omnibus, quos consummari vult sine nobis*[d], ut quibus, specialem a mortuis resurrectionem, et ascensum in cœlos indul-
249 geat, aliquot (*quadraginta quinque* minimum) *diebus*, ante illam omnium ultimam, et generalem.

Et quid est quod Propheta . . . dicit [in persona Christi, in] Psal. xv. 'Notas mihi fecisti vias vitæ,' si ante . . . Enoch et Eliæ notæ factæ sint?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 143. [Op., tom. vii. col. 785. A.]

[(5.) Ps. xv. (al. xvi.) 11.] Longe vero petitus locus ille, de Psalmo, *Notas mihi fecisti vias vitæ*, nec petitus longius, quam remotus ab instituto, (quasi *ab oro bellum Trojanum*[e].) Et jam hic audiat, quo neminem libentius audit, Thomam suum. *Refertur hoc ad Christum, pro membris suis. Et hæc sunt documenta, et præcepta, quæ sunt via in beatitudinem*, (*ut*) *Prov.* 7. '*Serva mandata mea, et vives.*' *Et ideo dicit, Notas mihi fecisti vias vitæ*[f]. Nec aliter vel Augustinus, *Notas fecisti per me humilitatis vias, ut ad vitam redirent homines, unde per superbiam ceciderant*[g]. Vel Hieronymus, *Vox capitis pro corpore: viæ vitæ, mandata Christi sunt, ut scriptum est,* '*Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*[h].' Nec vel has tamen (vel quas Cardinalis cuperet) *Vitæ Vias*, ita *notas* Eliæ fecit vel Enocho, ut Illi Ipsi, qui et *via* est, et *vita*, ut non sua semper Christo prærogativa servetur. Aliter ut ille, sibi *notas*, longe aliter

[a] [Respicit forsan illud, quod alicubi me legisse memini, 'Glossa viperina est, quæ textum comedit.']
[b] [Heb. xi. 5.]
[c] [Ibid. 13.]
[d] [Vide Heb. xi. 40.]
[e] [Horat. Ep. ad Pison. lin. 147.]
[f] [S. Thom. Aquin.] in Ps. xv. [Op., tom. i. p. 234. b.]
[g] [S. Aug. Enarrat.] in Ps. xv. [Op., tom. iv. col. 102. C.]
[h] [Pseudo-Hieron. Brev.] in Ps. xv. [apud S. Hier. Op., tom. vii. App. coll. 34. 35.]

affirmare possit, (qui natura sua *notas*) quam quivis Sanctorum, qui illius beneficio solo.

Quid . . quod . . Christus dicit Jo. iii. 'Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, etc.,' si ante . . Christum . . . ascenderunt Enoch et Elias. . . . . 'Nemo ascendit in cœlum,' non est præsentis temporis, sed præteriti. . . . Est enim sensus, Nullus homo hactenus ascendit in cœlum. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 143. [Op., tom. vii. col. 785. A. B.]

Quod *nemo ascendit in cœlum,* (idque *tempore* non *præsenti,* sed *præterito*) *nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis:* id eam vim habet, ut a se nemo, vel vi sua, præter unum ipsum. A mortuis resurgere, in cœlum ascendere virtute sua, id *uni Christo* proprium: *ἀνάβασις,* non *μετάθεσις* negatur. *Nemo ascendit, ἀναβέβηκε* (dixit:) non, *translatus est* nemo, *μετετέθη. Nemo ascendit:* aliquis *assumptus* est. *Ascendit,* actio ipsius: *Raptus,* vel *assumptio,* aliena. Neque Enocho hoc, vel Eliæ quicquam præjudicat; qui utique membra fuerunt Filii hominis; nec eo ascenderunt nisi per virtutem ejus, cujus et membra sunt. Neque vero, qui vel *assumpti* sint ante Christum, vel *translati,* hoc loco agitur: de *Christi deitate* agitur: cui rei, *sexies* eum Cardinalis primo Controversiarum Tomo attulit[i]: nusquam tamen, quo jam sensu. Quin eo ipso Tomo, ubi disputata illi quæstio, *An Sanctorum animæ in Cœlo fuerint, ante ascensionem Christi*[j]; ibi aptus inprimis et nativus loci hujus locus, si, quam illi jam mentem affingit, eam tum habuisset. At ibi nusquam comparet: ubi tum mansit *οὐδεὶς ἀναβέβηκεν* hoc? ubi substitit? qui sic ibi feliciter intervenisset. Argumento, nec hunc loci hujus scopum esse, nec hoc nescire Cardinalem ipsum. Recte quidem urgetur contra negantes *divinitatem* Filii, eosve, qui vel *personam* dividunt, vel *naturas* confundunt[k]. Is enim et Christi *sensus,* et loci: in Filii hominis *persona utramque naturam* infuisse: et, quæ in *cœlo* tum erat, *divinam;* et, quæ *de cœlo descenderat, humanam.* Nec alium is locus *sensum* habet, nisi *tortum.* Nam neque Christus ipse, jam tum cum ista loqueretur, *in cœlum ἀναβέβηκε.* Et illud, *nemo nisi Filius hominis,* ad hoc quidem institutum, nihil; quando

[(6.) Joan. iii. 13.]

250

[i] [Vide Bell. de Christo, lib. i. cap. 8. Op., tom. i. p. 70. H., et lib. iii. (de Incarn.) cap. 11. Op., tom. i. p. 106. H.]

[j] [Bell. de Christi Anima, lib. iv. cap. 11. Op., tom. i. p. 118. A.—C.]

[k] [Vide Symbolum, quod vocant, S. Athanasii.]

nec *Filius* quidem *hominis* tum *ascenderat*. Malus hic mos Cardinalium.

—*Rem facias, rem*
Si possis recte, si non, quocunque modo rem[l].—

accipiendi scilicet, prout res tulerit. Scripturae loca, eaque ad institutum praesens, non sine *vi* vel *tortura*, atque ingratiis applicandi: quasi siquis cuique *equo* unum idemque aptet *ephippium*. Ut Bellarmino jam hic, ubi incidit occasio praesens: ut Baronio, *Surge, Petre, occide*: quod, cum Annales scriberet, recte interpretatus est, et ad rem, *de vocatione Gentium*[m]: at ubi cum *Veneto Pontifici* lis, pro re nata, vi vocis illius *de caede*, vere et ad literam *Venetos mactatos*[n] voluit, si vires tum adfuissent.

> Enoch et Elias non ascenderunt in coelum verum atque aethereum, sed . . . aereum tantum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 144. [Op., tom. vii. col. 784. B.]

[Verum in verum coelum Enoch et Elias ascenderint.] Tandem vero (illo οὐδεὶς ἀναβέβηκε non obstante) *ascendisse* concedit, et *in coelum*: non tamen *verum coelum et aethereum, sed in aereum tantum*: responsum quidem *aereum*, et quod dicitur ab eo gratis, ac liberae fidei est. *Ascendit Elias in coelum*[o], verba sunt Spiritus Sancti: quod *coelum* illud *non verum* fuerit, sed aequivocum, quodque tulerit eum forte Spiritus Domini, et projecerit in Paradisum, vix id (credo) compertum Cardinali. Postquam enim Elisa non vidit eum amplius; haud cuiquam, quod legimus, post occurrit, praeterquam Christo semel cum tribus Discipulis in *Monte*, tum, cum *transfiguratus* est. Unde, mirum est abfuisse Enoch, nec tum comparuisse, cum *conteste* suo, sed sic solum in Paradiso interim obambulasse: si tamen (ut narrat) *Testis* et ille alter designatus fuit, qui pro Christo rem gereret contra Antichristum.

> Hymnum, 'Aperuisti credentibus regnum coelorum, etc.' . . . Ecclesia . . . non caneret, si crederet Enoch et Eliam . . . ante Christum introire potuisse in regna coelorum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 144. [Op., tom. vii. col. 785. C.]

[ante ascensionem Christi.] *Hymnum* vero illum et nos quotidie *canimus*. Cur enim quis eum despiciat? cur *canenti* non *concinat?* Sed *non*

l [Horat. Epist. I. 1. 65.]
m [Baron. Ann. Eccl. ad ann. 41. num. vi., tom. i. col. 370.]
n [Vide supra, p. 18. not. e.]
o 2 Reg. ii. 11.

caneret (ais), *si crederet, ante annos tot, priusquam Christus ascenderet, introiisse in cœlos Enoch et Eliam.* Quidni vero? Nam si *occisus ab origine mundi Agnus* [p], et *exinde devictus mortis aculeus; mortis aculeo jam devicto,* non perruperunt cœlos vel Enoch vel Elias, sed (cum credentes essent) et ipsi, 251
Christo aperiente, intrarunt: ut et illis cœlorum aditus, et sua tamen *hymno* harmonia, probe constet.

Adde [addo] . . generale Decretum, ut omnes . . moriantur. . . . Ergo necesse est, ut ante judicium Enoch et Elias . . . moriantur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 144. [Op., tom. vii. col. 785. C. D.]

[Utrum se-cum cor-pora sua habeant.]

Neque major in *Generali Decreto* vis est: ut enim *Statutum* hoc sit *Generale* (cui deest tamen nota generalis '*omnibus*') at eadem ipsa Epistola, qua *Statutum* hoc tulit, eidem derogavit: cum de Enoch nominatim diceret, *Translatus est, ne videret mortem* [q]. Derogavit et alia de Veteri, cum de Elia, *Ascendit Elias in cœlum* [r]. Quod iniquum Cardinali vìderi non debet, qui, de non minus *generali,* in diluvio, *Et repleverunt aquæ omnia in superficie terræ, opertique sunt omnes montes excelsi. Quindecim cubitis altior erat aqua super montes* [s]: excepit tamen *Paradisum* [t]. Et de *Statuto* non minus *generali, Universi homines super terram mortui sunt, remansit autem solus Noe, et qui cum eo in Arca:* ipse tamen Enoch, tum *super terram* viventem, excipit [u]. Tum denique Cardinalis progressus ille, ad *momentaneam* illam in raptu ipso *immutationem,* resolvet nobis litem hanc. Nec enim, an tale aliquid passus fuerit Enoch tum cum *translatus* est, Elias, tum cum *ascendit,* id anxie disseremus (an *immutati,* inquam, tum fuèrint, cum per aëra in sublime portarentur) dum, ubi jam in cœlo sunt, corpora secum habeant sempiterna. Et habent jam corpora: *Corpore* enim convenit Elias *Christum in monte transfiguratum,* non *spiritu* solo. Ut quid enim spiritui *tabernaculum* ullum? *Corpore* et Moses, et quidem proprio. De quo cito conveniet: cum hoc ita videatur Cardinali Toleto [v], cum et Patri Maldonato [x]. *Utrumque verum, utrumque integrum fuisse. Nec enim conveniebat, ut mendacio*

[p] [Apoc. xiii. 8.]
[q] Heb. xi. 5.
[r] 2 Reg. ii. 11.
[s] Gen. vii. 18, 19.
[t] [Bell.] de Grat. prim. Hom. cap. x. [leg. xiv. Op., tom. iv. p. 13.]
[u] [Ibid.]
[v] [Tolet.] in Luc. ix. [Annot. lxi. p. 591. Paris. 1600.]
[x] [Maldonat.] in Matth. xvii. [tom. i. col. 352. D.]

veritas probaretur, et erat rationi consentaneum, ut quemadmodum Christus, non falsam et adumbratam, sed veram et expressam gloriam ostendebat: sic non falsis et imaginariis, sed veris confirmaretur Testibus.

Utra sit verior lectio 1 Cor. xv. 'Omnes quidem resurgemus,' seu ut in Græco est, 'Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur.'—Bell. Apol. pro Resp.] p. 144. [Op., tom. vii. col. 786. A.]

[Qualem immutationem subierint.] Monendus tamen hic mihi, Græce non legi, ***omnes dormiemus, sed omnes immutabimur***, quin contra potius, ***Non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur***, quomodo et Justinus Martyr legit, Qu. lxxxv. ad Orthod.[y], cui quæstioni omnino respondet, ex hoc versu, *κατὰ ἐναλλαγὴν, καθ' ἣν, ὡς φησὶν ὁ θεῖος Ἀπόστολος, πάντες ἀλλαγησόμεθα*

[Irenæus dicit . . .] Conspicantes incorruptionem, id est, non videntes corruptionem.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 145. [Op., tom. vii. col. 786. B.]

[De hac re S. Irenæi sententia.] Patres vero quod attinet. Irenæus[z], si ***usque ad consummationem conspicari eos*** dicit ***incorruptionem*** (hoc est, ut Cardinalis, ***non videre corruptionem:***) (credo equidem, post
252 ***consummationem*** non visuros, quare, nec vidisse omnino, nec visuros esse. Neque vero Enoch et Eliam solos, justos etiam homines, et spiritum habentes, eo transferri dicit Irenæus. De justis omnibus, non duobus illis tantum, sunt illa ejus verba. ***Et ibi manere eos, qui translati sunt, usque ad consummationem, conspicantes incorruptelam.*** Ita Viegas[a] Irenæo sententiam fuisse asserit: ***Conservari in paradiso omnes justorum animas, usque ad diem judicii, ut, antequam Deum videant, in eo detineantur: qui fuit error Armenorum, damnatus in Concilio Florentino***[b]. Adde quod Irenæus ex ipso illo loco

[y] [Δι' ἣν αἰτίαν οὐδὲ ἐτελεύτησαν πάλιν, ἀλλὰ μένουσιν ἐν ἀθανασίᾳ, καθαπὲρ ὁ Ἐνὼχ καὶ ὁ Ἠλίας, καὶ εἰσὶ σὺν αὐτοῖς ἐν τῷ παραδείσῳ ἀναμένοντες τὴν ἠδὴ ἀγωνίαν τῆς τοῦ Χριστοῦ ἀναστάσεως γινομένην κατὰ ἐναλλαγὴν, καθ' ἣν, ὡς φησὶν ὁ θεῖος Ἀπόστολος, πάντες ἀλλαγήσομεθα.—Pseudo-Justin. Quæst. ad Orthod. LXXXV., apud S. Justin. Op., p. 474. C. in Append. par. i.]

[z] [Ὅπουγε Ἐνὼχ εὐαρεστήσας τῷ Θεῷ ἐν σώματι μετετέθη, τὴν μετάθεσιν τῶν δικαίων προμηνύων. Καὶ Ἠλίας, ὡς ἦν ἐν τῇ τοῦ πλάσματος ὑποστάσει, ἀνελήφθη, τὴν ἀνάληψιν τῶν πνευματικῶν προφητεύων . . . διὸ καὶ λέγουσι οἱ πρεσβύτεροι, τῶν ἀποστόλων μαθηταί, τοὺς μετατεθέντας ἐκεῖσε μετατεθῆναι (δικαίοις γὰρ ἀνθρώποις, καὶ πνευματοφόροις ἡτοιμάσθη ὁ παράδεισος, ἐν ᾧ καὶ Παῦλος ἀπόστολος εἰσκομισθεὶς ἤκουσεν ἄρρητα ῥήματα, ὡς πρὸς ἡμᾶς ἐν τῷ παρόντι) κἀκεῖ μένειν τοὺς μετατεθέντας ἕως συντελείας, προοιμιαζομένους τὴν ἀφθαρσίαν.—S. Iren. contr. Hær. lib. v. cap. 5. p. 298. col. 1.]

[a] ["Imo ipse quoque Irenæus lib. v. cap. 5. existimavit Paradisum terrestrem idcirco a Deo fuisse conservatum, ut omnes justorum animæ, usque ad diem judicii, antequam Deum videant, &c."—Blas. de Vieg. Comm.] in Apoc. xi. Com. v. sect. 5. [p. 490.]

[b] [Vide Defin. Conc. Florent.—Conc. tom. xiii. col. 515. C.]

affirmat, *Paradisum tertium illud cœlum esse, in quo, asportatus eo Paulus audivit sermones inenarrabiles.*

Hæc incorruptio non est ea, quam habent in cœlo beati, . . . sed ea, quam habebat Adam in Paradiso.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 145. [Op., tom. vii. col. 786. B.]

In tertio autem cœlo qui sunt, absolute *conspicantur incorruptionem*, non quam Adam, si non peccasset, visurus fuit, cum, (ex eo quod peccarint Enoch et Elias, etsi summa alioqui sanctitate) ejus participes esse non potuerint. Postremo, non cohærent hæc inter se, totamque hanc de Paradiso (in quo Adam primus homo, positus est) et de translatis eo, qui translati sunt, *traditionem* (etsi, ut Irenæus ibi ait, a *presbyteris ea fuerit qui Apostolorum erant Discipuli*) ita tamen Pater Viegas elevat, ut dicat *non esse, quod torqueat ullum* (vel si placet, Tortum) *illa presbyterorum traditio, qui pleraque omnino falsa, et cum divinis literis pugnantia, tradiderunt* [c]. [eam Blasius de Viegas elevat.]

Recte . . dicitur Enoch . . . æternitatis candidatus. Candidati enim nondum consules . . , sed consulatum expectabant, et petebant. Sic . . Enoch non habet veram immortalitatem, sed eam expectat et desiderat.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 145. [Op., tom. vii. col. 786. C.]

Tertullianus, etsi non eo loco [d]; at alibi, ubi *æternitatis candidatos* dicit, sic explicat, *ab omni vitio*, et *ab omni damno, et ab omni injuria et contumelia, immunitatem corporis habere* [e]. Quomodo ergo sentire potuit Tertullianus, eos ab Antichristo (præter *injurias* et *contumelias*) vitæ quoque ipsius *damno* afficiendos? *Atratos mortis* dixisset potius, quam *candidatos æternitatis*. Deinde, cum eorum jam corpora (ut sunt) dicit ibi, *futuræ integritatis esse documenta, ejusque fidei testimonium signare*, (futuræ scilicet, post resurrectionem) potuitne is sensus Tertulliani esse, ut *corruptioni* crederet *obnoxia?* Quare, alio sensu *candidatos* dixit, quam Cardinalis autumat, (quasi peterent jam, quam non haberent) nempe, qua *militiæ* [Examinantur Testimonia Tertulliani,]

[c] Ubi supra, [not. [a].]

[d] ["Nam et Enoch justissimum, non circumcisum, nec sabbatizantem, de hoc mundo transtulit, qui necdum mortis gustavit, ut æternitatis candidatus."—Tert. adv. Jud. cap. ii. Op., p. 185. B.]

[e] ["Quod hodie Enoch et Helias, nondum resurrectione dispuncti, qui ne morte functi; qua tamen de orbe translati, et hoc ipso jam æternitatis candidati, ab omni vitio, et ab omni damno, et ab omni injuria et contumelia emunitatem carnis ediscunt, cuinam fidei testimonium signant, nisi qua credi oportet, hæc futuræ integritatis esse documenta?" — Tert.] De Resurrect. [Carn. cap. lviii. Op., p. 362. C.]

candidati et *munifices* distinguuntur apud Vegetium. *Munifices*, qui adhuc obeunt munia militiæ[f]: *Candidati* autem, Principales, et qui privilegiis muniuntur[g]; exempti scilicet jam labore reliquorum. Tametsi, cum perfectior futurus sit,
253 post consummationem, omnium status, quam jam est, (nondum completo sæculo :) nihil obstet, etsi jam immunes a morte sint, *æternitatis* tamen vel ipsos dici *candidatos*.

[S. Epiphanii,] Ac de Irenæo hæc quidem, et Tertulliano. At vero tribus reliquis, quid factum? Epiphanio, Hieronymo, Augustino, quos etiam perstringit ibi Rex[h], adductos a Cardinale prius in *Controversiis*[i]. Subest aliquid, quod hic jam omittat, nec resumat, quasi causam ei non juvent. Et quidem Epiphanium poterat omittere, parum nempe e re sua, cujus, eo ipso, quem adducit, loco, paulo ante, hæc verba sunt. *Quo vero, in duobus viventibus corporibus, declarem vobis perfectam resurrectionem, et, ut ne quis ambigat, duos characteres, duorum primogenitorum resurrectionis nostræ, proponam. Elias in virginitate, ut prærogativa virginitatis immortalitatem prædicaret mundo, et cum corpore incorruptibilitatem. Quo vero non solum in virginitate esse putetur resurrectio, propter præeminentiam, itemque ipsa corporis durabilitas, Enoch non erat virgo, sed continens, et qui liberos genuerat*[k]. Sequitur jam locus Cardinalis, *Et hi quidem duo in vivis, in corpore et anima, propter spem.* Spem vero non *suam*, sed *nostram:* (ne qua voci illi fraus subsit) nempe, ut initio dixerat, *ἰσόρροπα ἐλπίδος ἡμῶν γεγενημένους*. Hæc illis jam facta, ut spes nostra æquale momentum haberet. Subjicit autem deinde, *Et ne quis rursus ambigat, etiam alios in infernum*

[f] [Veget. de Re Milit. lib. ii. cap. 7. p. 39. Lugd. Bat. 1633.]

[g] [Ibid.]

[h] Præfat. Monit. p. 72. [p. 91. Edit. 1610.]

[i] [Bell.] De [Rom.] Pont. [lib.] iii. [cap.] 7. [leg. 6.] § 'Irenæus. [Op., tom. i. p. 189. F.]

[k] [*Ἴδωμεν δὲ ἐξ αὐτῶν ὑποκειμένων, καὶ τῶν ἤδη ἰσόρροπα ἐλπίδος ἡμῖν γεγενημένων. Ἐνὼχ ὅλος μετετέθη, καὶ οὐκ εἶδεν ἅχρι τῆς δεῦρο θάνατον· ἵνα ἐν δυσὶ ζῶσι σώμασιν παραστήσω ἡμῖν τελείαν τὴν ἀνάστασιν. καὶ ἵνα μή τις ἀμφιβάλλῃ δύο χαρακτῆρας τῶν δύο πρωτοτόκων τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως. Ἐνὼχ ἦν ἐν ἀκροβυστίᾳ, καὶ οὐκ ἐκώλυσεν ἡ ἀκροβυστία τὴν ἀνάστασιν, οὐδὲ τὴν τοῦ σώματος διὰ βίου τῆς ζωῆς ὑπομονήν. Ἠλίας ἐν περιτομῇ, ἵνα μὴ ἀνάστασις ἐπί τινας καὶ τινας ὀνομασθῇ, ἀλλὰ καθολικὴ ὅλη. Ἠλίας ἦν ἐν παρθενίᾳ, ἵνα τὸ πρόκριτον τῆς παρθενίας τὴν ἀθανασίαν κηρύξῃ τῷ κόσμῳ, καὶ τὴν μετὰ σώματος ἀφθαρσίαν. ἵνα δὲ μὴ μόνον ἐπὶ τῆς παρθενίας νομισθῇ εἶναι διὰ τὸ ἐξαίρετον ἡ ἀνάστασις, καὶ σώματος ἡ παραμονή, Ἐνὼχ οὐκ ἦν παρθένος, ἀλλ' ἐγκρατής, καὶ παιδοποιήσας τέκνα. καὶ δύο μὲν οὗτοι ἐν ζῶσιν, ἐν σώματι καὶ ψυχῇ ἐμπαραμένοντες διὰ τὴν ἐλπίδα, καὶ εἰς τὸ μή τινα πάλιν ἀμφιβάλλειν.*— S. Epiph.] in Ancor. [cap. c. Op., tom. ii. pp. 101. C. D. 102. A.]

detrusit una cum corporibus: (nempe Dathan et Abiron[1]:) sic in infernum vivos receptos, cum corporibus una, ut Enoch et Eliam in cœlos. Verum ne quis de Epiphanii mente scrupulus etiam hæreat, aperte de utroque, et Enoch et Elia dicit, *Esse jam eos in corpore et carne, non animali, sed spirituali, quemadmodum Dominus noster resurrexit a mortuis, in corpore spirituali counito*[m]. Vides ergo *perfectæ resurrectionis characteres, et primogenitos: resurrectionis* inquam, (sine ullo autem hoc Christi præjudicio) *primogenitos.* Vides *immortales,* et *corpore incorruptibiles.* Vides, *sic in cœlum assumptos, ut Dathan et Abiron demersos in infernum.* Vides denique, *in corpore esse spirituali,* non *animali,* et quale ipsius jam *Domini nostri,* postquam *resurrexit.* Et Epiphanius tamen *clare* docet, *Enoch et Eliam mortuos non esse,* sed tamen *morituros!* Scilicet.

Hieronymus nihilo magis favet, *nec clare docet* ibi *morituros esse,* sed habere membra, cum quibus rapti sunt atque translati. Quem enim affert Cardinalis locum, eo ipso, simul Elias in cœlum rapitur, simul *Paradisi colonus* est. Cardinali tamen Paradisus in cœlo non est[n]; nisi (ut apud Aquinatem) in Pauli raptu, cœli tertii nomine Paradisus intelligendus veniat, qui unicum ibi Apostoli raptum fuisse tuetur, non duos[o]. Verum, subjungit ibi Hieronymus, *Quod nos imitamur jejunio, duo illi possident Dei consortio*[p]. *Dei* ergo *consortio* jam fruuntur. *Vescuntur cœlesti pane, et* [S. Hieronymi,] 254

[1] [Καὶ ἄλλους εἰς Ἅδην κατήγαγε μετὰ τῶν σωμάτων· ἠνοίξε γὰρ ἡ γῆ τὸ στόμα αὐτῆς, καὶ κατέπιε Δαθὰν καὶ Ἀβειρών.—Ibid. cap. ci. p. 102. A.]

[m] [Ὡς καὶ μετετέθη Ἐνὼχ τοῦ μὴ ἰδεῖν θάνατον, καὶ οὐχ ηὑρίσκετο, οὐ μετετέθη δὲ, καὶ κατέλιπε τὸ σῶμα, ἢ μέρος τοῦ σώματος. εἰ γὰρ κατέλιπε τὸ σῶμα, εἶδεν ἂρα θάνατον. ὁ δὲ σὺν σώματι μετατεθεὶς οὐκ εἶδε θάνατον. ἐν σώματι γὰρ ζῶντι ὑπάρχει πνευματικῶς φερόμενος, καὶ οὐχὶ ψυχικῶς διὰ τὴν μετάθεσιν, καίτοι γε ἐν σώματι ὢν πνευματικῶς. Ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦ Ἠλία ὡσαύτως, ὅτι ἀνελήφθη ἐν ἅρματι πυρίνῳ, καὶ ἔστιν ἕτι ἐν σαρκὶ, σαρκὶ δὲ πνευματικῇ .... Καὶ ὁρᾷς, ὅτι αὐτὸ τὸ σῶμα τὸ ψυχικὸν, αὐτὸ πνευματικὸν, ὡς καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν ἀνέστη ἐκ τῶν νεκρῶν, οὐκ ἄλλο σῶμα ἐγείρας, ἀλλ' αὐτὸ τὸ ὄν, καὶ οὐχ ἕτερον παρὰ τὸ ὄν, αὐτὸ δὲ τὸ ὄν εἰς λεπτότητα μεταβαλὼν πνευματικὴν, καὶ πνευματικὸν ὅλον συνεκάσας.—S. Epiph.] Hæres. lxiv. [cap. lxiv. Op., tom. i. pp. 592. D. 593. A. B.]

[n] [Vide Bell. De Grat. primi Hominis, cap. xi. § 'Esti gitur.' Op., tom. iv. p. 11. D.]

[o] ["Oportet non aliud intelligere per cœlum, et aliud per paradisum, sed unum et idem per utrumque, scilicet gloriam sanctorum, sed secundum aliud et aliud. Cœlum enim dicit altitudinem quandam cum claritate, paradisus vero quamdam jucundam suavitatem."—S. Thom. Aquin. Lect. ii. in 2 Cor. xii. Op., tom. vi. p. 449.]

[p] ["Enoch translatus est in carne. Elias carneus raptus est in cœlum: necdum mortui, et paradisi jam coloni, habent membra cum quibus rapti sunt atque translati. Quod nos imitamur jejunio, illi possident Dei consortio. Vescuntur," &c.—S. Hier.] ad Pammachium adv. error. Jo. Hierosolym. [sect. 29. Op., tom. ii. col. 437. C. D.]

saturantur omni verbo Dei, eundem habentes Dominum, quem et cibum. Cœlesti pane si vescuntur, Dei et mensæ et convivio si intersint, Dominum si cibum habent, *in cœlo cum Domino* sunt. Vis hoc denique disertissime, quæ Hieronymi mens? accipe. *Ascendit in cœlum Dominus cum Enoch, ascendit cum Elia*[q]. Iterum, *si descenderint usque ad infernum, inde educam eos, quod super Dathan et Abiron impletum esse cognoscimus. Etsi ascenderint usque ad cœlum, inde detraham eos, quia et Enoch et Elias rapti cum corporibus in cœlum Dei reguntur arbitrio*[r]. Neque nobis jam dubium esse potest, quid Hieronymo visum sit, de *duobus* illis *Testibus* in Apocalypsi, qui vel *spiritualiter* dicit *intelligendum librum*, (et locum hunc nominatim) *vel si carnaliter*, (quod facit Cardinalis,) *Judaicis fabulis acquiescendum esse*[s]. Hieronymus ergo prætereundus illi fuit, Bulingerus certe præteriisset[t].

[S. Augustini,] At Augustinum nihil erat cur referret. Neque enim nos, neque quisquam (quod scio) dubitat, *in quibus nati sunt corporibus, vivere Enoch et Eliam:* sed, an cum Antichristo pugnaturi sint, et ab eo tandem trucidandi? quod nec ibi, nec usquam dicit Augustinus. Nec sine fraude factum, quod præscidit hic Cardinalis partem sententiæ hujus priorem (cur autem *adducat Cardinalis, quod in rem suam non facit*[u]*?*) qua ponit Augustinus inter quæstiones, quas *salva fide ignorare* liceat, vel *definitionem de eis suspendere*, vel etiam *conjicere*. Vel *cum quæritur* (inquit), *ubi sit nunc Elias, vel Enoch, an ibi* (scilicet in Paradiso) *an alibi, quos tamen non dubitamus, in quibus nati sunt corporibus, vivere*[x]. Quare, an in *paradiso* tum Enoch et Elias, *incertus* (ut videtur) Augustinus, de quo adeo *certus* Cardinalis.

[q] [S. Hier.] in Amos ix. [6. Op., tom. vi. col. 349. D.]

[r] ["*Si descenderint*, ait, *usque ad infernum, inde manus mea educet eos.* . . . Quod super Dathan et Abiron impletum esse cognoscimus, quos viventes terræ hiatus absorbuit. *Etsi ascenderint*, inquit, *usque ad cœlum, inde detraham eos;* quia et Enoch et Elias, rapti cum corporibus in cœlum, Dei reguntur arbitrio."—S. Hier. in Amos ix. 2. ibid. col. 347. A. B.]

[s] [Vide supra, p. 334.]

[t] [Vide supra, p. 332.]

[u] Tortus, p. 125. [p. 124. Edit. Col. Agrip.]

[x] ["Longe aliter se habent quæstiones istæ, quas esse præter fidem arbitratur, quam sunt illæ in quibus salva fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur quid verum sit, et sententia definitiva suspenditur, aut aliter quam est, humana et infirma suspicione conjicitur. Veluti cum quæritur, qualis vel ubi sit paradisus, ubi constituit Deus hominem, quem formavit ex pulvere; cum tamen esse illum paradisum fides Christiana non dubitet; vel cum quæritur, ubi sit nunc Elias vel Enoch, an ibi, an alicubi alibi; quos tamen non dubitamus, in quibus nati sunt corporibus, vivere." — S. Aug.] De Pecc. Orig. cap. xxiii. [(§ 27.) Op., tom. x. colk 580. D. 581. A.]

Claudam autem locum hunc Athanasio. Is de Enocho sic: *E medio raptus mortem devictam ostendit, et docuit immortalitatis terminos suscipere naturam mortalem*[y]. De Elia sic: *Adfuit victor mortis appellatus Elias, qui conscendens ignitum currum, inaudito volatu et cursu, inferius reliquit mortem: et mutat legem naturæ dignitas gratiæ*[z]. Id quod Chrysostomus dixit de Enocho, *Latenter tum mortis revocatam sententiam. Mortem ergo devictam, immortalitatis terminos susceptos ab Enocho. Eliam, mortis victorem, inferius mortem reliquisse, mutatam in eo naturæ legem, revocatam mortis sententiam*[a]. Non vincendos autem iterum a morte, non ergo denuo morituros. [et Pseudo-Athanasii.] 255

Redeo jam ad Apologiam. Elias, is testis unus. At quis fuit alter? Aliis enim Moses est, aliis Elizeus, aliis Jeremias. Aliis, non quis fuit alter, sed qui alteri? Supervenit enim tertius supernumerarius, Evangelista et ipse in cœlum receptus. De Elia autem, ut is obtineret, haud aliunde fuit, quam ex perperam lecto Malachiæ loco, (videas apud Chrysostomum[b]) ubi Græci fere[c], etiam Latini plerique[d] sic legunt, *Ecce, mitto ad vos Eliam Thisbiten.* Baptista autem, etsi *Elias* fuerit, qui venturus erat, at non *Thisbites*. *Thisbiten* ergo altera vice sine dubio mittendum. At, *Thisbitæ* in ipso fonte nomen nullum est, a quo tamen scrupulus omnis. Pariter et in loco de Elia erratum est. Nam, cum Græci utrobique legant *ascendisse Eliam* (ὡς εἰς οὐρανὸν[e],) non *in cœlum*, (quod expresse tamen habetur in Hebræo) sed *quasi in cœlum*, factum inde ut propter minutam illam vocalem (ὡς) interjectam, *de translato in cœlum Elia*, timidius affirmarent. Loco igitur Scripturæ male vel lecto, vel intellecto, partim nititur opinio hæc: partim *traditione* (ut Arethas[f]).

[y] [Καὶ τὸν Ἐνὼχ ἐκ μέσων ἁρπάσας, θάνατον ἀνθρώπων ἡττώμενον ἔδειξε, καὶ θνητὴν φύσιν ἐδίδασκεν ὅρους ἀθανασίας ἐκδέχεσθαι.—Serm.] in Assump. Domini, [S. Athan. falso ascript. § 3. apud S. Athan. Op., tom. ii. p. 463. E.]

[z] [Καὶ παρῆν Ἠλίας νικητὴς κατὰ τοῦ θανάτου καλούμενος . . . καὶ τότε πυρὸς ὀχήματι ἐπιβὰς παραδόξῳ πτήσει καὶ δρόμῳ κάτω καταλιμπάνει τὸν θάνατον, καὶ ἀλλάσσει τὸν νόμον τῆς φύσεως ἡ ἀξία τῆς χάριτος.—Ibid. p. 464. A.]

[a] [Διὰ τοῦτο πάλιν ἀμυδρῶς, ὡς εἰκεῖν, καὶ λανθανόντως, ἀνακαλέσασθαι βούλεται τὴν ἀπόφασιν, ἣν κατὰ τοῦ Ἀδὰμ ἐξήνεγκεν.—S. Chrysost.] in Gen. Hom. xxi. 7. [Op., tom. i. p. 149. lin. 11.]

[b] [Vide S. Joan. Chrysost. Hom. in Matt. xvii. Op., tom. ii. p. 364. lin. 9.]

[c] [Vide Theodoret. supra, p. 331. not. [q]; et Areth. in Apoc. supra, p. 333. not. [d].]

[d] [Vide S. Aug. de Civit. Dei. lib. xx. cap. 29. Op., tom. vii. col. 982. B.]

[e] [Vide 4 Reg. ii. vers. LXX. In 1 Macc. ii. 58. legitur in Cod. Vat. ἕως εἰς τὸν οὐρανόν· in Cod. Alex. ὡς εἰς τὸν οὐρανόν.]

[f] [Vide supra, p. 333. not. [d].]

Traditio illa a Presbyteris Irenæi[g]: quos cum traditione sua, explodit Pater Viegas[h]: ut debellata nondum quæstio hæc; sed et suûs labori nostro hic locus.

Bellarminus . . . nusquam dixit . . . Paradisum in aere pendere.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 146. [Op., tom. vii. col. 786. C.]

[Ubinam sit Paradisus.]

Sudabit vero Cardinalis[i], si *Paradisus locus quidem sublimis sit*, et *usquè ad globum lunæ pertingat*, si *terra nostra sublimior*, si *locus cœlo proximus*, si *ad cœli confinia*, si *in editiore globo*, si *ubi tenebræ nullæ*, si *centum mille abhinc milliaribus*, ut *in* aere, imo super aerem *inveniatur*, (inveniatur, dico, non *pendeat:* nec enim *pendent in aere* omnes, qui *in aere inveniuntur*:) Sudabit (inquam) ut quo loco sit statuat. Non quod ibi Paradisum statuat Cardinalis, (nec id Rex dixit) sed quod perquirendo *sudet*, an *per totam terram diffusus*, an *ultra oceanum situs*, an vero *in loco ad globum Lunæ pertingenti*,
256 denique, *an supersit jam*, an vero *diluvii aquis perierit*[k]. Et quidem, qui eo situ ponunt, ideo ponunt, tum ut evitent aquas diluvii (aquæ enim *cœlum* non intrant) tum, ut bona sit loci habitudo, ne necesse sit Enocho vel Eliæ interdum morbo decumbere. Videtur autem, ad Cardinalis propositum, situs iste *prope lunam*, longe commodissimus. Sic enim, salubris erit locus, (ubi salubris aer est, non turbidus, cum vapores eo non ascendant, nec e solis radiis reflexis intemperies ulla) sed cessabit actio omnis contrarietatis. Sic et securus: Immunis enim sic erit a diluvio paradisus, a quo alioqui valde periclitatur: Tum, paradisi amœnitas omnis ne exterminetur: Tum, vita etiam salusque Enochi ne aquis præfocetur: Tum, *romphea* quoque *ignea* ne extinguatur. Tantum, ne in monte ullo statuat, ne altissimo quidem. *Quindecim* enim *cubitis, minimum, operti tum sunt aquis omnes montes, quantumvis excelsi, sub universo cœlo.* Ut præstet forte, *pendulum in aere*, quam *demersum in aquis* quærere Paradisum. Nam, ut '*omnes montes operti sunt*' interpretetur ita quis, *non omnes montes*, violentum id nimis videtur. Quod enim opponit Cardinalis, (*Omnes homines mortuos tum*) ubi Scripturam tamen habemus (*translatum esse unum* hominem, *ne videret mortem*:) et ille

[g] [Vide supra, p. 348. not. [z].]
[h] [Blas. de Vieg. in Apoc. cap. xi. Comment. 5. sect. v. p. 490.]
[i] [Vide Bell.] De Grat. primi Hominis. [cap. xii Op., tom. iv. pp. 11. G. —12. G.]
[k] [Bell. de Grat. primi Hominis, cap. xiv. Op., tom. iv. p. 13. A.]

parem adducat Scripturæ locum, privilegiatum esse unum montem, ne diluvium sentiret) et obtineat in causa. Alioqui dissimilem sentiat esse exceptionem suam, et in qua (ut Abulensis[l] verbis utar) *nulla sit dubitatio*, nullum tum montem exceptum fuisse. De Enocho, liquet ex sacris literis, aliquo raptum: de paradiso, eo raptum, non liquet. Tum etiam, si rapi, *levari in cœlum*, nihil aliud sit, quam *transferri in paradisum, Paradiso* prope *cœlum* figendus locus est, quo ascendere dicantur, (saltem in *cœlum aereum*,) et *levari*, qui eo *transferuntur*. Et habet tamen Auctores suos, nec mediocri auctoritate viros, sententia illa de situ Paradisi in vicinia Lunæ, Magistrum Historiæ Scholasticæ[m], Rabanum[n], Strabum[o], Bedam[p], etiam (si Catharino[q] credimus) Augustinum[r] ipsum, qui ita scripsit ad Orosium, *Paradisi* nempe *situm pertingere usque ad lunarem circulum*, unde illuc aquas diluvii pervenisse minime creditur.

Quam sententiam (eorum qui affirmant Paradisum in montibus altissimis situm, qui ad globum Lunæ pertingant,) . . Bellarminus refellit, nisi per hyperbolen excusetur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 146. [Op., tom. vii. col. 786. D.]

Nec est quod *excuset* rem hyperbole Cardinalis[s]. *Hyperbole astra feriret*, vel *cœlum* usque *pertingeret*, vix autem certum locum designat unquam *hyperbole*. Tum, *Hyperbole* ibi esse 257
non potest. Redditur enim ex eo situ ratio, cur illuc aquæ diluvii non pervenerint. Nemo autem *Hyperbolen* unquam pro causa adduxit. Ne ita ergo valde alienus sit ab hoc situ

[l] ["De solo monte Paradisi terrestris est ratio dubitandi, tum quia erat ibi jam Henoch, ne extingueretur; tum quia aqua diluvii corrupit terram . . . Sed locus paradisi non debuit lædi . . . De montibus tamen aliis nulla dubitatio esse debet."—Alphons. Tostat. Abulens. in] Gen. vi. c. 13. [leg. Gen. cap. vii. Op., tom. i. p. 133. B. Col. Agripp. 1613., et conf. in Gen. ii. quæst. 9. ibid. p. 84. E. F.]

[m] ["Est autem amœnissimus longo terræ et maris tractu a nostra habitabili zona secretus, adeo elevatus, ut usque ad lunarem globum attingat."—Petr. Comest. Hist. Scholast. cap. xiii. in Gen., Argentinæ 1503.]

[n] ["Ex quo nonnulli volunt intelligi, quod in orientali parte orbis terrarum sit locus paradisi, quamvis longissimo interjacente spatio vel oceani vel terrarum a cunctis regionibus, quas nunc humanum genus colit, secretus. Unde nec aquæ diluvii, quæ totam nostri orbis superficiem altissime cooperuerunt, ad eum pervenire potuerunt."—Rab. Maur. in Gen. lib. i. cap. xii. Op., tom. ii. p. 15. F. Col. Agr. 1627.]

[o] [In Gen. ii. apud Biblia Sacra, tom. i. col. 67. B. Lugd. 1589.]

[p] [Beda in 2 Cor. xii., ut habet S. Th. Aquin. in Sum. Theol. par. i. Quæst. cii. Hanc autem sententiam nusquam apud Bedam exstare testatur Bell. de Grat. prim. Hom. cap. xii. Op., tom. iv. p. 11. H.]

[q] [Ambros. Cath. in] Gen. ii. [apud Enarrat. in V. priora. capp. lib. Gen. p. 136. Romæ, 1552.]

[r] ["Locus ipse paradisi a cognitione hominum est remotissimus."—S. Aug. de Gen. ad Lit. lib. viii. cap. vii. (sect. 14.) Op., tom. iii. col. 375. B.]

[s] [Vide Bell. de Grat. prim. Hom. cap xii. Op., tom. iv. p 12. A.]

Cardinalis: vix enim tueri poterit Paradisum suum jam superstitem, nisi eum tueatur.

Terrestrem . . paradisum omnino esse destructum . . . contrarium est communi sententiæ Patrum . . , et recentiorum Doctorum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 146. [Op., tom. vii. col. 786. D.]

[Utrum diluvio perierit.] Periisse autem diluvio *terrestrem Paradisum*, nc id quidem *Patrum sententiæ contrarium est.* Nam si unus is paradisi usus erat, cur Paradisus conservari debuit, *ut Enoch et Elias congruentem suo statui sedem haberent*[t] (agnoscit verba sua Cardinalis,) Patres vero incerti sint, vel an eo loci jam sint, vel translati olim fuerint Enoch et Elias: non valde (credo) solliciti de loco erunt, usu loci remoto. An vero co translatus Enoch, incertus Cyprianus, *Translatus est, ubi Deus scit*[u], etiam Chrysostomus[x], tum Theodoretus[y], Gregorius[z] quoque, qui *Eliam, in secreta aliqua regione versari* dicit, *in Paradiso* non ausus dicere. Quin Augustinus[a] ipse, eo ipso, quem notavit Cardinalis loco, *ibine sint in Paradiso, an alibi, quæri dicit atque disputari posse.* Quod autem esse Paradisum alicubi dixerit Augustinus, id ita Pater Pererius explicat: *Esse locum, corporeum, aspectabilem, non ut Origenes, mysticum modo et imaginarium*[b]: Non autem superesse jam et exstare alicubi. Cur enim? ut versentur in eo Enoch et Elias? (qui Cardinali finis est) at id eo ipso in loco incertum facit. Quodsi ideo *Paradisus perire* non debuit, ut superesset *Enoch* et *Eliæ locus statui suo congruus;* nec id tot

[t] [Bell. de Grat. prim. Hom. cap. xiv. Op., tom. iv. p. 13. C.]

[u] ["Item Enoch, qui ante diluvium Deo justus complacuit, et ideo de isto mundo in carnis suæ nativitate vivus translatus est in loco, ubi Deus scit; ex quo loco in consummatione mundi innovari habet in hoc mundo; unde etiam translatus est ad confundendum et devincendum Antichristum."]—De Mont. Sina et Sion. [Opus incerti auctoris ad fin. Op., S. Cypr. p. 36.]

[x] ["Οτι γὰρ μετέθηκεν αὐτὸν, εἶπεν ἡ θεία γραφὴ, καὶ ὅτι ζῶντα μετέθηκε, καὶ πεῖραν μὴ λαβόντα θανάτου, ἀλλὰ διὰ τῆς οἰκείας εὐαρεστήσεως ἀνώτερον γεγονότα τῆς ἐξενεχθείσης ἀποφάσεως κατὰ τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους· ποῦ δὲ αὐτὸν μετέθηκε, καὶ ὅπως νῦν διάγει, τοῦτο οὐ προσέθηκεν.—S. Chrys.] Hom. xxi. in Gen. [Op., tom. i. p. 149. lin. 19.]

[y] [Ποῦ μετέθηκεν ὁ τῶν ὅλων Θεὸς τὸν Ἐνώχ; Οὐ δεῖ ζητεῖν τὰ σεσιγημένα· στέργειν δὲ προσήκει τὰ γεγραμμένα.—Theod.] Quæst. [in Gen.] xlix. [leg. xlv. Op., tom. i. p. 57.]

[z] ["In veteri Testamento cognovimus quod Elias sit raptus in cœlum. Sed aliud est cœlum aëreum, aliud æthereum. Cœlum quippe aëreum terræ est proximum; unde et aves cœli dicimus, quia eas volitare in aëre videmus. In cœlum itaque aëreum Elias sublevatus est, ut in secretam quamdam terræ regionem repente duceretur, ubi in magna jam carnis et spiritus quiete viveret, quousque ad finem mundi redeat, et mortis debitum solvat."—S. Greg. M. lib. ii. Hom.] xxix. in Evang. [§ 5. Op., tom. i. coll. 1571. E. 1572. A.]

[a] [S. Aug.] de Pecc. Orig. cap. xxiii. [(§ 27.) Op., tom. x. col. 581. A. vide supra, p. 352. not. z.]

[b] [Bened. Pererius] In Gen. lib iii. [Præf. tom. i. p. 123. col. 2.]

Patribus constet, an ii eo loco sint: nec id constat etiam, an locus ipse sit, cum, nisi huic, nulli jam rei sit: ac proinde etiam nec sit.

Nam *Recentiores* hic fere descrunt Cardinalem. Quid dixi, descrunt? imo et oppugnant. Nec enim quos memorat ipse, Eugubinus modo Italus[c], et Vatablus Gallus[d], sed Olcastro Lusitanus[e], et Belga Jansenius[f]: (at qui viri?) etiam Genebrardus[g], et Naclantus[h]. Tum (quod caput rei est) Jesuitæ ipsi, Suarez[i], Viegas, Pererius concedunt in hanc sententiam: quam Viegas, *divinis literis magis consentaneam* dicit, *ac successu temporis, plurium Doctorum suffragiis, consensuque fulciendam*[j]. Pererius autem, (celato nomine[k],) ea omnia quæ hic, quæ in *Controversiis*, pro se adduxit Cardinalis, recenset, refellitque singula[l]: ut deploratus jam in hac quidem causa videatur Cardinalis, etiam a suis. Certum 258
enim est, in *Oriente* fuisse Paradisum, in Asia nempe, nec ab Armenia procul, (in qua non eruptiones[m], fontes ipsi Tigris et Euphratis.) Eam autem regionem totam, olim, hodieque lustratam, exploratam, habitatam esse, nullum ibi locum arceri aditu (non enim *rhomphæam* usquam *versatilem*, non *murum*[n] Isidori *igneum, ita ut ignis pæne cum cœlo jungatur incendium*, a quoquam conspectum esse:) nec usquam vestigium loci ejus comparere. At latere non potuit. Fuit enim (non aliquot jugerum) sed ut Abulensis, *magnæ latitudinis, quia omnes homines ibi victuri erant*[o], ut Provinciam, ad minus, amplam æquare debuerit. Loci vero illius accolæ, saltem qui propius abessent, rem scirent; fama de re aliqua foret, qui illuc iter tamdiu fecerunt, etiam jam faciunt, inaudissent

[c] [August. Steuch. Eugub. in Gen. ii. Op., tom. i. p. 95. E. Venet. 1591.]
[d] [Fr. Vatabl. in Gen. ii. apud Bibl. Sacr. tom. i. fol. 2. b. Salmant. 1584.]
[e] [Hieron. ab Oleastro in Gen. ii. apud Comment. in Pentateuch. p. 17. col. 2. Lugd. 1588.]
[f] [Cornel. Jansenius Comment. in Concord. Evang. cap. cxliii. p. 1039. col. 2. Lugd. 1597.]
[g] [Genebr. in Chronogr. lib. i. p. 7.]
[h] [Naclant. in Sex Dierum Mundi Explicatione. Op., p. 507. A. Venet. 1567.]
[i] [Franc. Suarez in par. iii. D. Thomæ Quæst. lix. Art. vi. disput. lv. sect. 1. tom. ii. pp. 1126, 1127.]
[j] [Blas. de. Vieg.] in Apoc. [xi.] Com. v. s. 5. [p. 491.]
[k] [Sc. Card. Bellarmini.]
[l] [Bened. Pererii Comm. in Gen. lib. vii. Quæst. vii. p. 365.]
[m] [Conf. S. Aug. de Gen. ad Lit. lib. viii. cap. vii. (sect. 14.) Op., tom. iii. col. 375. B; ut citat. a Bell. de Grat. prim. Hom. cap. xiii. Op., tom. iv. p. 13. A.]
[n] ["Septus enim undique romphæa flamma [flammea?] id est muro igneo accinctus, ita ut ejus cum cœlo pæne jungatur incendium."—Isid. Hispal.] Etim. [seu Orig. lib.] xiv. [cap.] 4. [leg. 3. Op., p. 119. B.]
[o] [Alphon. Tostat. Abulens.] in Gen. iv. [(leg. ii.) Quæst. 9. p. 13. Op., tom. i. p. 85. A.]

de eo: aliquid inde vel pulvisculi asportassent, quo de natura soli aliquid nobis liqueret. Nec Historiæ veteres ita penitus silerent: nec nostri, qui orbem jam totum terra marique perlustrant, rem nulli obscuram tamdiu, vel non viderent, vel visam suos clam haberent.

Utcunque vero, ea de *monte sublimi*, et *Lunæ vicinia*, absurda videntur vel Cardinali, nisi eo tamen Paradisum elevet, vix a Cataclysmo tutabitur. Et, quando *abrasa per diluvium facies bona terræ* (ait Abulensis) *et superinducta crusta nova, superficies limosa: vix apta tum erit alimentandis duobus illis Enoch et Eliæ*[p]. Nec Abulensis id dabit unquam: qui in monte situm voluit, sedecim saltem cubitorum mensura reliquis montibus altiore: quo ita, quæ supra reliquos montes quindecim cubitis ascenderunt, aquæ cubitum unum relinquerent, quo Paradisus in sicco foret[q]. Verum, si mons ille fuit; et eum *aquis operiri* oportuit, quibus *operti sunt omnes montes*. Nam, ut circa Paradisum staret aqua diluvii circumfusa, muri instar (ut in *mari rubro*) ne id quidem sat erit. Oportuit enim montem *aquis operiri*. Et, ut operiret igitur (*instar fornicis* seu *operis camerati*,) deliria sunt, et sine causa conficta miracula. *Infirmum* autem (ut ait Viegas[r]) *defensionis genus est, cum te sentis urgeri, ad* [*potentiam Divinam, et ad*] *extraordinaria, et minime credibilia miracula provocare.* Si incertum jam, an in eo Enoch et Elias; incertum an Paradisus: cum absque illis foret, et illorum hospitio, diluvio operiri ac deformari potuerit.

259 Si Paradisus ergo jam nullus in terris, non sunt in Paradiso terrestri Enoch et Elias. At in Paradiso esse vult Cardinalis; sint ergo in *cœlesti*, ibique (ut *cœlestes* par est) mortis immunes. Qua vero cœli mansione sint, atque in raptu ipso,

[p] ["Redeundo ad id quod inceperamus tangere de Paradiso terrestri, est dubium, an aquæ diluvii illuc pervenerint. Dicendum quod oportet poni, quod non intraverint aquæ diluvii Paradisum, primo, quia tempore diluvii erat ibi Henoch, jam enim illum transtulerat Deus in Paradisum.... Secundo, quia si illuc aquæ introivissent, destruxissent totam amœnitatem terræ Paradisi.... Sic autem esset, si aquæ diluvii intrarent Paradisum terrestrem, abraderent enim faciem terræ bonam, et manerent alimenta Paradisi parvæ virtutis, quod erat inconveniens, cum ibi alimentandi forent duo illi viri Henoch et Elias."—Alphon. Tostat. Abulens. in] Gen. xiii. Quæst. 117. [Op., tom. i. p. 209. E. F.]

[q] ["Ad istam altitudinem aquæ diluvii non pervenerunt, quia destruxissent omnem pulchritudinem paradisi .... et aliqui putant, quod altitudo aquarum diluvii excedit quindecim cubitis altitudinem sed non illapsa est in eum, quia stetit circumfusa, ut murus utrinque, sicut fuit aqua maris rubri transeuntibus Judæis." — Alphon. Tostat. Abulens. in Gen. ii. Quæst. 9. Op., tom. i. p. 85. A.]

[r] [Blas. de Vieg.] ubi supra, [i. e. in Apoc. xi. Comm. v. sect. 5. p. 491.]

an, et quomodo, Paulinam illam immutationem[s] passi sint, anxie scrutari non est animus. Ut autem in orbem hunc nostrum denuo redeant, morte mulctandi, expectent id *ante ἠλειμμένον suum* (ut eleganter Hieronymus[t]) *vel Judæi, vel Judaizantes hæretici.* Regi enim *Judaicis fabulis acquiescere* non est animus. Ut enim de *Evangelista* teste supernumerario conclusit Tertullianus, itidem et Rex. *Videat hoc meus Thomas, audiat, contrectet: et credat*[u].

Multum . . sibi Rex placet in ea conjectura, quam a Rob. Abbato[x] desumpsit, quod nomine duorum prophetarum . . . intelligi . . possint duo Testamenta.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 146. [Op., tom. vii. coll. 786. D.] 787. A.]

[Utrum duo testamenta sint duo testes.]

Intelligi debere, *nomine duorum Testium, Duo Testamenta, desumpsit* primum e scripturis Rex, quia hæc sunt *quæ testimonium perhibent de Christo*[y]. Accedente ad eas testimonio Augustini[z], Primasii[a], Bedæ[b], et e vestris hominibus, Ariæ Montani[c]. Intelligi autem id ita posse apud Aquinatem[d], in confesso est. *Per ipsos duos intelliguntur omnes alii Prædicatores, qui sunt modo, et erunt.* Et post. *Qui ideo sub binario ponuntur; quia de duobus Testamentis accipiunt quod prædicant.* Apud Ansbertum. *Quod ergo Joanni dictum fuerat, Oportet te iterum prophetare, hoc nunc prosequitur: Et dabo* (ait) *duobus Testibus meis, et prophetabunt. Quod enim est Joannes, hoc duo Testes, subaudi S. Ecclesia sive nunc, sive in extremis temporibus prædicans*[e]: Et paulo superius; *Bene autem Ecclesia prophetans in duobus Testibus figuratur, quia nimirum in prædicatione cœlesti duobus Testamentis roboratur*[f]. Addo et Zegerum, vestrum hominem. [*Duos testes alii Enoch et Eliam accipiunt, qui creduntur*

[s] 1 Cor. xv. [52.]

[t] [S. Hier.] in Mat. [leg. Mal.] iv. [Op., tom. vi. col. 986. B.]

[u] ["Fidelis fuit et visus et auditus in monte; fidelis et gustus vini illius, licet aquæ ante, in nuptiis Galilææ; fidelis et tactus exinde creduli Thomæ. Recita Joannis testationem; Quod vidimus, inquit, quod audivimus," &c. Tertull.] de Anima cap. xxviii. [leg. xvii. Op., p. 276. C.]

[x] [Rob. Abbat. Demonstr. Antichrist. cap. vi. pp. 72. 73.]

[y] [S. Joan. v. 39.]

[z] [Pseud-August. Exposit. in Apoc. Hom. viii.; apud S. Aug. Op., tom. iii. Append. col. 3129. D.]

[a] [Primas. Comm. in Apoc. lib. iii. Bib. Max. Patr. tom. x. p. 314. C. Vide supra, p. 329.

[b] [Beda in Apoc. cap. xi. Op., tom. v. col. 785.]

[c] ["Dabo duobus testibus; legi et prophetiæ."—Bened. Arias Mont. in Apoc. cap. xi. 3. apud Elucid. in omnia S. Apost. script. p. 453. Ant. 1588.]

[d] In Apoc. xi. [Vide S. Thom. Aquin. in S. Joannis Apost. Exposit. pp. 324. sqq. Florent. 1549, ubi tamen nec ista, nec quæ sequuntur, verba leguntur.]

[e] [Ambros. Ansbert.] lib. v. in Apoc. [Bib. Max. Patr. tom. xiii. p. 522. D.]

[f] [Ibid. C.]

præventuri supremum Domini adventum, et prædicaturi adversus Antichristum.] *Alii duos Testium ordines, alterum sermone pariter et sanguine, alterum vero sermone tantum testificantem. Alii duo Testamenta, Alii paucos aliquot Testes, sed tamen qui sufficere possint ad convincendam adversariorum pravitatem. . . . . Alii Ecclesiam ipsam, duobus ex populis unitam*[g]. Nec *novum* ergo hoc, nec *ab Abbato desumptum;* nec hæc jam *nova Cardinalis* in Regem calumnia.

Quòd sit nasus cereus, mortua litera, etc. . . . apud nullam (Catholicum) . . . reperire potui, nisi in hoc sensu, quod apud adversarios . . . ita torquetur in varios intellectus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 146. [Op., tom. vii. col. 787. A.]

[In sacras Scripturas a Romanensibus nequiter dicta.]

Quæ passim inveniat quis, apud Eckium, Pighium, Hosium, Patres, Turrianum, Salmeron, Costerum, etiam Bellarminum, nequiter dicta, et contumeliose in S. Scripturas, non *alio sensu* dici vult, quam, quod *nostri homines eas ita torqueant, quasi sic essent.* Ergo illæ ita non sunt? nec vos sic esse asseritis? Imo asseritis. *Scriptura non est authentica, absque auctoritate Ecclesiæ,* ait Eckius[h]; Et qui eam recipiunt, *Theologos atramentales*[i], appellat. *Efficacior quam Scriptura est traditio*[k]. *Traditio certissima est veritatis regula, ad quam et Scripturas expendere oporteat*[l]. *Evangelistarum non fuit hoc in scribendo consilium, ut Scripta sua illa præessent nostræ religioni et fidei, sed subessent potius*[m]. Et, *Sunt enim Scripturæ velut cereus quidam nasus, qui sicut horsum illorsumque se trahi permittit, et quo traxeris non invitus sequitur: Ita et illæ in diversam sententiam trahi, et ad quidvis accommodari sese patiuntur*[n]. Ita Pighius. *Sunt,* inquit, *non* fiunt, nec per vim fiunt, sed *ipsæ se patiuntur.* At vero Hosius, cum Brentius[o] de vestro quodam[p] retulisset, qui scripserat, *Scripturas valere, quantum fabulas Aesopi, si destituantur auctoritate Ecclesiæ: potuisse illud pio sensu dici*

260

[g] [Tac. Nic. Zeger. Schol.] in Apoc. xi. [fol. 34. apud Schol. in omnes Nov. Test. libros. par. iii.]

[h] [J. Eckii Encheirid. Loc. Commun.] cap. 1. [' De Ecclesia,' §. Diluuntur objecta Hæret. sect.] 3. [p. 18. Col. Agr. 1600.]

[i] Cap. iv. [' De Scripturis ' ad] fin. [p. 68.]

[k] [Alb. Pigh.] de Fide et Just. 73. [Hierarch. Assert. lib. i. cap. 4. p. 24. Colon. 1572.]

[l] [Ibid. et Conf. p. 25.]

[m] 74. 6. [ibid. cap. 2. p. 11.]

[n] 71. 6. [ibid. lib. iii. cap. 3. p. 150.]

[o] [Vide Brentii Prolegom. § ' De Auctorit. S. Script.' Op., tom. viii. p. 199. Tubing. 1590; ubi non Petrum a Soto, sed alium quendam, ' Asoticum,' seu Soti asseclam, ita dixisse affirmat.]

[p] [Petro de Soto sc., ut habet Hosius de Auctorit. S. Scripturæ, lib. iii. Op., tom. i. p. 514. Col. Agr. 1584.]

asserit[q]. Quid Turrianus? *Si Scripturam solam fidei regulam Christus reliquisset in Ecclesia, quid aliud quam gladium Delphicum haberemus, quem (ut ait Aristoteles[r]) fabri ferrarii faciunt ob inopiam[s]?* Nota illud, *haberemus,* (non haberent hæretici) et, *ob inopiam,* quasi si Testes hos Turrianus ipse *saccis* indueret atque amiciret. Etiam Salmeron; *Non ad Scripturas: quæ instar nasi cerei ducuntur, quo quis vult*[t]. Et, *Scripturæ veræ probantur, quæ conformes sunt traditioni*[u]. Et, *Scriptura muta est*[x]. Costerus autem, *Scripturæ sunt litera mortua*[y]. *Res sine anima et sensu: varios in ea niti errores*[z]. *Instar vaginæ est, quæ quemlibet gladium admittit, etiam plumbeum, vel ligneum*[a]. Quibus, scripturam antefert, *noviter impressam in corde Ecclesiæ, quam Scripturam dicit omnium Scripturarum*[b]. Sed et Bellarminus parum honorifice, *Scripturam non esse factam præcipue, ut esset regula fidei. Esse tamen* (puta ex accidente) *regulam fidei, verum regulam partialem, non autem totalem*[c]. Nec in his omnibus, vocula una, nisi quid ipsæ *sint,* non quid *fiant* a nobis.

Nos .. Catholici, qui sacras Scripturas sequimur, ... per Prophetas, veros Prophetas, per saccos, veros saccos, ... per triduum, verum triduum, per resurrectionem, veram resurrectionem intelligimus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 147. [Op., tom. vii. col. 787. A. B.]

[Scriptura non semper ad literam intelligenda;]

Nam quod ita repente *literales* facti estis, ut omnia hic de *Testibus, et saccis,* de *triduo,* et *cæde,* et *in cœlum* ascensu, religio vos incessat, aliter (quam ut jacent) intelligendi: si, ut subito jam, in istis tam *mysticis,* ita et in cæteris, (quæ nullo modo tam *mystica sunt,*) adhæsuri estis *literæ;* est quod nobis oppido gratulemur. Nam ita, de capite *Justificationis* nostræ; quod ea per fidem stet, absque operibus legis: De *Precibus;* multiloquia et battologias, atque ita *Rosaria* et *Psalteria Jesu* amovenda. De *Ecclesiæ Liturgia:* malletis eam intellecto Sermone fieri a Sacrificis vestris, (ut *sciatur id* 261

[q] [Hosius de Auctorit. S. Scripturæ.] lib. iii. [ibid. p. 530.]
[r] [Aristot. Polit. i. 1. 15.]
[s] P. 250.
[t] [Alph. Salmer.] in Epist. [B.] Paul. [lib. i. par. iii.] Disput. viii. [tom. xiii. p. 217. col. 2. Col. Agr. 1604.]
[u] [Ibid. p. 218. col. 1.]
[x] [Ibid. p. 217. col. 2.]
[y] [Coster. Enchirid. Controv. cap. i. 'De Sacra Scriptura.' p.] 44. [Col. Agr. 1599.]
[z] [Ibid. cap. iii. 'De Summo Pontifice,'] p. 135.
[a] [Ibid. cap. i. 'De Sacra Scriptura,' p.] 44.
[b] ["Illa autem, quam Spiritus Sanctus in corde imprimere dignatus est, omnem veritatem in se habet. . . . Ex quo sequitur hanc Scripturam esse omnium Scripturam interpretem."—Ibid. p.] 45.
[c] [Bell.] De Verbo Dei. [lib.] iv. [cap.] 12. § 'Dico secundo,' [Op., tom. i. p. 56. E.]

quod dicitur) quam *eos in aera loqui*[d]: et apud populum, qui *virtutem vocis nesciunt*[e], quasi *barbare* sermocinari. Malletis orare populum, et psallere *Spiritu et mente*[f], non solo *Spiritu*: nec cum quid dicatur nesciant, *Amen respondere*. De *Calice*, sineretis omnes bibere. Nullam rei ullius in cœlis *similitudinem* coleretis (cum nulla ibi δουλείας mentio) nullam *Angelorum religionem*[g] haberetis. *Traditiones* hominum, non tanti faceretis. Atque hæc omnia, si tam religiose ad *literam* semper saperetis. Tum, addendum Cardinali aliquid ad *Recognitiones* suas nuperas. Non enim *B. Virgini matri suæ* resurgens Christus primo apparuit; Dicit enim Scripturæ *litera, primo Mariæ Magdalenæ apparuisse*[h]. Nec Petrum ita diceret Christo præ omnibus dilectum, (ne Petro ingratitudinis actio detur in Christum,) dicit enim *litera*, Joannem illum (antonomastice) *quem diligebat Jesus*[i], nempe κατ' ἐξοχήν, præter, supraque cæteros. Postremo in hac ipsa de Enoch et Elia quæstione, *ambulasse* dicitur *Enoch cum Deo*[k], etiamne de pedestri id ambulacro intelliget Cardinalis, Deum atque Enoch, simul alicubi spatiatos? *Eliam vero in cœlum ascendisse*[l], in *litera* est. In cœlumne? atque ad *literam*? Non ergo in *Hortum* hunc, hic atque in terra situm atque consitum. *Universam terram aquis adopertam*[m] fuisse (universam terram), neque ibi ad *literam* quicquam additur, de portione terræ (quam colerent peccatores[n],) mersa; (quam colerent Sancti duo) sub fornice aquarum, illæsa: ut casurus hic causa sit, si stet *literæ*. At in libro hoc Apocalypsis, (ubi, *quot verba, tot mysteria*[o]) in (quæ ei respondet in veteri Testamento) Danielis prophetia mystica, (aut siqua similis est ænigmatica Scriptura:) in his (inquam) *literam* premere, *literæ* adhærescere, per *Hebdomadas Danielis*[p], *veras Hebdomadas* (septem modo diebus constantes), per *Arietem* ejus et *Hircum*[q], (cornuta de Grege animalia), per *Rotas Ezekielis*[r], plaustrales rotas veras, ex ligno ferro-

[d] [1 Cor. xiv. 9.]
[e] [Ibid. ver. 11.]
[f] [Ibid. ver. 15.]
[g] [Col. ii. 18.]
[h] Marc. xvi. 9.
[i] Joan. xiii. 23.
[k] Gen. v. 24.
[l] 2 [al. 4] Reg. ii. 11.
[m] Gen. vii. 19.
[n] [Vide Bell. de Grat. prim. Hom. cap. xiv. Op., tom. iv. p. 13. C.]
[o] [S. Hieron. Ep. liii. ad Paulin. Sect. 8. Op., tom. i. col. 278. D. vide supra, p. 214. not. [a].]
[p] [Dan. ix. 24. sq.]
[q] [Dan. viii. 4, 5.]
[r] [Ezek. i. 15.]

que compaginatas: atque hoc ipso, (in quo versamur) libro, per *ascensum de abysso Antichristi*, ascensum verum, ac literalem, (quasi siquis erepat e crypta:) per *Draconem*, verum et vivum animal venenatum: per *Capita septem*, vera capita, cum craniis; per *cornua decem*, vera cornua: quæque illi inequitat, veram *mulierem*[s]: esset hoc quidem (qua ætate Cardinalis est) non procul a delirio. Atqui, hæc ita opus est 262
intelligat, ut sui hic similis sit Cardinalis, cum *veris saccis*, et *veris triduis*; et, quo perfecte sit *literalis*, ut Enoch et Eliam *veras* quoque olivas, atque etiam post, *vera candelabra* fieri statuat[t].

Atque idem jungat vulpes et mulgeat hircos[u].

Namque ista si sic dentur, de *veris* Ursis, et Pardis, et *Draconibus*; Apocalypsis ibit nobis in hibernas (ad focum) aniculorum narrationes, quasi de monstris quibusdam fabulosis; quibus nescio quot *Capita* perinde (ut *Hydræ in Lerna*,) nec aliter habendus liber ille, quam *Baldi Macaronica*[x], vel siqua ejus generis sunt ineptiarum folia.

Novatores ... per duos Prophetas, intelligi volunt, aut ministros, ... aut libros Veteris et Novi Testamenti, qui plurimi sunt.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 147. [Op., tom. vii. col. 787. B.]

Per *duos Prophetas*, non (quos dicis) *Novatores*, Rupertus[y], Ansbertus[z], Aquinas[a], Zegerus[b], *duos ordines Prædicatorum* intelligi posse dixerunt. Per eosdem *duo Testamenta* significari Augustinus[c], Primasius[d], Beda[e], (quamvis *plures* utroque Testamento *libri* sint.) Quem illi tanquam jejunum et puerilem cavillum præterirent. Quid enim magis familiare, [ergo per duos testes duo Testamenta possunt intelligi.]

[s] [Apoc. xvii. 7, 8.]
[t] [Apoc. xi. 3, 4.]
[u] [Virg. Ecl. iii. 91.]
[x] [Vide Martini Cocalii (i.e. Theoph. Folengii) Macaronicum Poema, cui nomen 'Baldus.' Venet. 1554.]
[y] ["Secundum duos illos," (Enochum sc. et Eliam) "usque hodie, et usque in finem sæculi, testes Christi dicti sunt, ita videlicet, ut alii sint testes, qui in pace sanctæ Ecclesiæ fideliter viventes, loquendo pariter et scribendo testimonium veritati perhibuerunt, et perhibere non desinunt; alii qui in persequutione pro statu fidei pugnando, supradictas templi Dei et altaris, et adorantium in eo mensuras defenderunt, et in defensione sanguinem suum fuderunt, vel fusuri sunt. Hi duo sanctorum ordines recte dicuntur duo testes."—Rup. Tuit. in Apoc. (cap. xi.) Comm. lib. vi. Op., tom. ii. p. 527. col. 2.]
[z] ["Ita plane in his duobus testibus Enoch et Eliam accipimus, unum scilicet ante legem, et unum in lege, ut tamen in illorum specie genus etiam attendamus, id est, sanctam Ecclesiam in suis prædicatoribus." — Ambros. Ansb. in Apoc. lib. v. (Bib. Max. Patr. tom. xiii. p. 522. C.;) qui postea addit, "Vel certe propter duo martyrii genera in duobus Ecclesia testibus figuratur." —Ibid. D.]
[a] [Vide supra, p. 359.]
[b] [Vide supra, p. 360. not. [g]]
[c] [Vide supra, p. 329. not. [c].]
[d] [Vide supra, p. 329.]
[e] [Vide supra, p. 359. not. [b].]

quam *duo fœdera, duo ubera* Ecclesiæ, *duo Testamenta nominari?*

Prior locus Luc. xv. correctus. . . : posterior non est mutatus, quoniam habetur in omnibus Latinis Codicibus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 47. [Op., tom. vii. col. 787. C.]

[Multi in Vera Vulg. loci corrupti.]

De *correcto* (vix tandem) Romæ *loco Evangelii,* ubi, quæ *everri* modo debuit *domus, everti* dicebatur, uter nobis audiendus Pontifex, Sixtus, an Clemens? Clemens quidem *mutari* voluit[f]: Sixtus *manere*[g]. Sed Clementis forte non futura ultima: Editurus est et Paulus novam et suam, et evertet everriculum. Nam et alii sunt, quos neuter attigit: ut ille Pr. xvi. *lapides sæculi,* pro *sacculi:* Et (ne morer lectorem,) de locis octo millibus, quos Clarius vester correxisse se testatur, in vulgata editione[h]: quam certe pauci (nec scio an ulli) *emendati* jam leguntur in vestra? Præpostere vero admodum Cardinalis Græcam originis veritatem ad Codices Latinos exigit, si Latinum '*sic*' non mutet in Græcum '*si*,' cur Græcum '*si*' non mutat in Latinum '*sic*,' et pro *ἐὰν αὐτὸν* (expuncto *ἐὰν*) legit *οὕτως αὐτόν.* Alterutrum horum faciat oportet, ne sic Græca committat cum Latinis. Nec id unquam (opinor) efficiet, ut idem sonent *si* et *sic;* cum *sic* (ut notum est,) rem ponat, *si* vero suspendat tantum. Græca vero quid valeat vox, cur ex Augustino, Ambrosio, Eucherio discere nos jubet, potius quam ex Cyrillo, Chrysostomo, Hieronymo, qui melius Græce sciebant? Aut cur ex Beda et Ruperto, quam ex Euthymio et Theophylacto? Sed et apud eosdem illos, et haud scio an plures, *everti* dicitur domus, nec *everri:* quem correxistis tamen. Quid ergo *sic*
263 istud *in vos tantum committere?*

Neque verum est verba illa 'Sic eum volo manere' mendacium continere, ut Rex . . . affirmat. Non enim 'sic eum volo manere' significat, non volo eum mori, sed non volo eum morte violenta (mori).—Bell. Apol. pro Resp.] p 148. [Op., tom. vii. col. 787. C. D.]

Verum autem (nec id scio negabit Cardinalis) ex verbis illis, *Sic eum volo manere donec veniam,* multos *mendacium* illud (quod negat) elicuisse, nec illud, *non volo morte violenta migrare:* (nova hæc est Cardinalis Glossa) sed omnino, *Non*

[f] ["Et everrit domum." Luc. xv. 8. apud Bibl. Sacr. jussu Clem. VIII. P. M. recogn. Romæ, 1592.]

[g] ["Et evertit domum." ibid. apud Bibl. Sacr. Vulg. Ed. Sixti V. P. M. jussu recognita atque edita Romæ, 1590. Edd. vetustiores habent "evertit," et in marg. "everrit."]

[h] [Vide Clarii Præfat. in Biblia sua apud Crit. Sacr. tom. i.]

volo morte ulla migrare, vel *violenta* vel *naturali;* sed sic manere, ad reditum usque meum, ut ita non *Testes duo*, sed *tres* jam, aucto numero, pugnaturi sint cum Antichristo. Vel, hoc ipso nomine, mutanda nobis fuit lectio hæc, et ad Græcam veritatem revocanda, quod tam multos ex vestris induxit in errorem, de Joanne nondum mortuo: de *triumviratu* novo, ubi vos *Duumviros* modo allegistis.

A sectariis, tanquam Antichristi præcursoribus, utrumque Testamentum aliquot membris detruncatis misere est fœdatum. Quos enim libros, ut Apocryphos rejecerunt, nos invenimus in Concilio III. Carthag...., et apud veteres patres omnes, uno aut altero excepto, inter Canonicos esse habitos.—Bell. Apol. pro Resp.] p. 148. [Op., tom. vii. col. 787. D.]

Noli vero nos convenire, de rejectis *a Canone Apocryphis.* Dic Patres in Concilio Laodiceno *Sectarios, Antichristi præcursores, truncatores et fœdatores utriusque Testamenti.* Nam habemus ab illis nos *Canonem:* ii nos in fraudem induxerunt. Nec in Carthaginensi tertio quicquam Decretum, quam ut in *Canonem morum* reciperentur reliqui, et legerentur in Ecclesia publice[i], quod et nos sedulo facimus. Nam etiam post Carthaginense tertium de *Canonica* earum auctoritate ad res *fidei* stabiliendas, ab Augustino[k] ipso dubitatum est, et a Gregorio[l]. Peccat vero numero Cardinalis largiter, cum *apud veteres Patres omnes* (*uno vel altero excepto*) *habitos* dicit *esse Canonicos.* Numero enim hic longe superiores sumus, nec *unus* sic, vel *alter*, Canonem texuit, ut nos, sed Melito[m] ad eam rem in Orientem profectus, Origenes[n], Athanasius[o], Hilarius[p], Nazianzenus[q], Amphilochius[r], Epiphanius[s], Cyril- [Libri Apocryphi jure rejecti.]

[i] [Vide supra, p. 212. not. [k].]
[k] [Vide supra, p. 210, not. [u].]
[l] [Vide supra, p. 210, not. [t].]
[m] Euseb. [Hist. Eccl.] lib. iv. c. 26. [Vide supra, p. 211. not. [x].]
[n] [Τὸν μέντοι γε πρῶτον ἐξηγούμενος Ψαλμὸν, (sc. Ὠριγένης) ἔκθεσιν πεποίηται τοῦ τῶν ἱερῶν γραφῶν τῆς παλαιᾶς διαθήκης καταλόγου, ὃδέ πως γράφων κατὰ λέξιν. Οὐκ ἀγνοητέον δ' εἶναι τὰς ἐνδιαθήκους βίβλους, ὡς Ἑβραῖοι παραδιδόασιν, δύο καὶ εἴκοσι, κ. τ. λ.—ubi nomina librorum recenset.—Euseb. Hist. Eccl. lib. vi. cap. 25. p. 289.]
[o] [S. Athan.] in Synopsi. [Vide supra, p. 211. not. [b].]
[p] [S. Hil. Pict.] Prolo. in Psal. [Vide supra, p. 211. not. [c].]
[q] [S. Greg. Naz.] De ver. et genuin. Script. Lib. [Vide supra, p. 211. not. [f].]
[r] [S. Amphil. Iamb.] Ad Seleucum. [Vide supra, p. 212. not. [g].]
[s] [Οὕτως γοῦν σύγκεινται αἱ βίβλοι ἐν πεντατεύχοις τέτρασι, καὶ μένουσιν ἄλλαι δυὸ ὑστεροῦσαι· ὡς εἶναι τὰς ἐνδιατεθέτους βίβλους οὕτως· πέντε μὲν νομικὰς, Γένεσιν, Ἔξοδον, Λευιτικὸν, Ἀριθμοὺς, Δευτερονόμιον. αὕτη ἡ Πεντάτευχος καὶ ἡ νομοθεσία. πέντε γὰρ στιχήρεις, ἡ τοῦ Ἰὼβ βίβλος, εἶτα τὸ Ψαλτήριον, Παροιμία Σαλομῶντος, Ἐκκλησιαστὴς, Ἆσμα ᾀσμάτων. εἶτα ἄλλη πεντάτευχος, τὰ καλούμενα γραφεῖα, παρά τισι δε Ἁγιόγραφα λεγόμενα, ἃ τινά ἐστιν οὕτως· Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ βίβλος, Κριτῶν μετὰ τῆς Ῥούθ, Παραλειπομένων πρώτη μετὰ τῆς δευτέρας, Βασιλειῶν πρώτη μετα τῆς τετάρτης· αὕτη τρίτη πεντάτευχος. ἄλλη πεντάτευχος, τὸ δωδεκαπρόφητον, Ἡσαΐας, Ἱερεμίας, Ἰεζεκιὴλ, Δανιὴλ· καὶ αὕτη ἡ Προφητικὴ πεντάτευχος. [illegible] ἄλλαι δύο, αἵτινές εἰσιν [illegible]

lus quoque vester Hierosolymitanus[t], Hieronymus[u], Ruffinus[x], Damascenus[y]. Tot Patres. Cardinalis vero etiam *unus* atque *alter*. Lyranus[z], Cajetanus[a].

Bonaventura Psalterium Davidis, . . . omnino non tetigit, sed ad similitudinem ejus, . . . aliud Psalterium ipse composuit, ex pio ad B. Virginem affectu.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 148. [Op., tom. vii. col. 788. A.]

[De Psalterio B. M. V. a S. Bonaventura conscripto.]

Qui vero potuit *omnino non tangere Psalterium Bonaventura*, quod sic transformavit, vel deformavit potius, et quo non debuit, leviter immutatos versus ejus, (Deo ipsi Creatori, et Christo Redemptori, maxime proprios) vel potius plane non immutatos, mutato tantum nomine, ad Creaturam et Redemptoris egentem transtulit, idque locis quibus nulli Deo magis dicati, apti, peculiares? *Omnino non tetigit, sed ad ejus similitudinem, alium versum ipse composuit?* Ille vero
264 non *composuit*. Eundem ipsum versum, eisdem ipsis verbis, secus quam debuit, usurpavit: Versum illum, *Ad te, Domina, levavi animam meam*[b]. *Conserva me Domina, quia speravi in te*[c]. Illum, *Domina in adjutorium meum intende*[d]. *Domina, in nomine tuo salvum me fac*[e]. Illum, *Venite exultemus Dominæ nostræ, jubilemus virgini Salvatrici nostræ. Præoccupemus faciem ejus in jubilatione, et in Canticis collaudemus eam. Venite adoremus et procidamus ante eam, et confiteamur illi cum fletibus peccata nostra*[f]. *Oculi omnium in te sperant, Domina, mitte nobis cibum in tempore*[g]. *Cœli enarrant gloriam tuam Domina*[h]. *Jubilate Dominæ nostræ, omnes fines terræ, psallite hymnum, date honorificentiam Majestati*

αὕτη λογιζομένη, καὶ ἄλλη βίβλος, ἡ τῆς Ἐσθὴρ καλεῖται.—S. Epiph.] de Mens. et Pond. [cap. iv. Op., tom. ii. p. 162. A. B.]

[t] [S. Cyril. Hier.] lib. [i.e. Catech.] iv. [Vide supra, p. 211. not. [e].]

[u] ["Sicut ergo Judith, et Tobi, et Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed inter Canonicas Scripturas non recipit."—S. Hier.] Præf. in Prov. [i.e. Prol. in libr. Salom. ad Chromat. et Heliod. Op., tom. ix. coll. 1295, 1296.]

[x] [Ruffin.] in Expos. Symb. [Vide supra, p. 212. not. [i].]

[y] [Ἰστέον, ὡς εἴκοσι καὶ δύο βίβλοι εἰσὶ τῆς παλαιᾶς διαθήκης, κατὰ τὰ στοιχεῖα τῆς Ἑβραΐδος φωνῆς, κ. τ. λ.—J. Damasc. de Fide Orthod.] lib. iv. [cap. xvii. Op., tom. i. p. 283. Paris. 1712.]

[z] [Nic. Lyran.] Præf. in Tob. [apud Bibl. Sacr. tom. iii. col. 1495. C.]

[a] [Thom. de Vio Cajet.] in lib. Hist. [Vide supra, p. 213. not. [n].]

[b] Ps. xxv. [al. xxiv. Psalter. B. M. Virg. apud S. Bonav. Op., tom. vi. p. 504. col. 1. A. Romæ, 1596.]

[c] [Ps.] xvi. [al. xv., ibid. p. 503. col. 1. E.]

[d] [Ps.] lxx. [al. lxix., ibid. p. 507. col. 1. F.]

[e] [Ps.] liv. [al. liii., ibid. p. 506. col. 1. D.]

[f] [Ps.] xcv. [al. xciv., ibid. p. 509. col. 1. E.]

[g] [Ps.] civ. [al. ciii. Legimus autem, 'Jubilemus salutiferæ Mariæ Reginæ nostræ.' Ibid. p. 510. col. 1. B.]

[h] [Ps.] xix. [al. xviii., ibid. p. 503. col. 2. B.]

illius[i]. *Benedicam Dominæ in omni tempore, non deficiat laus ejus in ore meo*[k]. *Bonum est confiteri Virgini Mariæ, et psallere illi gloriam*[l]. *Te decet hymnus, Domina nostra, in Sion*[m]. *Misericordiam et judicium cantabo tibi Domina*[n]. *Misericordias tuas Domina in sempiternum decantabo*[o]. *Cantate Dominæ nostræ canticum novum, quia mirabilia fecit in conspectu gentium*[p]. *Nonne, Domina, subjecta tibi erit anima mea*[q]? *Qui habitat in adjutorio Matris Dei, in protectione ipsius commorabitur*[r]. *Dixit Dominus, Dominæ meæ: Sede, Mater mea, a dextris meis*[s]. *Exsurgat Maria, et dissipentur inimici ejus*[t]. *Salvum me fac, Domina, quia intraverunt concupiscentiarum aquæ ad animam meam*[u]. *Domina, refugium nostrum es, in omni necessitate nostra*[x]. *Beati, quorum corda te diligunt, Virgo Maria, Peccata eorum a te misericorditer diluentur*[y]. *Domina, ne in furore tuo arguat nos Dominus*[z]. *Miserere mei, Domina, secundum magnam misericordiam tuam; et secundum viscera miserationum tuarum, munda me ab omnibus iniquitatibus meis*[a]. *Domina, exaudi orationem, et clamor meus ad te perveniat*[b]. *De profundis ad te clamavi Domina, Domina exaudi vocem meam*[c]. *Deus, judicium tuum Regi da, et misericordiam tuam Reginæ Matri ejus*[d]. *Deus, ultionum Dominus, sed tu Mater misericordiæ ad miserandum inflectis eum*[e]. Denique, *Memento, Domina, David, et omnium invocantium nomen tuum*[f]. *Pius* tibi, hic *ad B. Virginem affectus?*

[i] [Ps.] c. [al. xcix. "Jubilate Dominæ nostræ, homines terræ, servite illi in lætitia, et jucunditate." ibid. p. 509. col. 2. D.]

[k] [Ps.] xxxiv. [al. xxxiii. "Benedicam Dominam, deficiet." ibid. p. 504. col. 2. D.]

[l] [Ps.] xcii. [al. xci., ibid. p. 509. col. 1. B.]

[m] [Ps.] lxv. [al. lxiv., ibid. p. 507. col. 1. B.]

[n] [Ps.] ci. [al. c., ibid. p. 509. col. 2. E.]

[o] [Ps.] lxxxix. [al. lxxxviii., ibid. p. 508. col. 2. E. F.]

[p] [Ps.] xcviii. [al. xcvii., ibid. p. 509. col. 2. B.]

[q] [Ps.] lxii. [al. lxi., ibid. p. 506. col. 2. F.]

[r] [Ps.] xci. [al. xc., ibid. p. 509. col. 1. A.]

[s] [Ps.] cx. [al. cix., ibid. p. 510. col. 2. B.]

[t] [Ps.] lxviii. [al. lxvii., ibid. p. 507. col. 1. E.]

[u] [Ps.] lxix. [al. lxviii., ibid. E. F.]

[x] [Ps.] xc. [al. lxxxix., "Domina, refrigerium facta es nobis, in cunctis necessitatibus nostris." Ibid. p. 508. col. 2. F.]

[y] [Ps.] cxix. [al. cxviii. Haud ita habetur apud Op., ibid. pp. 511, 512.]

[z] [Ps.] vi. ["Domine, ne in furore Dei sinas corripi me." Ibid. p. 502. col. 2. C.]

[a] [Ps.] li. [al. l., "Miserere mei, Domina, quæ mater misericordiæ nuncuparis." Ibid. p. 506. col. 1. B.]

[b] [Ps.] cii. [al. ci., ibid. p. 509. col. 2. F.]

[c] [Ps.] cxxx. [cxxix., ibid. p. 512. col. 2. F.]

[d] [Ps.] lxxii. [al. lxxi., ibid. p. 507. col. 2. B.]

[e] [Ps.] xciv. [al. xciii., ibid. p. 509. col. 1. D.]

[f] [Ps.] cxxxii. [al. cxxxi., ibid. p. 513. col. 1. B.]

Sed quem David non ferret, quem Beata illa obtrudi sibi nollet, procul haberet, ut qui parum *pius* in Deum; cum, qui a Davide honor Creatori (addo etiam et per *latriam*, stylo vestro; non enim *Psalmi duliæ cultus* sunt), debitus et datus est, transfertur in Creaturam. Utrumque (credo) ei perinde
265 displiceret, vel *similitudinem* ejus, vel *Eam* ipsam, *Psalterio* sic ad *similitudinem Dei* adorare.

Nec, minus displiceret quod Moses olim cecinit de Deo, id ad se, non sine blasphemia summa, applicari. *Domina nostra omnipotens, . . . currus Pharaonis et exercitum . . projecit in mare*[g]*: Ecce Domina salvatrix mea, . . . et facta est mihi in salutem. . . . Exulta genus humanum, quia talem mediatricem dedit tibi Deus*[h]. Nec quod Abacuk[i], *Egressa est* [leg. *es*] *virgo in salutem populi* [*tui*], *in salutem, cum Christo suo,* [*tuo, o Benedicta*]. *In manibus tuis* (*Domina,*) *reposita est salus nostra*[k]. Nedum quod Christus, *Confitebor tibi Domina, quia abscondisti hæc a sapientioribus, et revelasti ea parvulis*[l]. Nec quod Paulus, *In nomine tuo, Domina, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum*[m]. Neque quod Ipsa Deo dicit, sibi obtrudi, *Magnificat anima mea Dominam*[n]. Neque quod Simeon, *Nunc dimittis servum Mariæ in pace*[o]. Neque quod pater Baptistæ, Zacharias; *Benedicta sis Domina Mater Dei, quia* [leg. *qui*] *per te visitavit* (*Deus,*) *et fecit redemptionem plebi suæ*[p]. Nec quod tres pueri, *Benedicite omnia opera* (*Domini,*) *Dominæ . . . ; laudate, et superexaltate Eam in sæcula*[q]. Nec quod Ambrosius et Augustinus. *Te Dominam* [leg. *Matrem Dei*] *laudamus, te Matrem* [leg. *Mariam*] *virginem confitemur*[r]. Denique omnium minime Symbolum Athanasii, *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat de Maria firmam fidem, quam, nisi quisque integram . . servaverit, absque dubio in æternum peribit*[s].

Existat ergo jam aliquis, qui ex *pio in illam ipsam affectu*

[g] Exod. xv. [1, 2. Apud Cantica ad B. Virg. ad fin. Psalt. S. Bonavent. Op., tom. vi. p. 515. col. 1. A.]
[h] [Ibid. p. 514. col. 2. C. D.]
[i] Aba. iii. [13.]
[k] [Vide S. Bonav. Op., ibid. p. 515. col. 1. C.]
[l] Matt. xi. [25. Vide S. Bonav. Op., ibid.]
[m] Phil. ii. [10. Vide S. Bonav. Op., ibid. p. 515. col. 2. A.]
[n] [Luc. i. 46.]
[o] [Luc. ii. 29.]
[p] [Luc. i. 68. Vide S. Bonavent. Op., ibid. p. 515. col. 2. B.]
[q] [Ibid. p. 515. col. 1. F.]
[r] [Ibid. p. 515. col. 2. E.]
[s] [Ibid. p. 516. col. 1. E. F.]

post Cantica, et Symbolum, Orationem Dominicam *non tangat* quidem *omnino*, sed *ad similitudinem Orationis Dominicæ aliam ipse Dominicam* (sed alterius sexus, nempe *Dominæ*, non *Domini*) *componat*, nihilne peccaret? Sed tametsi vix (credo) dixerit Cardinalis, unde, vel illi, vel ulli potestas Psalterii novi condendi; tamen *novum* hoc non est, sed quisquis illud attente legerit, tot ibi versus integros reperturus, *Domino* tantum in *Dominam* leviter immutato, ut non tam *novum* conditum, quam vetus corruptum, vel prima facie agniturus sit. Sed *novum* esto, a blasphemia quidem. Blasphemia enim ibi manifesta; cum, quod *vetus* ille *Deo* Creatori dictum voluit, *novus* iste David accommodet, non *Deæ* (concedet Cardinalis), verum *Creaturæ*, *Beatæ* illi quidem et *gratia plenæ*, sed tamen *Creaturæ*. Quod nisi fuisset forte de *Collegio Cardinalium*, qui fecit, defensione 266
de hoc facto suo erat cariturus.

At nusquam inveniet Rex Scripturæ . . lectionem laicis aut clericis fuisse prohibitam. Et valde mirandum est, quod Rex addit, ad silentium damnatos esse libros sacros, ut pro hæretico combureretur, qui eos in manus sumere auderet aut inspicere. Quæ unquam historia hoc prodidit? quis auctor tradidit? ne dicam quis vidit aut audivit pro Hæretico comburi, qui Scripturas attingeret?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 148. [Op., tom. vii. col. 788. A. B.]

Quid vero brevi jam Cardinali fiet, qui negat *suppressam* a Pontifice *Scripturam, vetitamve* illius *lectionem?* Non *Clericis* quidem, quibus *interdictum* nullum, *ignorantia* sæpe crassa in causa fuit, ne possent legere. At nonne *laicis?* Quam me hominis pudet, qui scit obsignatum tum fuisse librum illum, ut Sacra ipsa, lingua ignota (*laicis* quidem) cautumque, ne in linguam cuique maternam et suam converti possent. Et quis fere Scriptor est de vestris, qui identidem non tractet de *Bibliis in vulgarem linguam non transferendis?* Et quoties Tridenti supplicatum, id ut fieret, rejecta tamen subinde omni eum in finem petitione[t]? Quamdiu vero hic restitum apud nos, quam acriter, quot annis, id ne fieret, cum vestri hic rerum apud nos potirentur? Annon hoc est, ad *silentium damnare*, (quod damnatis fieri solet) includi quasi intra carceres ignotæ plebi linguæ, atque ne inde egredi liceat, Decretis suis, bene et firmiter observari? Tum, et id calide nimis, et audacter negat, quod *capitale* [De lectione Scripturarum laicis negata.]

[t] [Vide Raynaldi Cont. Ann. Baron. ad ann. 1546. num. 28.

ANDREWES.—RESP.

cuiquam fuisset, si Scripturas, quas intelligere posset, (id est,) in vernaculam linguam conversas, habere apud se deprehensus esset. Nec *historiis* opus, nec *Auctore*, qui *tradat*. Vidimus ipsi sæpe. Nostri homines, qui (priusquam hostile quid inter regna pridem accidisset,) itabant in Hispaniam commercii causa, necesse habebant, quæ circumferebant Biblia, defodere in focum nauticum, atque (cum eo Inquisitores, quod subinde faciebant, ventitarent) luculentum ignem superaccendere, ne eo loci quærerent. Excutiebant enim omnia sedulo, quod, sicubi vel in Testamentum novum, vel Pauli Epistolas, vel Psalterium incautius relictum incidissent, *flammis* luendum erat; etiam navis ipsa mercesque inibi omnes abibant in *fiscum* illico. Quo in genere, quot ego tibi *nostrates* nominare possem? Unum nomino Regis subditum, Joannem Moravium Mercatorem Aberdonensem. Is habebat secum in navi Testamentum novum: delatus a Sycophanta, *capitale* sensit *libros sacros attingere*. Nam, et *rem* amisit, et *vitam*. At lis etiam fuit de reliquorum in navi mercibus, quos ea causa non tenebat, eaque per *quatuordecim* jam *annos* producta est, ut Regi non ita pridem necesse fuerit, interventu auctoritatis suæ, et gratiæ, apud Hispanum agere, sua ut illis restitui possent, neve reliqui illi, qui
267 crimen idem non admisissent (magnum scilicet crimen, *quod Biblia penes se haberent*) eadem jactura bonorum plecterentur. Utinam hæc non nimis nota, nec aliter, scio, (quantumcunque rem Cardinalis dissimulat,) vel Romæ vivitur. Ubique quidem apud vos (quam late patet per Europam Christiana res) proverbio jactatum est, *Olere fascem*, qui libros sacros in sinu ferret, quive Psalmos Davidis cantillaret.

Neque hoc verum est (ignota lingua absconditos jacuisse:) Non enim Latina lingua ignota est Ecclesiæ Latinæ.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 149. [Op., tom. vii. col. 788. B.]

At *ignota in lingua libri Sacri absconditi non jacuerunt: quia lingua Latina Latinæ Ecclesiæ ignota non est*. Et estne *Ecclesia* jam ulla *Latina*, nempe cui vernacula, et cum lacte materno sit, *Latina lingua?* quam nisi quis in *Scholis* didicerit, nihilo ea cuiquam minus *nota* est, quam Græca, vel Hebræa. *Eruditis* ergo solis, et inter eos *Ecclesiasticis*, nec iis tamen omnibus (scit hoc Cardinalis verum dici) verum, qui operam ei navarunt, forte non ignota. *Ecclesiæ* vero

ignota, (id est) populo, toti vero sexui fœmineo, et (ut Apostolus) *Idiotis*[u], etiam qui Latium ipsum jam occupant. Prævaricatio hæc mera est.

Sed etiam Biblia vulgaribus linguis edita non desunt, quamvis non passim concedantur iis, qui rudes et imperiti cum sint, eas nisi perperam intelligere non queunt.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 149. [Op., tom. vii. col. 788. B.]

[De earum versionibus apud Romanenses.]

Verum et *Biblia jam vulgaribus linguis edita non desunt, quamvis non passim concedantur imperitis.* Certe nisi *concedantur imperitis, desunt* adhuc. Quorsum enim *edita?* An ut *peritis concedantur*, qui Latine satis intelligunt? Nihil opus; opus *rudibus*, opus *imperitis*, qui Latine nesciunt, quibus nisi *concedantur, edita* non sunt, ne nunc quidem, cum sunt *edita*. Sed neque vere dicitur a Cardinale, *Biblia vulgaribus linguis edita non deesse. Desunt* adhuc *vulgari linguæ nostræ Biblia vestra.* Tot jam annos incubuerunt *versioni* suæ *nostrates vestri*, nec dum tamen edolata est, in annum premitur non nonum[x], sed novies nonum, alter (credo) *Leviathan* partus futurus: nam celerius multo *Elephanti* pariunt[y]. Et hæc jam altera Cardinalis veritas est.

Interim vero, *nostra* non *desunt:* quod vero neque *vestra desint*, nobis, ut par est, et nostris habenda gratia. Nam vobis ne per somnium quidem in mentem hoc prius venit, quam a nostris susceptus labor iste, in *linguas vulgares Sacra Biblia transferendi.* Refugistis diu; Vulcano pugnastis. Tandem (quasi *ursus ad palum*, ita) inviti eo accessistis, *metu* partim, ne parum in rem vestram a nobis accensa hæc lucerna: partim etiam *pudore*, quod per nos primum, *Gentibus*, populoque in iis Christiano, nota jam Scriptura, et voluntas Domini tam diu clam habita. Admovistis ergo 268
manum ægre tandem, ægre (inquam,) quod Duacenses nostri quasi cum suspirio confitentur, et quiddam nescio quid, tandem, edidistis[z], sed quasi *ἀκρόασιν Aristotelis, Azymis* vestris, *Præputiis, Didrachmis, Archisynagogis, Paracletis, Parascevis, Victimis, Neophytis, Depositis, Holocaustis*[a], nec portentis verborum modo, sed sententiarum quoque serie sæpe implexa

[u] [1 Cor. xiv. 16.]
[x] [Horat. Epist. ad Pis. 388.]
[y] [Vide C. Plin. Hist. Nat. Præfat. ad Vesp. Op., tom. i. p. 188. Lond. 1826.]
[z] [Prodiit Versionis Duacensis volumen primum A. D. 1609; volumen alterum A. D. 1610.]
[a] [Vide Præfat. Vers. Duacen. 'To the English Reader,' p. 7.]

atque involuta, interdum etiam absurda, atque aliena sic undique obscuratum, ut non nisi paulo jam magis intelligi queant, quam olim Latina cum essent: ut etiam jam, cum *non desunt, desint* tamen, et *Interpreti* vestro *Interprete* opus sit, et in Idolum versa versio vestra, quæ *os habet, et non loquitur*[b], nec minus in Idolum plebs ipsa, quæ *aures habet, sed non audiendi*[c]. Ita, qua potestis et audetis, populum Dei arcetis a libris Sacris. Quorsum autem? Quos olim Moses, quos Paulus, quos Patres, inprimis Chrysostomus[d], ita serio, ita sæpe, ad lectionem eorum sedulam, nec in *Templo* solum, sed *domi* etiam invitavit. At idem, quod olim, periculum, nempe *ne perperam intelligant.* Et an ea vobis ratio commoda videtur, quo ne *perperam intelligant,* ut *omnino ne intelligant?* Imo legant, intelligant, (quæ dabit Deus) sicubi hæreant, condiscant a Theologis, qui citius ex parte intelligentes deducent ad veritatem, quam omnino Sacrarum literarum rudes.

Atque ad hoc ipsum instituti sunt Concionatores, qui populari lingua explanent, quæ Latine in Ecclesiis leguntur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 149. [Op., tom. vii. col. 788. B.]

[Quare Concionatores instituti.]

Sed *Concionatores ad hoc ipsum instituti, ut, quæ Latine leguntur in Ecclesiis, ea populari lingua explanent.* Si *populari lingua* legantur, quæ *leguntur in Ecclesiis,* annon compendium fiet *interpretis,* ut magna ex parte *plana* jam, minus proin egeant *explanante?* Neque vero *ad illud instituti sunt Concionatores,* ut, quæ *Latina* in sacris, *vernacule* reddant, quin, ut sensus eruant, non verba transferant; quæ si *explanata lingua populari legantur,* populo lecta intelligantur, *Concionatori* minuetur labor. Quanquam quis vidit unquam apud vos, interim dum *Missa* fieret, stantem pro suggestu *Concionatorem,* qui *Commentatorem* ageret *Missificantis,* et quid murmuret uno loco Sacerdos, quid sileat altero, quid gesticuletur tertio, populum *sua lingua admoneret?* Opus vero, ut non *populus* hæc, quin *Sacrificus* ipse plerumque doceatur, tam sæpe bardus, ut quid dicat ibi, quid faciat, vix ac ne vix quidem ipse intelligat; ne in *Missa* quidem: tantum
269 abest ut exploratum habeat *Testamentum Vetus* et *Novum;*

[b] [Ps. cxv. (Vulg. cxiii.) 5.]
[c] [Ibid.]
[d] [Vide S. Chrysost. Hom. ii. in Matth. Op., tom. ii. pp. 13. 14.; Hom. ix. in Coloss. tom. iv. p. 137. lin. 17.; Orat. xviii. tom. v. p. 106.]

quæ, et Episcopi reperti sunt, qui in laude sua ponerent, quod neque legere curarent, neque intelligere[e]. Sacerdotum vero hic inscitia tanta, ut proverbio locum fecerit[f]: cujus cum conscius esset Cardinalis, atque illius paulo eum suppuderet, sciens (credo) maculam hanc prudensque præteriit.

Si anno 1562 Scriptura interfecta est, ergo a Luthero ante a mortuis revocata est, quam ab Antichristo interficeretur.... Atqui hoc vere inauditum miraculum est.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 149. [Op., tom. vii. col. 788. C.]

Jam locus de *Generali Censura*[g], (qua Testes hi duo jugulati dicuntur) nihil erat cur Cardinalem in *jocum* solveret vel facetum ita faceret. Duplex eo loco error. Nam neque vel una ætate, vel uno vulnere unius hominis, conciderunt Testes illi, (nec id Regi unquam in mentem venit) tantum moribundi jacuerunt, diu et vulneribus multis, ad necem dati: quamdiu (scilicet) diuturnam passi sævitiam, sub percussorum manibus oppressi gemuerunt. Atque hoc, ictibus multis, multorum (in quibus instare poterat), placuit autem *Censuræ* illud, tanquam unum e novissimis, nominatim ponere: sed ad cujus exemplum, aliquot ante sæculis, simili in eos modo sævitum fuerit. Ideo autem placuit, quod placuerit ibi valde vox, et usurpetur subinde, *Censorio mucrone jugulandi*[h], quasi jugulum ipsum *petere* jam in animo haberent. Et ad eam quidem rem prodiisse *Censuram* hanc, sed, ad quod prodiit, non itidem perfecisse. *Successus*, in eo vobis, non *animus* defuit. Jam, ut cæsim, non punctim: et a multis, non uno: et diu, non momento, Testium internecio: ita, nec ad vitam statim revocatio, nec unius opera, vel alterius, sed et temporis non exigui interventu opus erat, et multorum Martyrum sanguine ea res stetit. *Miraculo* tamen nullus hic locus, non magis, quam si, qui diu e morbo decubuit, diutine itidem

[De Generali Censura Versionum SS. Script.]

[e] [Respicit forsan dictum Georgii Creighton Episc. Dunkeld. — Vide 'Spotswood's Hist. of the Church of Scotland.' lib. ii. ad an. 1538. pp. 66. 67.]

[f] ["Indoctior Monacho." Vide Erasm. Adag. p. 303.]

[g] [Anno 1554 prodiit liber, cui titulus, 'Censura Generalis contra errores quibus recentes hæretici sacram scripturam asperserunt, edita a supremo Senatu Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem et apostasiam in Hispania, et aliis regnis, et dominiis Cæsareæ Majestatis constituto. Pinciæ, ex Officina Francis. Ferdinan. Corduben. cum privilegio Imperiali,' 4to. Præfixum est Decretum Ferdinandi de Valdes, Inquisit. Gener. datum Vallesoleti Aug. 20. 1554. Prodiit iterum, titulo post verbum 'Inquisitionis' ita mutato, 'Constituto adversus hæreticam pravitatem et Apostasiam in Hispania et aliis regnis et dominiis Cæsareæ Majestati subjectis. Venetiis, ex Officina Jordani Zileti MDLXII.' 4to. Vide Mendham's Literary Policy of the Church of Rome, cap. ii. pp. 55. 56. Lond. 1830.]

[h] [Vide Præf. in Cens. apud Cens. Gener. fol. 10. a. Edit. Venet.]

et paulatim, non subito convalescat. Sensim crepuscula subierunt, obscurati per gradus, donec toto tandem corpore cilicinum saccum referrent. Sensim itidem, non simul, exierunt rursus de crepusculo, ut multorum opera intercesserit, per tempus multum, quo splendorem pristinum recuperare possent. Lutherus ei rei operam aliquam suam forte interposuit, sed non tantam tamen, ut solus totum effectum dederit; aliorum, et qui ante, et qui post illum, sua in opere hoc nec infima laus est. Sed Cardinalis, ita, ut videtur, somnio suo *triduano* capitur[i], ut quicquid in hoc genere præstandum sit, id *bidui* opus putet, aut ad summum *tridui*: nec meminit, *miraculum* illud esse *inauditum*, ut *Litæ jam*
270 *alatæ sint, Ate non sit*[j]; morbi chronici sint, at non lenta remedia.

Sed omissis jocis . . . censura non jussit comburi translationes omnes, excepta sua, cum recipiat translationem LXX. Interpretum et permittat . . . Syriacas, Chaldaicas, Latinas etiam recentiorum non paucas. Sed comburi jussit translationes hæreticorum, . . Lutheri et similium.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 149. [Op., tom. vii. col. 788. C. D.]

[De versionibus in Censura notatis.]

Mittamus ergo hæc, quæ vel ipse *jocos* appellat, ut *joco* dicta: et quidem *joci* sunt, nec præterea quid, quibus oblectare se voluit senex. Causam enim illi non juvant. Rogo damnatæ (si bene legisti Censuram) non Lutheri solum, et nostrorum: etiam Editiones aliæ, et quidem hominum vestrorum, et vestris in urbibus, officinis, et prælis, Parisiis, Antverpiæ, Venetiis, excusæ[k]. Præcipue autem sævitum est in Testamentum novum: in quo, quicunque vos male habuit locus, tanquam suspectus hæreseos, Censura vestra statim *jugulatus* est[l]. At honor hic habendus fuerat divinis literis, ut, etsi locis non paucis peccatum aliquod in translatione foret, libri tamen ex eo ne exurerentur. Honor is habitus est *Editioni* vestræ *vulgatæ*, a Clario vestro, qui *moderatione*

[i] ["Legimus duos Prophetas saccis indutos, adversus Antichristi doctrinam prædicaturos, atque ab illo interficiendos, et a Deo post triduum resuscitandos."—Bell. Apol. pro Resp. p. 147, et Op., tom. vii. col. 787. B.]

[j] [Καὶ γάρ τε Λιταὶ εἰσὶ Διὸς κοῦραι μεγάλοιο,
χωλαί τε, ῥυσαί τε, παραβλῶπές τ' ὀφθαλμώ·
αἳ ῥά τε καὶ μετόπισθ' Ἄτης ἀλέγουσι κιοῦσαι.
ἡ δ' Ἄτη σθεναρή τε καὶ ἀρτίπος· οὕνεκα πάσας
πολλὸν ὑπεκπροθέει, φθανέει δέ τε πᾶσαν ἐπ' αἶαν
βλάπτουσ' ἀνθρώπους· αἱ δ' ἰξακέονται ὀπίσσω.
Hom. Il. ix. 498—503.

[k] [Vide Exempla Bibliorum, diversis a typographis excusa, quæ indigent castigatione et censura, apud Cens. Gener. foll. 14.b.—16.a. Edit. Venet. 1562.]

[l] [Vide ibid. foll. 24.a.—29.a.]

(ut ipse ait) *usus, usque ad octo millia ibi loca emendavit* [m]. Ad octo millia? Pauciora (credo) Lutheri errata sunt. En hominis tamen in sacros libros reverentiam: *Octo millibus* locis emendavit, nec damnavit ad flammas. Pessimo itaque exemplo id factum a vobis: Nec vos id æquo ferretis animo, si imagines vestræ, statim ubi Sanctos, quorum imagines sunt, ad vivum non referant, vel si male tornatæ dolatæve sint, in pyram ardentem abjicerentur. Multæ feruntur, per Hispaniam, B.Virginis icones facie nigra (quæ tamen Æthiopissa non fuit), haud (credo) impune ferret, qui Vulcano tamen traderet. Pari (credo), imo majori ratione, etiam sacris libris literisque parcendum fuisse, nec ita igne in illas bacchandum, si vitio interpretis, in illis, (non minus quam artificis in imaginibus,) admissum fuerat, quod non oportuit; nec tam infami pœna luendum illis vitium non suum, sed interpretis sui. Sed etiam, quomodo verbo Christi, membris Christi parceretis vos, qui Christo ipsi vestro *panaceo*, postquam mucescere paulo incipit, vel scatere vermibus, non parcitis: sed iisdem, quibus *librum* ejus, *flammis* expiatis?

Si ea sententia vera sit, tria sequentur..... Primum,.. in Ecclesia veteri primis quingentis, vel sexcentis annis nullos fuisse Scripturæ ... libros. Siquidem duo illi Prophetæ ... non apparuerint, nisi post exortum Antichristum, ... Antichristus exortus non est, nisi post annum ... sexcentesimum.—[Bell. Apol. pro Resp.] pp. 149, 150. [Op., tom. vii. col. 788. D.]

Videamus jam, quid tota ista de re videatur Cardinali; et incommoda illa *tria*, quæ ruitura in Regem nuntiat, si *Testamenta duo Testes* hi *duo* sint. *Primum, sexcentis primis annis nullos fuisse S. Scripturæ libros.* Magnum incommodum! *Antichristus exortus non est ante annum sexcentesimum.* Esto. *Non apparuerunt hi Testes, nisi post exortum Antichristum.* Igitur, *primis sexcentis, duorum Testamentorum libri non apparuerunt.* Mitto, quod *non fuisse* proponit: probat, *non apparuisse*, cum *esse* possint, nec *apparere*. Respondeo. Vestri homines sic annotarunt. Non dicit, *Et dabo duos Testes*, sed, *Et dabo duobus Testibus*. Ipsi non *dantur*, *datur* ipsis. *Sint* autem oportet, quibus *detur*, quo *detur* eis; alioquin *dari* eis, qui non sunt, nihil potest. *Fuerant* ergo prius *Testes illi:* verum etsi *fuerant*, non illis *dari* poterat, ut prius contra Antichristum prophetarent, quam Antichristus

[Per totum Antichristi regnum exstiterunt Scripturæ,]

271

[m] [Vide Clarii Præfat. in Biblia sua, apud Criticos Sacros. tom. i.]

appareret. Esset hoc *vere inauditum miraculum,* nullus dum existeret Antichristus, contra Antichristum, contra *non Ens* testimonium ferre. Non *fuisse* vero *duos* illos *Testes* prius, non prius *apparuisse,* nec nisi tum; verbum in *contextu* nullum. Diu ante, et erant, et aliis de rebus testati sunt. Hoc ergo ibi non dicitur. Illud dicitur, non datum fuisse illis, ut pugnarent contra Antichristum ante tempus illud. Qui poterant, cum necdum Antichristus appareret, contra quem *pugna* illis, et *prophetia,* et *testimonium?* Velletne eos Cardinalis (quod ipse nimio quam sæpe facit) *cum umbra pugnare*[n]*?*

Si duo Prophetæ duo Testamenta significant, toto tempore regni Antichristi prædicatio Scripturarum vigeat . . . necesse est. Cur ergo . . . deplorat Rex cæcitatem et ignorantiam . . . tot sæculis invaluisse apud Christianos? —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 150. [Op., tom. vii. col. 789. B.]

[multum tamen obscuratæ.]

Sequitur alterum. *Deplorasse* jam ante *Regem cæcitatem eam,* quæ apud *Christianos invaluit,* cum tamen sub *Antichristo Testes hi duo prophetarint.* Hæc autem duo videri repugnantia. Videri quidem, sed infirmis oculis. *Prophetasse* enim, totoque id *Antichristi tempore:* non pari tamen semper successu prophetasse, nec eadem semper potestate prophetia illa sua Antichristum expugnasse: Testimonium quidem tulisse, etsi *testimonium* eorum pauci interdum, interdum vix quisquam *receperit.* Alioqui, quomodo prævaleret Antichristus contra eos? Prævalebit autem, (nec vos negatis) et *vincet illos.* Verba sunt ipsa, eo ipso loco. At contra quem pugna valida, oppositio fortis est, procul is a victoria. Etsi ergo nullum sub Antichristi Regno tempus, quo non contra errorem ejus aliquem decertatum sit, ex ore istorum *Testium:* pro parte tamen Regni sui maxima, *bellum fecit contra illos, et vicit illos*[o]*:* ut, tametsi prophetent illi, prophetiæ tamen non credatur a terræ incolis. Dum quidem triumphabat Antichristus, et quasi in *Auge* erat, eclipsin passi sunt *Testes hi,* idque illis evenit tandem, quod Soli a nebula spissa, qui tamen nube disjecta erumpit clarior: quomodo et isti pridem, revelato jam et inclinante Antichristo. Muti vero haud unquam fuerunt. *Testes* enim esse non possunt, nisi *testimonium* ferrent veritati, etiam cum nemo illud recipit. Vel

272

[n] [Vide Erasmi Adag. p. 324, sub voc. σκιαμαχεῖν.]

[o] [Apoc. xi. 7.]

enim in densissimis Antichristi tenebris exstiterunt semper aliqui, vel ex Antichristi ipsius mercenariis, qui (Balaami instar) loca quædam Scripturæ interpretati sunt, etiam contra *praxin*, etiam contra *Decreta* ipsius Antichristi. Quorum non nemo *Catalogum* texuit [p].

> Duos Prophetas post triduum . . . in cœlum assumptos fuisse. Quare . . . necesse est, ut Scripturæ in cœlum jam sint receptæ atque ab oculis hominum absconditæ, si quid similitudo duorum Prophetarum et duorum Testamentorum valeret. [*leg.* valet.] Atqui videmus duo Testamenta in manibus hominum . . . et Bibliothecis [*leg.* Bibliothecas publicas et privatas occupasse.] Nutat igitur undique conjectura Regis.—[Beli. Apol. pro Resp.] p. 151. [Op., tom. vii. col. 789. C.]

[In cœlum quasi receptæ sunt, cum honore habitæ.]

Ultimus autem nisus Cardinalis, *Duos hosce testes, id est, Scripturas sanctas, nondum in cœlum assumptos esse; neque apud homines in terris unquam amplius visos, atque ab oculis hominum absconditos. Esse enim etiamnum in hominum manibus, atque in Bibliothecis asservari. Nutare ergo hic conjecturam Regis.* Ac *ascendisse ad cœlum* Testes duos dicit versus, *absconditos ab oculis, nunquam amplius visos*, non dicit. *Luminaria* [q] enim dicuntur esse testes hi. In *cœlo* ergo esse possunt: et *videri* tamen, nec *abscondi*. Gratificari paulo ante Bedæ voluit *hyperbole* quadam, dum *Paradisum lunæ in propinquo* poneret[r]. Parem hoc jam loco gratiam si faceret, Rex non laboraret. Et quidem, quis ita non loquitur, dum ob felicem aliquem eventum sibi gratulatur, *In cœlo sum* [s],—*sublimi ferio sidera vertice* [t],—ὡς ἀετὸς ἐν νεφελῇσι [u]. Nec abhorret ab ea Psalmus, *Ascendunt usque ad cœlos* [x]. Nec aliud sibi vult sublimis ista in nube subvectatio, nec aliud ea phrasi significatum voluit D. Joannes, quam *triumphum* illum gloriosum, quem de Antichristo habituri sunt. Antithesi autem hoc apta et concinna. Qui, nempe, paulo ante tanquam inglorii sepulti sunt, et sub terram abditi, jam velut gloriosi vicissim emicant, atque in cœlum ipsum quasi recepti sunt. Nec apta solum, sed desumpta etiam ex Testamento veteri loquendi formula. Eliæ enim instar, *ignem in hostes devocare* [y], *cœlum, ne pluat, dicuntur claudere* [z]: atque ejusdem

[p] [Vide Mart. Fl. Illyrici Catalog. Test. Veritatis, Argent. 1562.]
[q] Ps. cxix. 104; 2 Pet. i. 19.
[r] [Vide supra, p. 355.]
[s] [Cicer. ad Att. ii. 9.]
[t] [Hor. Carm. I. 1. 36.]
[u] [Ἀετὸς ἐν νεφελῇσι γενήσεται.—Arist. Aves, 978.]
[x] Ps. cvii. 26.
[y] [Apoc. xi. 5.]
[z] [Ibid. 6.]

Eliæ ad exemplum, conscendunt quasi *Currum Triumphalem*, atque in sublime cœlum feruntur. Ubi quasi in throno considentes Antichristum jam ipsum causam jubent dicere. Vident hoc inimici illorum; magna ex parte completum vident: vident regnare et triumphare testes hos de cœlo jam, vident (inquam) inviti, etiam qui nolunt videre. Atque hic jam Cardinalis nisus ultimus, nisus irritus.

273 Neque utile nobis est, ob eam conjecturam a communi sententia Patrum nostrorum Ecclesiæque recedere. Omitto quæ dicuntur de alia significatione duorum Prophetarum, quoniam eam in libris Controversiarum . . . refutatam reliquimus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 151. [Op., tom. vii. col. 789. C. D.]

Utile tamen *sibi suisque* dicit, *non recedere ab hac sententia, Patrum scilicet communi et Ecclesiæ. Patrum* non damus, vel *Ecclesiæ veteris communem;* sed *utile* tamen Papæ, *utile* Cardinali, ne ab ea *recedant,* Regiam admittant. Verum *honestum* modo sit, de *utili* ipsi viderint, de quo quidem, quam de *honesto,* sæpe magis solliciti sunt. At de expositione Regis altera, nec minus recepta, refert nos ad *librum* suum[a]: (id est) Cardinalis ad Cardinalem, ubi quod *refutatum reliquisse se* dicit, pro *relicto* habemus, non autem pro *refutato.*

[a] [Vide Bell. de Rom. Pont. lib. iii. cap. 6. Op., tom. i. pp. 188, 189.]

Ad Caput Duodecimum.

De quatuor visionibus S. Joannis in Apocalypsi, in quibus Antichristus designatur.—[Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 789. D.]

De quatuor visionibus S. Joannis in Apocalypsi, in quibus Antichristus designatur.

Cum interpretes hujus loci consulere instituissem, inveni tot sententias quot fere ... Auctores.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 152. [Op., tom. vii. col. 790. A.]

[De visionibus quatuor equorum in Apoc.]

Excussurus hoc Capite *Visiones quatuor* Cardinalis, et primo Equorum, *instituit consulere loci ejus interpretes, invenit autem quot fere Auctores, tot sententias.* Et cur ergo in Regem iniquior sit, post alios sic inter se discrepantes, sententiam quoque suam proponentem? Nam vel *a cœlo* sunt illæ illorum sententiæ, vel *ab hominibus*[a]: et si *a cœlo* quidem forent, et a Spiritu Sancto dictatæ, idem omnes spirarent, nec tam inter se variæ forent, adeoque contrariæ: sin *ab hominibus*, et e suo cujusque sensu conjectura sua, quod illis fuit, illud idem cur Regi, cur cuiquam liberum non siet, ponendi scilicet atque exponendi sententiam suam, sua tum methodo, tum consecutione, neque fluentem minus vel cohærentem?

Pallidum equum Antichristum esse Rex docet, quo Auctore non indicat.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 152. [Op., tom. vii. col. 790. A.]

[Quid de his senserint Pseudo-Aug., Victorinus, et Beda.]

Injurius ergo in Regem, dum id quærit, *quo Auctore?* Dum id queritur, *quo Auctore non indicat.* Nam *quo Auctore* Ribera, et Viegas, (qui de vestris novissimi scripserunt) ille Trajanum[b] ejusdem *Equi pallidi sessorem* facit, iste Dominianum[c]? Nec istorum alter de *Auctore* suo, nec alii, qui

[a] [Matt. xxi. 25.]
[b] [Ribera Comm. in Apoc. cap. vi. num. 26. p. 144. Lugd. 1592.]
[c] [Blas. de Vieg. in Apoc. cap. vi. Comm. iv. sect. 6. p. 331.]

Mahometum [d], interrogati facile responderent. Se sententiæ suæ *Auctores* fuisse intrepide dicent, in tam multis tam non modo diversis inter se, sed etiam adversis sententiis, fas sibi
274 fuisse suas quoque interponere. Nec quod istis licuit, Regi debuit non licere. Sed ubi memoria Cardinalis, dum quærit, quo auctore? Annon enim ex Abbato? Qui toties jam nihil afferre Regem dixit, nisi ex vel illo, vel Brightmanno, (scilicet) tam subito sui immemor, ut jam exciderit ei vel uterque vel alter, quem ita sæpe Regi *Auctorem* affinxerat. Ut tamen de *Auctore* respondeat. Nec ab eorum sensu longe discedit Rex, quos ibi Cardinalis affert, Augustini [e] scilicet, et, qui ante illum, Victorini [f], et qui post, Bedæ [g] nostri, qui in tribus *Equis, Rufo, Nigro, Pallido, Rufo* bellum, *Nigro* famem, *Pallido* pestem intelligunt. Nec hæc unquam negare Regi animus. Sed ubi bellum, ibi *hostis: hostis,* quem *gladio* petat bellator, quem *Equo* insequatur. Qui *Equum* conscendit, *gladium* eduxit, aliquem sibi proponit, quem persequatur, nisi si *Sciamachiam* hic Cardinalis somniet. 1. In *Equo Albo* ejusque *Sessore,* Triumphum Christi intellexit, qui per Apostolos (etiam dum in vivis essent) Evangelium ad multos late propagarat. 2. In *Rufo* autem, (qui sanguinis color est) qui *Equum album,* id est, credentes Evangelio Christianos, omni crudelitatis genere persecuti sunt, Imperatores Romæ sanguinarios. Et quis fere interpretum aliter hic animum habet? 3. In *Nigro* famem quidem et Rex, non solum tamen corporalem *ventris,* qua panem, sed et spiritualem *mentis,* qua verbum Dei esurit; nec hoc novum est, cum literali sensu spiritualem conjungere. Nec

[d] [Ut Joachim, Seraphinus Firmanus, et alii, quos citat Corn. a Lapide in Apoc. vi. 8.]

[e] ["Tres ergo equi, fames et bella et pestis intelliguntur: quod etiam Dominus in Evangelio suo prædixit, quæ et jam fiunt, et imminente die judicii amplius futura sunt."—Pseudo-August. Hom. v. in Apoc. apud S. Aug. Op., tom. iii. Append. col. 3119. B. C.]

[f] ["Equus rufus, et qui sedebat super eum habens gladium, bella futura significant... Equus niger famem significat... Equus autem pallidus, et qui sedebat super eum nomen habebat Mors. Hæc eadem quoque inter cæteras clades promiserat Dominus venturas pestes magnas."—S. Victorin. in Apoc. cap. vi. — Gall. Bib. Patr. tom. iv. p. 57. col. 1. C. D. E.]

[g] [Hos tres equos ita exponit Beda ad Apoc. cap. vi. Op., tom. v. coll. 773, 774. "Contra victricem vincentemque Ecclesiam exiit equus rufus, id est populus sinister, ex sessore suo diabolo sanguinolentus." "Equus niger falsorum caterva est fratrum, qui stateram rectæ professionis habent, sed socios lædunt per opera tenebrarum." Et de equo pallido, "Hæretici, qui se Catholicos palliant, morte inhabitatrice digni, perditorum post se rapiunt exercitum."]

Ribera[h] hoc negat. *Et qui per Equum nigrum Hæreticos designari statuunt, necesse habent famem suam ad divini verbi penuriam* revocare. Atque ita Rex: postquam enim, effusa in Christianum orbem Gotthorum atque Vandalorum illuvie, barbaries orbem occupavit: ex barbarie illa, crassaque passim linguarum et literarum ignorantia, ubique hæreses multæ, ubique illa, (quam dixi) *fames* spiritualis invaluit. 4. In *Pallido* autem, *pestem* et ipse intelligit atque adeo *corporum*, præcipue tamen (quæ Antichristum comitari nata est) *animarum*. Quamvis enim et in *corpora*, in *animas* tamen præcipue sæviit, præcipue sæviet Antichristus, ut XVII°. cap. habetur. *Sessor* pallentis Equi, *Mors* dicitur. In *Morte* vero tum *Rubri*, per *gladium* in *corpora*, tum *Nigri*, per *famem*, in *animas* bacchantis, utraque, inquam, sævitia continetur. Utroque *Equo* pugnat Antichristus, de neutro descendere vult, etiam *mortem* ipsam *corporum* spirat adhuc. 275
Vide mihi illam in nuptiis *lanienam Parisiensem*[i]; vide *cultellum*, Regis Henrici Tertii[k]; jam vero Quarti[l] etiam sanguine madentem, nec alia de causa, quam ut Antichristi regnum stet, nihil de eo pereat: favente non uno, sed pluribus Theologis, quos erat Parricida sciscitatus ad Henrici Tertii mortem (ut refert Mariana[m]:) favente vero et stimulos addente Marianæ libro, ad Quarti. Quæ qui viderit, næ ille *Pallidi equi sessorem* paludamentum ferre videbit, uti *Nigri* atrore pullatum, ita *Rufi* sanguine purpuratum: vere, ut ei *pestis* nomen conveniat, ut qui non minus in *corpora* grassetur quam *animas*; utriusque vitæ lues, atque pernicies, quaque *corpus* huic sæculo vivit, quaque *anima* futuro.

Hanc visionem ad Antichristum non pertinere, præsertim cum ex communi sententia omnium expositorum de Antichristo agatur paulo post in eodem capite in apertione sigilli sexti.... Ex quo intelligimus, falsum esse, quod adversarii dicunt, Antichristum jam regnasse annis mille et amplius.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 152. [Op., tom. vii. col. 790. A. B.]

---

[h] ["Multi ... in equo nigro hæreticos intelligunt" ... Riber.] in Apoc. [cap.] v. [leg. vi. num. 16. p. 139. "Fortasse ergo ita locus explicabitur, famem quidem hic prædici, at non corporis, quæ nihil ad hæreticos pertinet, sed famem... et penuriam verbi Dei." —Ibid. num. 20. p. 141.]

[i] [Thuan. Hist. lib.] lii. cap. 7. seq., tom. iii. p. 126. seq.]

[k] [Thuan. Hist. lib. xcvi. cap. 8., tom. iv. p. 764.]

[l] [Die xiv. Maii A.D. 1610. a Ravaillaco percussi.]

[m] [J. Marian. De Reg. et Regis Institut.] lib. i. cap. 6. [p. 53. Mogunt. 1605.]

[Quid per equum pallidum,]

Sed *nihil ad Antichristum Equus pallidus. Nam expositores ea post ad Antichristum referunt, quæ in apertione sexti Sigilli narrantur.* Sed neque *referunt omnes.* Non enim Ambrosius de antiquis, non Arethas de mediis, non Viegas de nuperis. Ambrosius de excidio Hierosolymitano[n]. Arethas de passione Christi intelligit[o]. Viegas de persecutione Diocletiani[p]. Tum, qui referunt, minus id apte. Nec enim ibi vel *Equus* apparet vel *Sessor*, qui reliquis respondeat; non Personæ usquam mentio, vel *Status*, non *Persecutionis*, vel *ultimæ*, vel ullius: tantum *terræ motus* ibi videtur, *sol denigratus, luna in sanguinem versa, stellæ cœlo labentes, cœlum obvolutum, ultimum* denique *judicium*; Antichristi vero vestigium haud ullum. Tum denique si (quæ nulla ibi est) non obscura esset Antichristi designatio, quid obstat rem eandem, eodem Capite, non eodem modo, bis describi? Qui minus, quam *Pharaoni septem vaccarum, septem spicarum*, duplici somnio, una eademque septennii fames prænuntiata est[q]? Qui minus, quam Josepho, duplici, (eodem capite) manipulorum una primum, stellarum post adoratione altera, una eademque res, futura scilicet in Ægypto dignitas prænuntiata est[r]? Geminata enim visio (ut ibi Joseph) firmitatis modo indicium. Nam *de mille annis et amplius*, semel jam habet responsum, nec hic jam amplius repetendum.

Sed nos per stellam cadentem Lutherum significari credimus, per locustas hæreticos Lutheranos et Protestantes.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 153. [Op., tom. vii. col. 790. B. C.]

[et stellam cadentem significetur.]

In ea jam (quæ sequitur) Tubarum visione cap. IX. convenit primo, per *stellam* ibi *deciduam*, perque *locustas, Antichristi præcursores* designari. At, illi, *Lutherus stella est.* Lutherus
276 stella? quem misellum et obscurum *fraterculum*, nulla in Ecclesiastica dignitate constitutum, e Cœnobio (nescio quo)

[n] ["Sigilli sexti apertio ad Judæorum rejectionem, sicut diximus, et ad gentium vocationem pertinet.... *Terræ motus factus est magnus.* Per terram in hoc loco Judæi designantur; terræ motus factus est magnus, quando a Romanis hæc gens est devastata."—Berengaudi Expos. in Apoc. Vis. iii.; apud S. Ambr. Op., tom. ii. App. col. 533. B.]

[o] [Τίς δὲ ἡ λύσις τῆς ἕκτης σφραγῖδος; ὁ σταυρὸς τοῦ Κυρίου, καὶ ὁ θάνατος, οἷς ἠκολούθησεν ἡ εὐκταῖα πᾶσι πιστοῖς τε καὶ αἰσθητοῖς ἀνάστασις... Καὶ σεισμὸς μέγας ἐγένετο. Σαφῶς τὰ ἐπὶ τῷ σταυρῷ γεγενημένα σημεῖα ἡ ὀπτασία ἡμῖν ἀναζωγράφει.—Areth. Comment. cap. xviii. in Apoc., apud Œcumen. Op., tom. ii. p. 708. C. D.]

[p] [Blas. de Vieg. in Apoc. cap. vi. Comm. iv. sect. 9. p. 336.]

[q] Gen. xxvii. 32.

[r] Gen. xxxvii. 7.

erepsisse, nulla vel eruditionis, vel sanctitatis eximiæ opinione insignem, soletis dicere? Et ille jam *Stella* vobis, in cœlo splendida? Quam vero hoc non convenit? Quam toto cœlo aberrat Cardinalis? Quanto rectius Rex, qui per cœleste hoc sidus illustrem aliquam personam, in cœlo, loco (scilicet) Ecclesiæ sublimi et eminenti sitam, *sideribus* ipsis *supparem*, nominis claritate, et dignitatis radiis longe lateque fulgentem *Pontificem* aliquem potius designatum putet? In *Pontifice* enim insunt hæc omnia: ad pauperem et ignotum *Monachum* detorqueri, nisi inepte non possunt.

Et nos . . . facile demonstrare possumus, quo modo Lutherus ceciderit, quo anno, qua occasione, quanto strepitu, et quem exercitum locustarum de abyssi puteo eduxit [*leg.* eduxerit.—Bell. Apol. pro Resp.] p. 153. [Op., tom. vii. col. 790. C.]

[Lutherus non stella cadens.]

At, *qua occasione* primum Lutherus in certamen descendit, prætereundum Cardinali fuit; vix ea satis honesta fuit, qua ad *Papam* ipsum, qua ad *Papæ Quæstores*: *Papam*, qui *indulgentiarum* impostura veteri orbem Christianum expilare, (qua arte dotandis sororibus, ditandis Nepotibus diu abusi): *Quæstores*, qui non sine fœda, nec ferenda blasphemia, merces illas protrudere soliti, (ut erat Gens illa nimis audax semper, et importuna,) tum *indulgentiis* suis efferendis, vel etiam (horreo scribens) siquis B. Virginem violasset[s]: tum, *Reliquiis* confingendis, ut etiam de pennis ab ala Gabrielis avulsis, populo per fraudem illuderent[t]. Tam vero hæc Luthero *justa* fuit *occasio*, in illos *Bullarum* venditores invehendi, tam hoc grave malum Orbi incubuit, ut *Pontifex* ipse, ut *Patres* in suo (quod vocant) Concilio ad Tridentum, fœcem illam totam *Indulgentiariorum*, non minore nota quam Lutherus confixerit, penitus etiam (quod initio summum nefas) suo Decreto sustulerit. *Excrevisse enim ita quæstorum malitiam, cum magno fidelium omnium scandalo et querela, ut de eorum emendatione nulla spes amplius relicta videatur. Statuere, ut posthac, in quibuscunque Christianæ Religionis locis, eorum nomen atque usus penitus aboleatur*[u]. Atque hoc exitu,

[s] [Vide Chemnitii Exam. Conc. Trident. par. iv. p. 84. b. Francof. 1569.]

[t] [De plumis Spiritus Sancti loquitur Chemnitius, Exam. Conc. Trident. par. iv. p. 12. a.]

[u] ["Potiusque eorum malitia ita quotidie magno fidelium omnium scandalo et querela excrescere deprehendatur, ut de eorum emendatione nulla spes amplius relicta videatur, statuit, ut posthac, etc."—Conc. Trident.] Sess. xxi. [Decret.] de Reform. cap. ix.—[Conc. tom. xiv. col. 851. E.]

liquido demonstravit, quod fecit Lutherus, justa ex causa fecisse, atque *occasionem* illi fuisse satis idoneam: quæ et inimicos ejus (quos initio non potuit) tandem tamen Suffragatores habuit. Qua una re primum bellum movit, qua una re ad extremum victor abiit. Neque vero ea *occasione de cœlo cecidit*, verum (ut videtur) cœlo militavit. *Abyssi puteum*
277 conclusit, ne pestilens ille fumus diutius posset ascendere, quibus sol atque aer tam diu obscurati. Bonifacius autem tertius Pontifex maximus, *universalis Episcopus, Stellam* magis refert, radios plures habet, majores, nisi valde caligent oculi Cardinali, Stellæ similior multo, quam *Frater Lutherus* Vitebergæ latens. Cedo quemvis arbitrum.

At cum bona Regis venia, Bonifacius (tertius) non se universalem Episcopum nominavit, sed a Phoca Imperatore sic appellatus est.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 153. [Op., tom. vii. col. 790. D.]

[Bonifacius se universalem Episcopum nominavit.]

Sed *Bonifacius se universalem Episcopum non nominavit, verum a Phoca Imperatore sic appellatus est.* Appellatus certe, sed *rogante Bonifacio*, ait Diaconus [v]: *obtinuit Bonifacius apud Phocam Principem*, ait Bibliothecarius [w]: *obtinuit magna contentione*, ait Platina [x]. *Egit is ab initio suæ administrationis cum Phoca: estque id ægre, nec sine multa contentione, Sedi Apostolicæ datum*, ait Sabellicus [y]. En quid jam egerit Cardinalis. Non assumpsit sibi nomen, non *appellavit ipse se;* nihil enim egisset, si *ipse se*, sine Phoca. (En quid nos dicere, quomodo loqui oporteat,) sed Phocam *rogavit, egit cum Phoca*, rogando et agendo obtinuit, *multa magnaque contentione, ægre tandem obtinuit*, ut posset ipse sic, ne posset alius, appellari: cum Phoca autem sanguinario, ut recte titulus is *Ager sanguinis* [z] dici meruerit. Vindicavit vero sibi nomen hoc, tanquam proprium atque suum: atque adeo *nominavit ipse se* eo, cum ita ambitiose *rogaret, ageret, contenderet* a Phoca, ut tanquam proprio, atque suo nomine vellet juberet eum, vetaret alium quempiam, nuncupari.

Quomodo S. Gregorius ab Eulogio [*leg.* Patriarcha] Alexandrino universalis Episcopus dictus est, ipso .... teste in Epistola ad Eulogium.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 153. [Op., tom. vii. col. 790. D.]

---

[v] [Paul. Warnf. Diac. de gestis Langob.] lib. iv. cap. 11. [37.—Bib. Max. Patr. tom. xiii. p. 182. E.]

[w] [Anast. Bibl.] in Bonif. III. [Conc. tom. v. col. 1615. A.]

[x] [Plat.] in Bonif. III. [in Vitis Pont. p. 83.]

[y] [Marc. Ant. Cocc. Sabell. Enn.] viii. [lib.] 6. [tom. ii. p. 396.]

[z] [Act. Apost. i. 19.]

Sed Gregorio titulus hic ab Eulogio Alexandrino datus est; sed numquid acceptus? Numquid non invito, atque ne tale quid fieret prohibenti, obtrusus? numquid non statim rejectus? Ecce ait ibi Gregorius, *In Præfatione Epistolæ, quam ad meipsum, qui prohibui, direxistis, superbæ appellationis verbum, universalem me Papam dicentes, imprimere curastis. Quod, peto, dulcissima mihi Sanctitas vestra ultra non faciat, quia vobis subtrahitur, quod aliis, plus quam ratio exigit, præbetur. . . . Nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. . . . Si enim Universalem me Papam vestra Sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur Universum. Sed absit hoc. Recedant verba, quæ vanitatem inflant, et caritatem vulnerant*[a]. Melius ergo siluisset de Gregorio Cardinalis, quam ut Titulum, (de quo ita *rogavit, egit, contendit, atque ægre tandem obtinuit a Phoca*, vix triennio post Gregorium mortuum) *superbæ appellationis verbum* Lector sciat: *in quo jacturam faciunt reliqui omnes honoris sui*, verbum quo *infletur vanitas, vulneretur caritas*, verbum, quod et Gregorius ante prohibuit, et de cætero jam deprecatur: quod ille Phocam rogasset nunquam, nunquam illi Phocas hoc titulo gratificatus fuisset; nunquam ille, de hoc obtento, Bonifacio, tanquam de bono facto, gratulatus esset. [Hic titulus rejectus a S. Greg. M.] 278

Quomodo etiam S. Leoni plus centum annis Gregorio antiquiori universalis Patriarchæ titulum Synodus Chalcedonensis obtulit, ut idem Gregorius in (eadem) Epistola testatur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 153. [Op., tom. vii. col. 790. D.]

Verum, *et Leoni plus centum annis, Gregorio antiquiori, in Chalcedonensi Synodo, titulus idem oblatus.* Gregorius ita narrat, *in eadem hac Epistola*[b]: ita in *priore illa*, qua titulum ipsum deprecatur. Etiam ex hoc agnoscet quis, eo sæculo, *Mysterium iniquitatis operatum esse*[c], cum cœptum deferri nomen hoc, etsi id in *Libelli* modo *supplicis Inscriptione*, vel *Epistolæ*, (ut est *supplicum* natio demissa semper plus satis, et titulorum prodiga.) Sed annon eadem Leoni mens, quæ [et a S. Leone.]

[a] [S. Greg. Mag.] lib. vii. Epist. xxx. [sec. vett. Editt.; lib. viii. Indict. i. Epist. xxx. Ben.—Op., tom. ii. col. 919. C. D.]

[b] ["Et quidem in sancta Chalcedonensi Synodo, atque post a subsequentibus Patribus hoc decessoribus meis oblatum vestra Sanctitas novit. Sed tamen nullus eorum uti hoc unquam vocabulo voluit; ut, dum in hoc mundo honorem Sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum custodirent suum."—S. Greg. Mag. lib. vii. Ep. xxx. sec. vett. Editt.; lib. viii. Ind. i. Ep. xxx. Ben.—Op., tom. ii. col. 919. D. E.]

[c] [2 Thess. ii. 7.]

Gregorio? Sed *nullus*, (inquit,) *decessorum meorum hoc tam profano vocabulo uti consensit*[d]. *Antichristum* quidem non facit *oblata superba hæc appellatio, profanum hoc vocabulum:* non: sed *rogatum*, sed *magna multaque contentione quæsitum.* Vincimus ergo hic (*cum bona Cardinalis venia,*) et, si Gregorium audimus, idem illud de Bonifacio dicet, atque iisdem verbis, quibus Rex, *In hac ejus superbia,* (qui titulum Universalis Episcopi ambiebat,) *quid aliud, nisi propinqua jam Antichristi esse tempora, designatur*[e]*?* Vel si vocem ipsam expetit *Præcursoris Antichristi*, audiat igitur, *Ego . . . fidenter dico, quia quisquis se Universalem Sacerdotem vocat,* (nec id solum, verum qui) *vel vocari desiderat,* (desideravit autem Bonifacius Tertius,) *in elatione sua Antichristum præcurrit*[f]. En, Gregorii judicio Bonifacius jam, *præcursor Antichristi.* Ut parum idoneus Testis hic Gregorius, nec opportuna satis illius mentio.

Bonifacium a Phoca petiisse, . . . ut Cyriacum . . . coerceret, qui titulum universalis Episcopi . . . indebite usurpabat. Sed neque ille, neque Successores hoc titulo usi sunt.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 153. [Op., tom. vii. col. 791. A.]

[Sed a Bonif. III. usurpatus.] Illud quoque a Cardinale minus hic vere dicitur, actum id modo a Bonifacio, *ut Cyriacum coerceret, nomen illud* Universalis Episcopi *indebite usurpantem.* Actum id quidem a Gregorio cum Mauritio: ne cuiquam, ne vel sibi, uti eo liceret[g]. An ita Bonifacius? Non; sed detractum Cyriaco, *rogavit, egit, contendit, magnopere contendit,* ipse ut sibi obtineret a Phoca: et *ægre obtinuit,* non, ne Cyriacus, aliusve quispiam, vel ipse, (quod fecisset Gregorius:) sed, ne *alius* quis, quam *ipse,* post illud usurparet[h].

Servos se potius servorum Dei . . . nominantes.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 154. [Op., tom. vii. col. 791. A.]

At scripsit se *Servum Servorum Dei* Bonifacius, exemplo
279 Gregorii; *Universalem Episcopum* non scripsit. Sed neque
[Pontifices se servos servorum] successores ejus ita se scribunt. Fucus merus. Non scribunt; sed quoties legunt? Ni legant, futuri mox in fer-

[d] [S. Greg. Mag.] lib. iv. [Ep.] xxxvi. [sec. vett. Editt.; lib. v. Ind. xiii. Ep. xliii. Ben. Op., tom. ii. col. 771. C.]
[e] [S. Greg. Mag.] lib. iv. [Ep.] xxxiv. [sec. vett. Editt.; lib. v. Ind. xiii. Ep. xxi. Ben. Op., tom. ii. col. 751. C.]
[f] [S. Greg. Mag.] lib. vi. [Ep.] xxx. [sec. vett. Editt.; lib. vii. Ind. xv. Ep. xxxiii. Ben. Op., tom. ii. col. 881. D.]
[g] [Vide infr. not. j.]
[h] [Vide supra, p. 384.]

mento toti. Ecquando autem renituntur, excludunt? Ecquem rogant (ut Eulogium Gregorius) deinceps, ut *ab hoc titulo abstineat?* Non *ore* quidem, sed *aure*, usurpare amant. Ipsi quidem se *stylo Gregorii*, at alii ipsos *stylo Bonifacii*. Nec ipsi se sic *nuncupant*, sed *volunt* tamen sic *nuncupari*. *Servus* dici vult *Pontifex*, *Dominus* esse: dici *a se servus*: *ab aliis* audire *Dominus*. Non *ipse se sic nominare*; tu tamen cave illum alio appelles nomine. *Delatum* accipit cupide; *negatum* exigit acerbe. Pessimum vero fuci genus; quo, qui maxime superbi sunt, id agunt tamen, ut *infra Servorum* servos (scilicet) humiles esse videantur. Phocas titulum indulsit, indultum a Phoca Clerus omnis observat, sine eo salutat nemo, sine *Inscriptione* hac liber non fit, nec *sumit* tamen sibi *titulum* Pontifex; Non. Vis illi fit, manifesto opprimitur, mallet se dici *Servorum servum*, sed ita infelix est, ut ab aliis invitus, quo nollet nomine, compelletur. Ridiculum. Quæro enim, si non *assumit*, si uti nolit hoc titulo Pontifex, cur ita in *Pontificem* injurius Cardinalis in *Controversiis*, fatiget se, fatiget lectorem, dum id longis logis satagit probare, *Universalis Episcopi* titulum hunc ad *Pontificem spectare*, etiam *jure divino*[1]? *Jure* enim *divino* si spectet, peccet, nisi *assumat* ut suum, nisi *utatur* ut suo. Quæro iterum, ecquid non admotus igni caleret plus satis, qui coram *Inquisitionis Collegio* de titulo hoc non affirmaret. Vult hoc dicere Cardinalis. Nomen hoc *Universalis Episcopi* Pontificis proprium esse, idque ex dono Phocæ, etiam *divini juris* decreto (atque hoc qui neget, audiat *hæreticus*, ardeat, ut hæreticus), cum se tamen *Servum servorum* præscribat *Bullis* suis, procul abesse, ut *assumat* sibi nomen illud. Sed nec Phocæ tamen liberalitati renuntiet, sed patiatur, (nescio quo modo) se eo nomine ab aliis appellari. Quid agat? Exueret, sed Cardinalis non sinit. Antichristum mavult, quam non universalem.

[scribunt, universales Episcopi nuncupari volunt.]

Bonifacius III. nullum sibi regnum erexit, cum nulla in re a majorum suorum humilitate recesserit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 154. [Op., tom. vii. col. 791. A.]

Verum *nullum inde sibi regnum erexit*. Imo si Gregorio credimus, *Honori se per illud Imperii superposuit*[1]. *Nulla in*

[Bonif. III. regnum sibi erexit.

[1] [Vide Bell. de Rom. Pont. lib. ii. cap. 31. Op., tom. i. p. 183. E.]

[1] ["Ille coercendus est, qui sanctæ universali Ecclesiæ injuriam facit, qui corde tumet, qui gaudere de nomine singularitatis appetit, qui honori quoque imperii vestri se per privatum vocabulum superposuit."—S. Greg. M.]

re a Majorum suorum humilitate recessit. Recessit vero a Leonis, a Gregorii, Majorum suorum humilitate, dum tanta *contentione ageret,* ut *obtinere* posset nomen illud, quod Leo
280 tanquam *vocabulum profanum*[k], Gregorius tanquam *superbam appellationem*[l] procul a se habuit, oblatum uterque, ille a Chalcedonensi Synodo (ut ait), hic ab Eulogio detrectavit.

Neque munus suum Ecclesiasticum deseruit, cum in brevissimo illo spatio [octo mensium], quo sedit, ... multa instituit [instituerit], quæ ad Cleri reformationem pertinere visa sunt.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 154. [Op., tom. vii. col. 791. A.]

[multa quanquam in Clero reformando effecit.]

Sed *brevi quo sedit spatio, ad Cleri reformationem multa instituit.* Quæ tamen nulli jam rei sunt. Nam utrumque quod sancivit ibi Decretum, abolitum jam Sabellicus[m] auctor est. Sed quid tum, si legem unam aut alteram, salubrem vel celebrem instituit? Annon is tyrannis mos est, ubi per malas artes principatum occuparunt, quo facti invidiam minuant, civium sibi animos æquiores reddant, viri boni, principes boni futuri videantur, leges ferre, quas merito etiam posteri laudent? Vel hoc discat quis, ex historia nostra, in qua, cum Ricardus tertius, qui per vim hic, et nepotum suorum cædem, invasit imperium, et quo nequior nemo inter tyrannos, nemo crudelior; triennio tamen, quo rerum potitus est, leges tam et multas et bonas sanxerit, ut habita quidem tam non longi temporis ratione, nemo Regum nostrorum plures, nemo meliores. Nec hoc quidem igitur, quod decreta edidit non mala, nec quicquid præterea dixit Cardinalis pro Bonifacio suo, quicquam obstant, quo minus credamus de eo, qui nomen illud *Universalis* desideravit et rogavit, *Antichristi Præcursorem* fuisse.

Ad hæc omnia facillima .... responsio est, Regem vehementer falli.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 155. [Op., tom. vii. col. 791. D.]

---

lib. iv. [Ep.] xxxii. [sec. vett. Editt.; lib. v. Ind. xiii. Ep. xx. Ben. Op., tom. ii. col. 749. B.]

[k] [Vide supra, p. 386. not. [d].]

[l] [Vide supra, p. 385. not. [e].]

[m] ["Idem auctor fuit, ut celebri antistitum conventu, quem Romæ habuit, sit decretum, ne a pontificis interitu prius triduo quisquam in demortui locum crearetur, injunxitque anathematis pœnam, si quis decretum abolevisset, ut eodem crimine teneretur, qui ad pontificatum, aliamve ecclesiasticam dignitatem, sibi gratia aut largitione aditum fecisset; ut urbium antistites a populo et clero legerentur, ac tum demum id ratum haberetur, si quem illi legissent, princeps civitatis probasset, Pontifex maximus suam auctoritatem adjecisset, tantum effatus, 'Volumus et jubemus.' Sed utrumque decretum est abolitum."—Marc. Ant. Cocc. Sabell.] Ennead. viii. lib. 6. [tom. ii. p. 397.]

Ad, quæ ibi mox sequitur, bene longam Ecclesiæ Romanæ accusationem, *de cultu Dæmonum, idolorum*, cæterisque eo loco flagitiis, *facile* se dicit *responsum* adhibere. Et quidem *facile*. Nam quid *facilius*, quam negare simul omnia? *Responsum* autem laudari non solet, nisi et *responsi* ratio, eaque non a *facilitate* laudari, sed a *soliditate*. [Accusationes refutandæ sunt, non tantum negandæ.]

Conveniunt interpretes, ... verba illa nihil aliud significare nisi cum Antichristo perituros, ... non tantum Christianos, ... sed etiam Paganos.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 155. [Op., tom. vii. col. 791. D.]

Quid vero *soliditatis* habet, ut tota narratio prior sit de *Ecclesia*, (Antichristi tempore,) in *cæteris istis*, de illis agatur, qui nihil ad Antichristum? Mitto quod, etsi auctores hic non paucos, intra *annos* tamen *quingentos* nullum protulit. Egit quod agendum S. Joannes. Nihil autem hoc ad illius institutum, quid *Paganis* fieret, quibus nemo nescit quid futurum sit. Agendum illi erat de Antichristi sectatoribus, non de toto humano genere; et quid *Christianis* fiat, non *Paganis*. At quæ hæc cohærentia? ut ab *Antichristi Asseclis* dilabatur subito ad totum humanum genus? Quid illi, et humano generi? Numquid non de iis, quæ Ecclesiæ obventura, sed generi humano, Apocalypsis data est? *Tertia pars* 281 *hominum illorum occidetur*[n], dictum prius. *Cæteri*, id est, (duæ reliquæ impiorum partes) *non occidentur*, pœnitentiam tamen non agent. Non agent pœnitentiam impiæ vitæ, quam ex impia Antichristi doctrina hauserant. Priores illi, atque hi *Cæteri*, iisdem artibus decepti, eodem fumo cæcati, ab iisdem locustis vexati, iisdem plane erroribus ab Antichristo fascinati; sed priores illi occisi pœnitentiam agere non potuerunt; *Cæteri hi*, etsi non occisi, pœnitentiam tamen agere noluerunt. Mittat interpretes: quorum in multis, novissimi sequuntur primos. Expendat responsum suum Cardinalis ad contextum ipsum; impeditum sentiet. [Quinam apud Apoc. ix. Dæmones colere dicuntur.]

Quomodo potest fieri, ut doctrina Antichristi sit colere Dæmones, et idola, ... cum de illo scribat Daniel c. xi. 'Antichristum adversus omnes Deos pugnaturum,' ut ipse solus (Deus) habeatur?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 155. [Op., tom. vii. col. 792. A.]

Non potest hæc Antichristi doctrina esse, ait Cardinalis, *ut Dæmonem quis, ut idola colat.* Dæmonem enim ipse vel Idolum culturus non est. Lege hoc vel apud Danielem, *adversus omnes Deos pugnabit.* Quodsi quis Cardinali non dederit, [Utrum Antichristus idola sit culturus.]

[n] [Apoc.] C. ix. 15. 18.

Dan. XI. *de Antichristo* agi, sed de Antiocho; haud ex eo (credo) in jus vocandus foret. Pererius de Antiocho posse concedit intelligi[o], reliqui debere. Sed demus hæc tamen illi; fuerit Antichristus: *Deum* ergo *Maozim in loco suo venerabitur* Antichristus. Eum versum Glossa vestra Interlinearis intelligit de *Diabolo*, quem *Antichristus* ut *fortem et potentem Deum colet*[p]. Historia autem Scholastica sic: *Antichristus vero Diabolum, ut Deum roboris et potentiæ suæ auctorem, venerabitur*[q]. *Colet enim Diabolum in Deum*, Abbas Joachim[r]. *'Maozim;' sic enim vocatur Dæmon ejus privatus, Dæmonem enim privatum, quem habebit, occulte adorabit*, Lyra[s]. *Antichristus enim Diabolum quasi Deum et Præsidem suum adorabit*, Hugo[t]. *Ac hi quidem, Diabolum.* Ac quod clam et *occulte culturus Diabolum* sit *Antichristus, more Magorum*, præter alios Bellarmino olim placuit[u], quod Cardinali jam (spero) non displicebit. Nam, quod ibi elevetur Antichristus adversus omnem Deum, nec quenquam curet; id eum sensum habeat necesse est, adversus *verum Deum*, adversus quos verus Deus *vere Deos* dixit, (Reges nempe et Principes;) quando idola non curare, contra Deos falsos elevari, id cuiquam vitio verti non debeat. At Pontifex haberi *Deus* et olim voluit, (notus in Glossa locus, *Dominus Deus noster Papa*[v], cujus jam tandem pudere incipit bonum Eudæmonem[w]) et jam vult. Nihil enim aliud sapiunt nuperæ istæ, *Divinitatis*
282 et *Omnipotentiæ Pontificiæ, Pontificis Opt. Maximi*[x], Pontifici datæ acceptæque *Inscriptiones.*

[o] [Vide Bened. Pererii Comm. in Dan. lib. xiv. p. 871. Lugd. 1591.]

[p] ["*Maozim.* Diabolum, vel, seipsum quem prædicabit esse Deum." Gloss. Interlin. in Dan. xi. apud Bib. Sacra, tom. iv. coll. 1659.]

[q] ["Antichristus vero diabolum Deum et præsidem suum venerabitur." — Petr. Comest. Hist. Scholast. cap. xii. in Dan. sign. x. 4. col. 3. Argentinæ, 1503.]

[r] [Abb. Joachim. in lib. Concordiæ N. ac V. Test. lib. v. p. 132. Venet. 1519.]

[s] ["Maozim interpretatur præsidium, sic enim vocabitur dæmon ejus privatus . . . Vel aliter, Præsidium dicitur locus construendus ab Antichristo, ubi colet illum Dæmonem occulte."—Nic. Lyran. in Dan. xi. apud Bibl. Sacra, tom. iv. col. 1660. F. Lugd. 1589.]

[t] [Hugo Cardin. in Dan. xi. Postill. Par. iv. fol. cclxxx. Paris. 1533.]

[u] [Bell. de Rom. Pont.] lib. iii. [cap.] 14. [Op., tom. i. p. 197. A.]

[v] ["Credere Dominum *Deum* nostrum Papam, conditorem dictæ decret. et istius, sic non potuisse statuere, prout statuit, hæreticum censeretur." —Extrav. Joan. xxii. Tit. xiv. 'De verborum significatione.' cap. iv. 'Cum inter,' in Glossa. Ita habetur in antiquioribus Editt. (ut Paris. 1561); in posterioribus vero (ut Lugd. 1624 et 1671) verbum 'Deum' omittitur.]

[w] [Vide Andr. Eudæm. Joann. Cydon. adv. Abbat. lib. i. cap. 9. pp. 82. seq.; et Apolog. pro R. P. Henrico Garneto, cap. v. sect. iv. p. 138. Col. Agr. 1610.]

[x] D. Marta [in dedicat. Tractat. de Jurisd. ad Paul. V.]

Respondet .... (Vasquez) 'non esse habendum idololatram, sed illusum, si existimaverit enim, qui sibi apparuerit, vere esse Christum, et solum Christum adorare intenderit, et invincibiliter ignoraverit sub illa imagine Dæmonem latere.' Hoccine est docere Dæmonis cultum?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 156. [Op., tom. vii. col. 792. A B.]

[Quid de idololatria senserit Vasquez.]

Illudit autem lectori Cardinalis, dum *illusum* a. Vasque hominem dicit haberi, qui speciem Crucifixi adoraverit, sub qua Dæmon delitescit. Dicit enim, *ignoratione, eo casu, excusari non posse, qui adoret, sed alio tamen multo faciliore modo*[y]. Et concludit; *Sic ergo, non est necessaria ignoratio, ut ab idololatriæ crimine ille excusetur, qui [in radio illo luminis, vel] in specie Crucifixi, sub qua Dæmon delitescit, Deum adorat. Quare, nec conditionem expresse addere oportet, ut recte et legitime adoratio fiat*[z]*, nempe, Si es verus Deus, te adoro*[a]*. Signum enim exterius fertur in id, in quod tendit affectus*[b]*, affectus sequitur apprehensionem. Si ergo ille Deum ibi apprehendit, non Dæmonem, affectus ejus circa Deum, non circa Dæmonem versaretur*[c]*. Jam affectus dirigit omne opus exterioris adorationis, talisque virtutis est, ut, per quamlibet rem mundi, illud exterius signum in Deum ipsum transferre et dirigere possit*[d]. Notum enim, Vasquem in ea hæresi esse, *ut in brutis animantibus, et rebus sordidis, et in qualibet re mundi, nihil obsit, quo minus Deum ipsum adorare,* addo *et eas ipsas adorare*[e] liceat. Speciem hoc quidem superstitionis habere, ut publice fieri non debeat, at ex natura sua fieri licere; dum *clam* fiat et *occulte*. Quin præscripsit Capiti Titulum. *Verior sententia: Res omnes inanimas et irrationales rite adorari posse*[f]. Quodsi inanimas, ratione præditas magis adhuc. Quis hæc nescit? ut mirum sit *illusum* esse Cardinali tantæ opinionis in literis, aut si non illi, illum Lectori hic *illudere* voluisse. Ex libro enim, ex loco inspecto scias facile, dum recta modo intentio in Deum feratur, a sciente et prudente posse Dæmonem adorari.

Satis . . [constat imagines Sanctorum, neque esse idola, neque adorari, ut Deos.] Homicidia, veneficia, fornicationes, et furta, non negamus apud

---

[y] [Vasquez de Adorat.] lib. iii. Disp. i. cap. 5. [sect. 33. fol. 191. a. Complut. 1594.]

[z] [Ibid. sect. 34. fol. 191. b.]

[a] [Hæc conditio antea exprimitur. sect. 30. fol. 190. b.]

[b] ["De signo exteriori probatur, quia signum in idipsum fertur, in quod tendit actus submissionis." — Ibid. sect. 33. fol. 191. b.]

[c] [Ibid. antea.]

[d] [Ibid. antea.]

[e] [Ibid.] lib. iii. Disp. i. cap. 2. [sect. 11. fol. 185. a.]

[f] [Ibid. cap. 2. in tit. fol. 183. a.]

Catholicos inveniri, sed ..... ut injusta .... prohiberi, et puniri.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 156. [Op., tom. vii. col. 792. B. C.]

[De homicidiis aliisque sceleribus apud Romanenses.]

Imagines quidem *Sanctorum satis constat idola non esse,* sed adorando, et adolendo, (quod olim æneo serpenti factum, quod a vobis quotidie fit) a vobis *idola* fieri. *Fieri* jam *apud Catholicos suos homicidia, fornicationes, furta,* fatetur, negat *probari.* Nos etiam *probari* dicimus. Hoc est enim *probari,* propter conscientiam *admitti,* nec *homicidiis* modo, etiam *Regum, Principumque Parricidiis,* prætexi *conscientiam, officium, meritum.* Principis Auraici bis, primo frustra tentata cædes[g], secundo perpetrata[h]. Uterque, tam qui vulneravit, quam qui trucidavit, quod fecit, *officii conscientiæque* causa factum a se, vel ad mortem usque contestati sunt. Alter
283 vero, ita fascinis vestris dementatus, ut statim peracta actione tam sancta, invisibilem se continuo fore, misero persuasum fuerit. Annon *probata* vobis, defensa vobis *laniena Parisiensis?* Annon ubi designata, Pontifex ei gratulatus[i]? Quid illud hic nuper apud nos infandum scelus, qui ejus rei, qui conscii omnes, nonne fassi, a *Confessariis* suis *probatum* parricidium illud? nonne *conscientiæ* nexu teneri se, ut effectum darent? Galliæ Regem Henricum Tertium qui sustulit Monachus, nonne rem sciscitatus a Theologis? nonne cum responso dimissus, *jure* id fieri posse[k]: Nonne de eo facto in libris literisque vestris *laudatus?* Nec alia re motus, quam, ne *conscientiæ* suæ deesset, (e libris vestris informatæ,) ultimus iste, teterrimus, et qui omnem immanitatem superavit Sicarius, Regis bello, et pace maximi Henrici Quarti, percussor[l]. Nam quid aliud sibi volunt publica pyra exusti Marianæ libri? quid aliud Censura de iis Sorbonæ, quod *hæreseωs,* Curiæ Parisiensis, quod *læsæ Majestatis* damnandi sint[m]? Non modo *fieri* apud vos cædes docent hæc, sed fieri vobis *hortantibus,* factas autem *approbantibus.*

[g] [Thuan. Hist. lib. lxxv. cap. 13. tom. iv. p. 68.]

[h] [Thuan. Hist. lib. lxxix. cap. 17. tom. iv. pp. 212, 213.]

[i] [Thuan. Hist. lib. liii. cap. 4. ad ann. 1572. tom. iii. p. 152.]

[k] [Thuan. Hist. lib. xcvi. cap. 8. tom. iv. p. 762.]

[l] [Ravaillacus, sc., qui paulo ante (P. xiv. sc. die Maii) Regem percusserat.]

[m] [Vide libellum, cui titulus, 'Arrest de la Cour de Parlement, ensemble la Censure de la Sorbonne, contre le livre de Jean Mariana, intitule *De Regis* (sic) *et Rege* (sic) *Institutione.* 1610.']

Invocatio divini nominis, et benedictio Sacerdotalis, qua cerei Agni consecrantur, veneficiis tribui non possunt, nisi Deus habeatur pro Diabolo. Illa enim veneficia sunt, quæ ex invocatione Diaboli . . . fiunt [*leg.* vim suam habent.]—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 156. [Op., tom. vii. col. 792. C.D.]

[De veneficiis.]

Veneficia nonne ea lege permissa, a vobis, dum *veste* modo vel *sella* venenis delibuta, confici res possit[n]? Quas vero, quasi Magicas incantationes negat, ex eo quod *nomen* ibi *divinum* adhibeatur, quis non rideat? Nec enim, qui tam multæ lectionis est, potest non legisse, nullos a Magis fascinos absque illo nomine, nulla maleficia fieri. Ubi evocandus alicui Dæmon, oportet circulo inscribi septem Dei nomina. Adhibendus in actu ipso Sacerdos quispiam, et puer impubes, et socius (quem appellant,) qui nisi adhibeantur, nihil fit. Potuit hæc in *Malleo* suo legisse: potuit ex *Actis Curiarum*, in quibus sententiæ feruntur in Maleficos. Comperta hæc Regi omnia, qui ipse a fascinis illorum, et conjurationibus, Dei virtute salvus evasit. Et, quæ in illo tum numero princeps fuit venefica, cum sceleris sui pœnitens inprimis moreretur, id fassa, nunquam se in domum ingressam esse, cui rem malam esset meditata, quin exorsa sit semper maleficium suum ab his verbis, *Sit in domo hac Deus meus*, adeo illi a Dei nomine non abhorrent: Ut possit ergo esse in *Cereis* vestris *Magia* quædam, non obstante quicquam *Dei nomine*. Non id enim ibi agitur, ut *Deus habeatur pro Diabolo;* id potius, ut *Diabolus* habeatur *pro Deo*.

Qui autem miracula, quæ per indusia cæterasque reliquias fiunt, damnat, damnare etiam debet miracula, quæ .... [fiebant] per sudaria, et semicinctia S. Pauli, Act. xix. et quæ .... per reliquias S. Stephani teste Augustino, de Civ. Dei, [lib.] xxii. [cap.] 8.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 157. [Op., tom. vii. col. 792. D.] 284

[De fictis eorum miraculis.]

Nam de *indusiis*, nimis nota res. Vestros, cum in prælio nuper Neoportuensi fusi profligatique occubuissent, et ad sepulturam exuerentur, plerosque indusiis ejusmodi indutos repertos esse, et vix quenquam sine *Agno Dei, et granis benedictis* (in quibus *Cruces* essent, et *Characteres*), nullam tamen, ex iis, *miraculosam* aut *salutarem* vim persensisse. Sed argumento tamen fuit, non infrequens hoc esse, apud vos: argumento etiam, etsi non infrequens sit, frustra tamen sic non infrequens esse, nec *consecrationi* semper *miraculum*

[n] [Vide Marian. de Rege et Regis Institutione, lib. i. cap. 7. p. 67.]

respondere. Debebant vero, ut exemplum prototypo responderet, ut a Pauli, itidem a *Pontificis* corpore *sudaria*, et *semicinctia* deferri ad hos languidos; quod tamen non fit, et si fieret, non creditur recessurus a quoquam languor, vel malus spiritus egressurus. Neque vero (utcunque primis temporibus Paulo hæc, et Petro, facta credimus, ut fides ex iis fieret muneri eorum Apostolico) eadem ista factitare jubetur Pontifex, in *Cereis* et *Granis*, et *Agnis Dei*. Sed neque reponi jubebantur *semicinctia* in capsis argenteis: non magis illa, quam Petri umbra inclusa uspiam in theca, ut Reliquiarum loco esse possent. Et illa, quæ legit ibi in Capite illo, apud Augustinum, miracula: videat, an concinne satis conciliare possit cum Augustino ipso, qui *nusquam hic in Africa talia fieri scire se*, dixit *Clero* suo, et *Universæ Plebi Hipponensi*[o]: minus caute id, si tam *frequentia* fiebant. Quanquam, alia omnino ratio est, de *Reliquiis Sanctorum*; alia de *Cereis* et *Agnis Dei*, et de *Reliquiis* (dicam, an *Quisquiliis*) *Paparum*.

Non posse reprehendi .... instituta (Monachorum), nisi reprehendant[ur] Patres omnes primorum quingentorum annorum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 157. [Op., tom. vii. coll. 792. D. 793. A.]

[De Monachis.] Nec *instituta Monachorum* animus Regi fuit *reprehendere*, sed *Monachos*, qui diu jam prorsus recesserunt ab *instituto*. Quare *otiosos Monachos* dixit, epitheto, illis, quarto modo proprio. Nam, ut *Pontifices* jam, primis *Romæ Episcopis*: *Cardinales* hodierni, antiquis in urbe *Parochis*: ita *Monachi*, priscis illis, plane dissimiles. Hi enim *Locustæ*: illi *agricolæ*: nec liber jam scribi posset, nisi de *otio*, nullus, (ut olim Augustino) *de opere Monachorum*[p]. Postquam *Pontifex* in *Bestiam*, et *hi* in *Locustas* degenerarunt: apud quos nimium vere, nimium sæpe, desidia in luxuriam despumavit. Qui, ut maxime fuerint apud Patres, (quod nemo negat) tamen et Agapæ apud illos fuerunt, et Vigiliæ, ut et apud vos nuper *Quæstores Indulgentiarii*, qui tamen sublati jam

[o] ["Numquid non et Africa sanctorum martyrum corporibus plena est? et tamen nusquam hic scimus talia fieri."—S. Aug.] Ep. cxxxvii. [sec. vett. Editt.; Ep. lxxviii. Ben. §. 3. Op., tom. ii. col. 275. C. Hæc autem Epistola A.D. 404. scripta est, reliquiæ vero S. Stephani non ante A.D. 415. inventæ, et in Africam demum post quadriennium allatæ. Vide S. Aug. de Civit. Dei, lib. xxii. cap. viii. §§. 20. seq. Op., tom. vii. col. 1068 seq. et Serm. cccxviii.—cccxxiv. Op., tom. v. col. 1873 seq.]

[p] [Vide S. Aug. Op., tom. vi.]

sunt: ut et illi apud nos (postquam in abusum merum abiit eorum *institutum*) ex eadem causa merito etiam antiquari potuerint: *Positivi* enim juris sunt Monachi, non *divini*. Ad idem ipsum exemplum, quo Quæstorum apud vos, Monachorum hic *malitia, ita quotidie magno fidelium omnium scandalo et querela excrescere deprehensa est, ut de illorum emendatione spes nulla relicta videretur.* Proinde lege cautum, *ut posthac eorum nomen atque usus penitus aboleretur* [q]. 285

De cumulandis opibus per artificium Jubilæorum, et indulgentiarum .... plus fidei habuisse (Regem) calumniis Lutheri et similium Novatorum, quam .... veritati. Hoc certe tempore si eleemosynæ faciendæ præscribantur iis, quibus Indulgentiæ conceduntur, in arbitrio singulorum relinquitur, ut quibus egenis libeat eleemosynas faciant.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 157. [Op., tom. vii. col. 798. A. B.]

[De Indulgentiis.]

Jam, *indulgentias* inter turpilucria Pontificum, inter gravamina nationum, multis jam sæculis fuisse, cur credat Luthero Rex, vel *Novitiis* inter Historicos? Habent hoc Monachi veteres, vestri, Parisiensis [r], Urspergensis [s], quæstum eum Pontifici multo fuisse uberrimum. His artibus expilata Regna passim, Romam auro onustam, atque opibus. Sed hæc illo tempore. Nam *hoc, jubentur, qui indulgentiarum participes fiunt, eleemosynas facere in egenos.* Egenum vero hoc et nudum responsum, quod hic infert de *egenis*. Nam, quis ex *collata in egenos Eleemosyna,* Clericos unquam putavit ditiores? Alia quidem *Eleemosynarum,* alia *Indulgentiarum* ratio. Dantur *Eleemosynæ;* taxantur, ad taxam venduntur *Indulgentiæ.* Non ipsæ quidem: qui possunt cœlestes thesauri? Quod fit, ex alio capite fit, quod eodem redit. Taxa autem exstabat non ita pridem. Etiam hæc poetis diu materia fuit, etiam *Leoninis versibus* celebrata [t]. Nihilne vero accessit ad *Cameram Apostolicam,* ex indultis *Indulgentiis?* At, quæ ad sarcienda, tegenda Monasteriorum, vel Ecclesiarum ruta cæsa concessæ Indulgentiæ, non in Ecclesiis et Monasteriis illis *venales* palam et pretio redemptæ? Ubi frons? ubi collapsum *Monasterium* aliquod, ubi pars Ecclesiæ caduca; itur Romam, inde deferuntur *Indulgentiæ,* quibus ad

[q] [Conc.] Trident. [Sess.] xxi. [Decret. de Reform.] cap. ix. [Conc. tom. xiv. col. 851. E.]

[r] [Avaritiam Pontificum perstringit, Matth. Paris. Hist. Maj. pp. 633, 700, 847, 848.]

[s] [Vide Conrad. Ursperg. Chron. p. 307. Basil. 1559.]

[t] [Vide Chemnit. Exam. Conc. Trid. par. iv. p. 78.]

opus illud frigescens plebis devotio non nihil recalfiat. Illæ vero *gratis* non accipiuntur Romæ, domi *gratis* non dantur. Quoties autem interceptæ in classe Indica *Indulgentiarum sarcinæ*, pro quibus pretium ibi Hispanis coguntur pendere? Nam *Jubilæi*, cui tandem rei inventi, nisi ut Romæ concursus populorum fiat, atque inde Urbi sit melius? *Centesimo* primum[u]: *Quinquagesimo* post[v]: demum *vicesimo quinto* anno[w], recurrunt. Jam vero spissius adhuc, quam pridem[x]. Quorsum autem hoc? ut terantur, quæ sine impensa nunquam teruntur, *Apostolorum* limina. Narret ista cæcis Cardinalis;
286 oculos jam Orbis recepit, imponi sibi diutius non sinit. Scit, et quanti, et quibus veneant *Indulgentiæ* S. P. Q. R. *Stulto* (nempe) *Populo Quærenti Romam*[y].

Ex ... cap. xiii. ... nos multo facilius ... demonstramus Antichristum nondum venisse. Quando enim Antichristus venerit, notissima erunt omnia, ... quæ nunc ita sunt obscura, ut conjecturis et divinatione sit opus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 158. [Op., tom. vii. col. 793. C.]

[Visio tertia (Apoc. xiii.) est obscura.] In Visione tertia cap. xiii°. multum sibi facessit negotii, ut doceat *nondum venisse Antichristum*, doceat autem inde, quod *obscura* etiamnum sint, quæ de eo ibi ponuntur. Et nos *obscura* fuisse damus, quædam vero, et esse jam; quæ (scilicet) nondum impleta. Nondum enim completa bona eorum pars. Nec enim instar fulguris venturus ibi prædicitur, sed paulatim, et (vel Apostoli jam sæculo) operante mysterio, nec dum plane operato, ut nempe cani surrepunt capiti, ut tritico succreverunt zizania. Nec momento emicuit, nec momento adeo revelatus est; et revelatio ejus in tempus est, et fortasse tempora. Nondum ergo clara, quæ nondum completa: quæ vero completa, nobis quidem, nec nobis solum, aliis quoque multis, non *obscura* jam: præterquam quibus *Deus mundi hujus velamen posuit super cor*[z], ut luci occludant oculos, et videre nolint, quos nollent vidisse, seipsos (scilicet) nimium affines Antichristo.

[u] [Vide Bullam vii. Bonif. VIII. 'Antiquorum.'—Bullar. Rom. tom. i. p. 179. a.; et Extrav. Comm. lib. v. 'De pœnit. et remiss.' Cap. i. coll. 344–351. apud Corp. Jur. Can., tom. iii.]

[v] [Vide Clement. VI. ibid. cap. ii. coll. 352–354.]

[w] [Vide Bull. vii. Pauli II. 'Ineffabilis.'—Bullar. Rom. tom. i. pp. 385, 386.]

[x] [Anno scil. 1600. juxta Bullam lviii. Clementis VIII. (Bull. Rom. tom. iii. pp. 82–85.) et A.D. 1605. juxta Bullam i. Pauli V. (ibid. pp. 195–197.)]

[y] [Vide Orat. Ed. Coqui apud Action. in Henr. Garnetum, p. 36.]

[z] [2 Cor. iv. 4.]

Communia expositio Catholicorum veterum est, Per Draconem intelligi Diabolum: per priorem bestiam, universitatem impiorum: per caput hujus bestiæ occisum et reviviscens, Antichristum . . . .: per posteriorem bestiam prædicatores et Apostolos Antichristi. . . . . De Charactere et numero nominis rem fore abditam, et incognitam, donec Antichristus appareat.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 158. [Op., tom. vii. col. 793. C. D.]

Post agit interpretem. Et *in Dracone Diabolum intelligi jubet, in priore Bestia universitatem impiorum, in capite occiso et reviviscente Antichristum: in posteriore Bestia Apostolos Antichristi.* Nam de *charactere* (ut videtur) non liquet. Videamus jam, quid huic Expositioni Cardinalis, et quid nostræ Regis, intersit. Non ita multum discrepantes reperiet Lector, quin, si Cardinalis hanc admittat, Regiam rejicere non possit. Convenit *in Dracone Diabolum* intelligi. Quid enim non conveniat hoc inter Christianos? Expresse id dicitur in *Capite* antecedente, *Dracone Diabolum* designari. *Bestiam septicipitem* poni vult *pro universitate impiorum*[a]. Nec multum Rex abnuit, addidit modo, cum esset tum *universitas* illa sub *Romano Imperio,* recte in *universitate* illa Romam exprimi. Per *septem Capita* (unico illo excepto, de quo minus convenit), sex reliquis *sex,* quæ in Roma præcesserant, (Roma etiam *Ethnica*) *regiminis formas* indicari. Pressius autem hoc, et magis ad naturam *Visionis,* quam siquis sic indefinite atque indistincte capiat, pro *impiorum colluvie.* Hoc nobis indicium fecit *Bestia* apud Danielem non dissimilis, a quo Joannes formulas loquendi non obscure mutuatur. Illam vero apud Danielem *Pardo similem Bestiam,* cui *pedes* 287
ursi, os Leonis, nemo (quod sciam) interpres aliter, quam de *Monarchia* aliqua, interpretatus est unquam. Non autem quisquam ita crude, ut *impiorum* nescio quam *universitatem* denotaret. Unde Joannes loquendi, inde desumpsit Rex interpretandi formulas suas, operam in eo suam æquo cuivis lectori probaturus. *Caput, quod occisum primo, curatum est denuo,* Regi est, est et Cardinali, Antichristus. Unum modo discrimen. Fabulam enim hic occipit Cardinalis, et figmentum merum, de *ficta* morte *Antichristi, ficta* resurrectione. Quis tandem hoc illi expedivit? Quis expedire potuit? *Prophetarum* opus hoc, non *Patrum.* Nec enim tot ante *centenariis* quam nasceretur, mortalium quis *vaticinari* potuit: nec cum natus jam est, arte ulla vel *Astrologi* prædicere,

[Quomodo exponenda.]

[a] [Vide infra, p. 408.]

(non vel Avus Cardinalis Ricardus [b]) non dico quid *facturus*, certe quidem non quid *ficturus Antichristus*. Plaga vero ibi *sanatur*. Non *sanatur* autem plaga, nisi *seria: simulatam* sanari nihil opus. Favebit *æquivocationi* (ut videtur) *Antichristus, æquivoca* hac *plaga* sua, *æquivoca sanitate*. Nos qui istis non assuevimus, Joannem hic narrare credimus, quæ facturus sit, non *ficturus Antichristus*. Quanto hic Rex rectius? *Caput* illud, *Roma, Romæ Imperium*, quod modo non extinctum, graviter quidem afflictum a Gotthis et Vandalis, *curata* tamen *plaga* ejus, vires pene pristinas post recepit, cum exsurgeret de novo, et grandesceret in serie *Paparum Romanus Antichristus*. Ibi *Caput*, ibi plaga Capitis, plaga lethalis: ibi plagæ cura, *vera, seria*. Hoc siquis ad *Universitatem* Cardinalis quadrare faciat, jejunus sit.

Posteriore vero *Bestia* adumbrari vult *Prædicatores Antichristi*. Idem et Regi videtur. *Clerum* enim ibi *Romanum* intelligi, qui, quid aliud (quæso) sunt, quam *Præcones Pontificis*, qui voce et scripto *Vicedeum*[c] prædicant? Re ergo ipsa vix quicquam discrepant expositiones hæ duæ. *Draco, Diabolus: Bestia septiceps*, Impiorum universitas; (universitas, sed *Romanorum* imperio comprehensa, penes quos tum dominium *universi*.) Nec si *Ethnica* ea sit, (et esto *Ethnica* vel maxime) delicias hic faciet Cardinalis. Neque vero potest. Omnino ad eam *Monarchiam* revocanda est. *Septem* enim hæc *capita, septem colles sunt* (quibus insidet urbs) Orbi notissimi. Eadem vero *Bestia* XVII°. et XIII°. cap. supra docui. *Caput Bestiæ occisum*, quod ibi *revixit* post, utrique Antichristus est. Vere Caput universitatis illius impiorum. Nec de *posteriore Bestia cornibus agnum referente*, lis ulla. Namque ea *pseudo-Apo-*
288 *stolos Antichristi* referri, utrinque in confesso est. Restat *Character*, res ab oculis ejus abscondita: Rex retulit: qua, primum lege, jam refert etiam, ne quis (scilicet) sugillet ex parte aliqua, quam ipse posuit, nisi reponat aliam ipse, quam probare Lectori teneatur, veritati magis (nec una, sed) omni ex parte consentaneam.

Gotthi et Vandali nullam plagam Romano Pontifici inflixerunt.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 159. [Op., tom. vii. col. 794. A.]

---

[b] [De Ricardo Cervino, Astrologo, Patre Marcelli Papæ II. et Card. Bell. avo, vide Onuph. Panvin. in vita Marcell. II. p. 354. ad calc. Plat.]

[c] [Vide supra, p. 166. not. r.]

At de Gotthis deque Vandalis mirari subit, quod neget, *ullam Pontifici plagam intulisse.* Poterantne in Italiam grassari totam, ut, qui in urbe Italiæ Principe tum *Pontifex,* nihil de *plaga* senserit? Aliud illi narraret Leo, quem tanti facit, si in vivis esset, quantopere trepidarit, quam se in omnem partem versarit, quam omnes ingenii nervos et dicendi vim omnem intenderit, quo plagam declinaret. Quantumvis autem averterit primo eloquentia sua *Barbarorum* impetum a civium cervicibus, secundo non potuisse. Fregit Attilam, non potuit Gensericum. *Plagam* accepit *Pontifex, plagam* gravem, urbs direpta, incensa est, Templa etiam spoliata; et, est quisquam qui neget, a Vandalis *plagam* ullam *Pontifici inflictam* esse? Ullam Romæ? Fac tamen *non accepisse* (nec id valde ad rem refert.) Accepit Imperium a *Barbaris* illis *flagellis Dei plagam* gravem: capite minutum, pæne etiam attritum est; nec potuit *plaga* illa Romam non attingere. Etsi propter scelera forte, non quæ *Christiana* jam, sed quæ olim *Ethnica* perpetrarat.

Nec eo minus Antichristus Pontifex: At nullo colore *Imperator; Sextum* enim modo *Caput* Imperator, *Caput,* quod, scribente Apocalypsin Joanne, etiam tum erat. Nam *Septimum,* Episcopi erant, sed qui nondum degenerassent plane, penes quos urbis regimen, atque administrandi ratio, jam a translata Constantinopolim Imperii sede. *Octavum,* Pontificis erat, sed *Universalis* jam, sed jam *Antichristi.* Idem *Septimum,* quia visus succedere Episcopis Pontifex. Idem et *Octavum,* quia Pontifex jam plus quam Pontifex, plus etiam quam Cæsar, qui a præcedentium Episcoporum more prisco degenerasset in Antichristum. Namque ita memini, quod *cæsum est Caput,* quodque *revixit* denuo, *octavum* censetur, et 289
est tamen de *septem.* De *septem;* erat enim jam tum cum revixit, *Monarchia* quædam *Romana:* Nec mutata vel sedes, vel locus. Unum ergo de *septem,* quia *Monarchia* vel tum. Et *octavum* nihilo minus censetur, quia non ut olim Episcopi, sed ut tum *Antichristi,* nova species, novum caput, quodque multum differret a cæteris: sub quo tamen reddita Romæ, (seu malis, Babyloni) etiam aucta, magnificentia omnis sua et amplitudo pristina. Ut etsi de numero esset illorum, natura differret tamen, quantum a Christiano Episcopo *Antichristianus Pontifex.*

Omnes unanimi consensu docent, Antichristum se simulaturum plagam incurabilem accepisse, vel [*leg.* atque] occisum esse[d].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 159. [Op., tom. vii. col. 794. B.]

[De ficta plaga Antichristi.] De *ficta* plaga, morte, cura, jam dictum. *Simulata plaga*, vel *Mors, cura* opus non habet. Bestiæ vero plaga, et plaga *mortis* fuit, et *cura* opus habuit, et *curata* est. *Vera* ergo ibi, et plaga, et mors, et curatio. Vera (inquam), fictio autem, et fraus omnis evanescit. Plagam accepit caput septimum, plaga *curata* paulo post, *revixit Octavum, Antichristus Romanus Pontifex,* caput *Regno* redimitus.

Verum est Pontifices . . . adorari, sed ut vicarios Dei, non . . . Deos.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 160. [Op., tom. vii. col. 794. B.]

[De diversis adorandi modis.] Simulatæ quidem plagæ Pontificem absolvimus: at non *adorationis*, sive *ut Deus*, sive (non ut Deus, sed) *Vicedeus adoretur*. Et hic quidem *apud homines* ludere distinctione dabitur, non dabitur, ubi apud *Deum* agenda causa. Viderit tum Pontifex, an et ibi Elenchis hisce locus, et ne *vices nullæ* sint, in *adorando*. Tum quod adorandi vocem modo dilatet, ut nihil aliud sit quam *venerari*, quod *hominibus adhiberi*

[d] [Auctores a Bellarmino citatos hic visum est subjicere.

(1.) "Qui veniens diem Sabbatum atque Dominicum ab omni faciet opere custodiri. Quia enim mori se et resurgere simulat, haberi in veneratione vult diem Dominicum; et quia judaizare populum compellit, ut exteriorem ritum Legis revocet, et sibi Judæorum perfidiam subdat, coli vult Sabbatum."—S. Greg. Mag. lib. xi. Ep. ii. sec. vett. Editt.; lib. xiii. Ind. vi. Ep. i. Ben. Op., tom. ii. col. 1213. B.

(2.) "Sicut enim in bono anima justa sedes sapientiæ, sic in malo illis inimicus dare dicitur thronum, quos maxime possidens ad alios utitur seducendos, admiranda per eos, Deo sinente, frequenter exercens, qui tanta impietate progreditur, ut ad eludendos animos parvulorum, unum ex capitibus septem imitatione veri capitis se quasi occisum resurrexisse, et pro Christo, qui vere perfecit, suscipiendum audeat exhibere."—Primas. in Apoc. lib. iv. (in cap. xiii.)—Bibl. Max. Patr. tom. x. p. 318. F.

(3.) "Antichristus ad capita regni terreni pertinens, imitatione veri capitis nostri se quasi occisum resurrexisse, et pro Christo, qui hoc vere perfecit, se suscipiendum audet exhibere."—Beda in Apoc. cap. xiii. Op., tom. v. col. 790.

(4.) "Per unum caput quod hic singulariter tanquam occisum se vidisse dicit Joannes, ipsum principem malorum intelligere debemus. Unde recte dicitur; Tanquam occisum eum vidisse in mortem, quia videlicet ipse simulabit se occisum, et post mortem resurrexisse."—Haymo Halberstad. in Apoc. (cap. xiii.) lib. iv. fol. 116. a. b.

(5.) "Antichristum, scilicet principale caput, *quasi occisum in morte*, finget quidem se blasphemus nebulo ille mori, et die tertia resurgere, *et plaga mortis ejus curata est*, ficta resurrectione."—Anselm. Laud. Enarr. in Apoc. cap. xiii. apud S. Anselm. Cant. Op., tom. ii. p. 492. A.]

(6.) "Quæ habet plagam gladii, per simulationem occisionis, et vixit per simulationem resurrectionis." — Ric. de S. Vict. lib. iv. cap. 5. super Apoc. (in cap. xiii.) Op., par. ii. p. 257. col. 1. B.

(7.) Rupertus Tuitensis a Bellarmino insuper citatus omnia hæc de plaga simulata mystice interpretari videtur.—Vide Comm. in Apoc. lib. viii. (in cap. xiii.) Op., tom. ii. p. 546.]

possit, præter usum in eo loquitur, penes quem *loquendi norma*[e]. Habet justam venerationem quicquid excellit. Sed eccuinam mortalium adhibetur jam *adorandi* vox, præterquam *Pontifici* soli? *Augustone,* vel *Regi* cuiquam, qui vicarii tamen Dei sunt? Sed ulliusne hominis honor ea voce intelligendus venit? Solus Papa *adoratur,* solus *adorationis* et cultu, et voce, supra mortalium sortem effertur; quibus (præterquam huic soli) augusta nimis *adorandi* Vox. Quodsi id tantum faceretis, (quod dicitur *venerari*), si *venerationis* vox vobis foret satis, ea contenti, non illam, quæ *soli* jam *Deo* loquendi more dicata est, in gratiam Pontificis vestri, ita avide invaderetis.

Si ostendit [*leg.* ostendet] Rex sacrificium Pontifici ... aliquando oblatum, aut aras erectas aut templa [de]dicata, [aut Sacerdotes institutos] .... tum ... concedimus [*leg.* concedemus] ... adorari ut Deum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 160. [Op., tom. vii. col. 794. C. D.]

Quæ vero lata adeo est *adoratio,* ut *Papam* recipiat, ad *Deum* jam arcta est, cui vix ulla superest, præter *Sacrificii* forte honorem, et quæ ad Sacrificium requiruntur: ut præter istud *Deo* et *Papæ* communia sint omnia. *Papæ vero non sacrificatur:* ne *Cruci* quidem, cui tamen *Latriæ* honorem defertis[f]; sed neque *Eucharistiæ,* cui *Missa* non fit (ne bis fiat), ut quæ per *Missam* fiat. Quanquam restrinxit hic nimium Cardinalis. *Adorare* enim contingit *absque sacrificio:* ut Abraham *tres Angelos adoravit*[g]*:* Magdalena *Christum*[h], (neutrobique oblata hostia,) et Joannes *Angelum adoravit*[i] et *ne adoraret vetitus est,* cum *sacrificium* tamen nullum ei adornaret. Quique apud vos quotidie, quæque consecratam *hostiam adorant,* si omnes *sacrificant* ei, næ *Sacerdotum* affatim apud vos est. Sed neque ad *adorationem* externam necessario requiruntur hæc: et *Deus* vel sine his omnibus *adoratur,* et *Pontifex* cum (ut Cæremoniale loquitur) sedere eum faciunt super Altare, ut *adorent:* et quidem bis sedere, in *Conclavi* semel[k], iterum in *Ecclesia S. Petri*[l], parum abest ab *adoratione Dei,* parum ab *Hostiæ,* quæ vel in *Ara,* vel nusquam *adorantur.* Nec minor est *Aræ,* vel *Templi* necessitas, quam *Sacrificii.* Etsi autem ipsi *Ara* non constituatur; tamen in *Ara* ipse constituitur, quæ Deo (uti scit) constituta est.

[De adoratione Pontificis.]

290

[e] [Horat. Epist. ad Pis. lin. 72.]
[f] [Vide supra, p. 282. not. q.]
[g] Gen. xviii. 2.
[h] [Matt. xxviii. 9.]
[i] Apoc. xix. 10.
[k] [Sacrarum Cæremon. lib. i. sect. i. fol. 11. b. Venet. 1582.]
[l] [Ibid. fol. 12. a.]

Hoc miraculum non tribuitur . . . Bestiæ majori, quæ Antichristum significat, sed minori, quæ Antichristo deservit. Non igitur Pontifex, qui fulmine . . . terret, Antichristus erit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 160. [Op. tom. vii. col. 794. D.]

[De fulmine excommunicationis,] Vos ipsi excommunicationis censuram *fulmen* soletis dicere. *Fulmen* autem, ignis de cœlo. De *igne* itaque convenit. Qui quidem *ignis* initio solum penes Ecclesiam: nec tradi cuiquam potuit, nisi ab Ecclesia, cui soli *Censuræ* jus. Penes Ecclesiam (inquam) vere *Agnum* primo: post etiam, penes Ecclesiam, etsi falsam jam, at veram tamen (cui successit) *cornibus*, id est, externa specie referentem: ubi post Antichristum abeundo et *Draconis* idioma discendo, in *minorem bestiam* degenerasset. Tum, *Minor* ista, in *Majorem*, vim omnem, et potestatem suam transtulit: ut, quæ *Minor* signa prius edidit, eadem per omnia *Major* jam posset edere. Recte, ut Antichristo signum hoc conveniat. Quamprimum enim adolevit et valeret jam viribus Antichristus, armavit illi dextram Ecclesia falsa (*Bestia minor*, potestate sua summa) trisulco hoc *fulmine*, quo percelleret, quicunque *Bestiæ imaginem adorare* nollet, vel *Characterem suscipere* [m].

Deinde meminit hujus Joannes miraculi, ut rei novæ, et insolitæ. At excommunicatio res est communis et nota.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 160. [Op., tom. vii. coll. 794. D. 795. A.]

[in reges emisso.] Nec nova res *Censura* hæc, qua, qui in scelere obfirmati, arcentur fidelium cœtu, donec pudore ipso confusi ad mentem meliorem redeant. Non hæc quidem *nova:* at illa *nova*, et portenti similis, quæ Reges afflat et Regna, quæ tonat,
291 fulgurat, permiscet [n] Christianum Orbem: principesque, non dominatu solum, sed et vita, per Emissarios exuit. *Novus* hic *ignis Vaticanus* est, non *Elementaris*, sed nocentior multo; et quem, ante Antichristum editum, nescivit Orbis.

Professio obedientiæ neque in dextra, neque in fronte accipitur—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 161. [Op., tom. vii. col. 795. B.]

[De obedientia Pontifici] Characteri opponit, primo: non enim *Pontifex* cuiquam *in fronte dextrave notam* imprimit. Vide *frontes*, scrutare *dextras* Pontificiorum, nullus *Character* comparebit. Nec opus: Qui *manu* elata, *opereve* exsequitur, ei *manus;* qui palam *fronte nuda* profitetur, ei *signata frons* est. *Manus* agit, *frons* præ se fert: qui audacter agit, fidenter præ se

[m] [Vide Apoc. xiii. 12—17.] [n] [Conf. Aristoph. Acharn. 504.]

fert *Antichristi asseclam*, perinde est ac si utrobique *notatus stigmate*. *Character* externæ professioni est : qua itaque externa professio legitime denotatur.

> At quot millia sunt in ditione Romani Pontificis, qui professionem obedientiæ non possunt ostendere? Professio . . (fidei) fieri solet ab iis, qui promoventur ad gradus dignitatum, . . aut certa officia, . . . a maxima parte hominum non exigitur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 161. [Op., tom. vii. col. 795. B.]

Verum, nec ipsa *hæc professio a millibus exigitur, ab iis modo, qui de Clero sunt, vel in officiis certis positi, seu ad dignitatem promoti.* Imo professio eadem, gradus forte professionis non idem, exigitur ab omnibus. *Specialior* enim a *Clero*, et Vertici infixus : at est alter, paulo magis *generalis*, a quo nemo exceptus, qui vel in omnes transeat. An excidit Cardinali, *congenitum in baptismo Juramentum, ad obediendum Principi spirituali*[o]*?* Vel ergo adjiciat errorem hunc novum novæ Recognitioni suæ, de *Charactere novo, in ortu supernaturali*[p] : vel fateatur sane, quod hic (pro re nata) negat, [ab omnibus præstanda,]

de tot modo millibus unum[q],

non superesse, cui *professio* hæc non incumbat. Et quid peccarunt Veneti, nisi quod ita nuper *profiteri* jussi, detrectarunt Imperium? Cardinalis autem *de Pontifice* libri sic nuper in Recognitione incudi redditi, ut dilatent paulo magis fimbrias potestatis Pontificiæ, annon *Characteristici* plane *professionis* hujus? Bonus Doctor Marta *non turbavit se erga plurima*, id unum modo molitus, ut constaret tantum *character* hic, et esset *indelebilis*[r]. Tortus cum esset, cum pompam duceret, ageretque ante currum Pontificis, *peccata, pœnas, censuras, vota, leges, juramenta*[s] ; nonne id egit, ne qua *lex*, ne quod *votum*, vel *juramentum* huic *professioni* fraudi foret? Quid novissimus et nequissimus Scurra, Pacenius? Nonne *Characterem* in fronte fert, qui ausus scribere, *Simplicem Regem esse, qui securitatem in Juramento statuat, quantumvis cauto, quantislibet circumstantiis connexo? Nam si Pontifex Juramentum dissolverit, omnes illius nexus, sive de fidelitate Regi præstanda, sive* 292

[o] Tortus, p. 60. [Edit. Colon.; p. 51. Edit. Polit., et Bell. Op., tom. vii. col. 661. B.]
[p] [Ibid.]
[q] [Ovid. Metam. i. 325.]
[r] [Marta de Jurisd. par. iv. cent. ii. cas. 132. art. 3. p. 229.]
[s] [Tortus] p. 19. [Edit. Colon.; p. 11. Edit. Polit., et Bell. Op., tom. vii. col. 641. A.]

de dispensatione non admittenda, pariter dissolutos fore, in fumum abire, obligationem vinculum minus esse quam stramineum[t]. Adeo ille inustum putat *dextris frontibusque* vestris *characterem* hunc: adeo vos vere *stigmaticos Antichristi.* Non ergo *Clericis* solis hæret, *aliorum* quoque manibus impressus est: pro quo, et olim, et nuper tot turbæ datæ, tantum Christiani sanguinis effusum est.

At quot sunt in ipsa urbe Roma Judæi, qui publice vendunt, et emunt, nec habent ejusmodi Characterem?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 161. [Op., tom. vii. col. 795. C.]

[Judæis quibusdam Romæ exceptis.] At *neque in Urbe ipsa, non Romæ, omnes professi.* Non *Romæ!* Qui tandem non? *Non Judæi* scilicet. At *professionis* vis, ut *privilegiatos* reddat: et, an uspiam terrarum *Judæis* privilegium; alibi passim (puto et Romæ) exosis, certe expilatis. Hosce modo *Character* non eximit, quibus *Character Cain* inustus est, ut ubique *extorres* et *vagi*, rejectanei sint, mancipia, et *περικαθάρματα*[u] totius Orbis: quique in Roma ipsa gravi censu *emunt*, ut *emant*; quibus ipsum *vendere* suum, *venale* est: nisi deleto *Caini*, (quem jam ferunt) *Antichristi characterem* inducant. Parum autem *Pontificis* sui honori hic consulit, cui necesse est in ignominiam cedat, quod, vel *Judæis*, vel *lupanaribus Romæ*[x] locus sit; unde si ambo exularent, haud scio an *opulentiæ*, *Sanctitati* quidem Urbis, melius prospectum foret.

Nisi forte place[a]t cum . . . Hippolyto . . dicere, ... 'Antichristi characterem fore . . Crucis abolitionem:' quali charactere dignoscuntur . . . Calviniani, ut præcursores Antichristi.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 162. [Op., tom. vii. col. 795. C. D.]

[Quis sit Antichristi character.] Dudum vero, quid sibi vellet *Character*, rudis plane atque ignarus: hic jam de repente, rescivit rem Cardinalis: et jam arridet ei Hippolyti sententia. *Characterem Christi, Crucem: Antichristi, Crucis abolitionem*[y]: quo argumento, qui *Crucis jam signum abolent*, Calviniani, *Antichristi præcursores habendi.* Vix hoc tamen satis (credo) philosophice. Ut in

[t] Pag. 10.

[u] [1 Cor. iv. 13.]

[x] [Vide supra, p. 154. not. [d].]

[y] [Hæc sententia ex hisce duobus locis conflata videtur. Ἔδωκεν ὁ Χριστὸς τοῖς εἰς αὐτὸν πιστεύουσι τὸν τίμιον καὶ ζωοποιὸν σταυρὸν, καὶ αὐτὸς ὁμοίως δώσει τὸ ἑαυτοῦ σημεῖον.—S. Hipp. trib. libr. de Consumm. Mundi, cap. xx. Op., tom. i. Append. pp. 13, 14. Καὶ δώσει αὐτοῖς χάραγμα ἐν τῇ χειρὶ τῇ δεξιᾷ, καὶ ἐν τῷ μετώπῳ, ἵνα μήτις τὸν τίμιον σταυρὸν ποιήσῃ τῷ μετώπῳ τῇ δεξιᾷ αὐτοῦ χειρί.—Cap. xxviii. ibid. p. 19.]

rerum natura prius sit *Antichristi signum*, quam Antichristus ipse. Præpostere nimis, ut signato signum prævortat, aut (suscepto *Charactere*) *professio* ei fiat *obedientiæ*, nondum nato de tribu Dan[s]. Nimis citato cursu feruntur quadrigæ Cardinalis, quibus præcurrit *Antichristum Character* ipsius.

Tum, nec illud satis concinne, ut *Characteris privatio Character* sit. Namque ita valde turbatum erit in Dialecticis, ubi *privatio* transibit in *habitum*, et *Charactere carere*, hoc sit, *Characterem habere*. Certe quidem hoc est *delere de fronte*, non *suscipere in fronte Characterem*. Mitto, quod *dextræ* apud vos *Cruce signari* non soleant, ut nequeat *de dexteris aboleri*. Verum quid hæc ad nos? Cur in *Regem* hæc scriptitat? Cur *Regem* appellat? Agat ista cum *Puritanis*, 293
qui ei *Signo* parum propitii. Nos favemus satis. Nobis enim nostrisque in Baptismo *frontes* eo *signatæ;* ut parum hic tempestive Hippolytus in scenam introductus a Cardinale.

Sed nomen, λατεῖνος, non scribitur per εῖ, et sine εῖ non reddit... DCLXVI. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 162. [Op., tom. vii. col. 795. D.]

Placet Hippolyti signum, pro non signo. Irenæi λατεῖνος non placet; et Irenæum habet sub ferula, quod λατεῖνος per εῖ scripserit. Sic Patres suos habet. Ubi, scholam primo aperit, quasi Græce nesciret Irenæus, qui Græce scripsit, quasi Arethas (qui idem ipsum nomen reposuit,) in media Græcia natus, et ipse græce docendus esset a Cardinale. Tamen Arethas severius illi castigandus, qui errore lapsus non est, qui διὰ διφθόγγου scribendum esse nomen, et ad quam formam, monet[t]. Parum vero opportune *græcissat*. Idem forte facturus in τειτὰν, siquis stomachum ei moveat, sed multum dedignante *Schola græca*, risum tamen vix continente. [De nomine Λατεῖνος numerum DCLXVI. reddente.]

Nomen Antichristi proprium designatur . . . , non nomen commune plurimis. . . . Proprio autem nomine nullus Pontificum dictus est Latinus.— [Bell. Apol. pro Resp.] p. 162. [Op., tom. vii. col. 795. D.]

Sed *commune nomen* Latinus. *Proprium* vero etiam interdum: Quære, annon a *Latino* Latini. Et pluribus *commune:* quid tum? *Commune* pluribus est nomen Robertus, nec eo tamen minus Cardinalis Robertus est. Verum *eo nomine* [Illud nomen commune omnibus Pontificibus.]

[s] [De ortu Antichristi e tribu Dan, vide Bell. de Rom. Pont. lib. iii. cap. 12. § 'Secunda.' Op., tom. i. p. 193. G.]

[t] [Λατεῖνος ὁμοίως διὰ διφθόγγου. — Areth. Comment. in Apoc. cap. xxxviii. (ad cap. xiii.) apud Œcum. Op., tom. ii. p. 765. C.]

tanquam proprio nullus Pontificum appellatus: nec opus sane; quo scilicet series ipsa, non unus aliquis de serie denotandus esset.

Denique inveniuntur nomina plurima, quæ numerum illum DCLXVI. efficiunt.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 162. [Op., tom. vii. col. 795. D.]

[Utrum idem numerus aliis nominibus contineatur.]

Sed *eundem numerum reddunt, et alia multa*[b]. Reddunt vero, sed Irenæi sæculo receptum hoc. Primum itaque. Nobis vero quod primum, verum videtur[c]; præsertim, cum faveat ei Irenæus ipse, *ut valde verisimili*[d]. Cum reliqua illa nihil habeant verisimile, Evan, et Titan, et Antemos, et Lampetis. Cum et in tot *Latinis* vestris, seu *Romanis*, imago viva reluceat *Antichristi.*

At numerus ille numerus nominis est, ut S. Joannes expresse dixit: non igitur detorqueri debet ad numerum temporis.—[Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 796. A.]

[Pro numero temporis haberi potest.]

Nec *numerus* ibi, a Joanne, *nominis* modo: Numerus etiam *hominis* idem dicitur. Si *nominis*, apte λατεῖνος: si *hominis*, apte et *tempus* designat, quo homo is primum sessurus erat, emersurus ex abysso, et universalem suum Papatum ingressurus; ut *Regis*, quo *regnum* adiit: ut *Consulis*, quo *Consulatum*. Nec Torto hic opus, ut *hominis* (id est) *Antichristi* ipsius *numerus* dicatur, quo titulum sibi sumpsit, quo primum emicuit Antichristus.

Deinde numerus annorum a Christo ad Bonifacium non continet DCLXVI. sed DCVI.—[Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 796. A.]

---

[b] [Πολλὰ γὰρ εὑρίσκομεν ὀνόματα τούτῳ τῷ ἀριθμῷ ἰσοψήφια περιεχόμενα, οἷον, ὥσπερ εἶπεῖν, τὸ Τειτάν ἐστιν, ἀρχαῖον καὶ ἔνδοξον ὄνομα, ἢ τὸ Εὐάνθας· καὶ γὰρ αὐτὸ τῇ αὐτῇ ψήφῳ ἐμπεριέχεται, καὶ ἕτερα πλείονα εὑρεθῆναι δυνάμενα. Ἀλλ' ἐπειδὴ προέφθημεν λέγοντες, ὅτι ἐθεραπεύθη ἡ πληγὴ τοῦ θηρίου τοῦ πρώτου, καὶ ποιήσει λαλεῖν τὴν εἰκόνα· τουτέστιν, ἰσχυσε· φανερὸν δ' ἐστὶ πᾶσιν ὅτι οἱ κρατοῦντες ἔτι νῦν εἰσὶ Λατῖνοι· εἰς ἑνὸς οὖν ἀνθρώπου ὄνομα μεταγόμενον, γίνεται Λατεῖνος.—S. Hip. De Antichristo, cap. 1. Op., tom. i. p. 25. Arethas quoque (in loc.) septem, Beda tria nomina, hunc numerum efficientia, adduxit. Auctor item libri de Consumm. Mundi, S. Hippol. tributi, vocem ἀρνοῦμαι hunc numerum reddere notavit.—S. Hipp. Op., tom. i. App. p. 19.]

[c] [Tert. de Præscript. Hæret. cap. xxxi. Op., p. 231. B.]

[d] ["Quoniam autem non propter inopiam nominum habentium numerum nominis ejus dicimus hæc, sed propter timorem erga Deum et zelum veritatis: Εὐάνθα enim nomen habet numerum, de quo quæritur: sed nihil de eo affirmamus. Sed et Λατεῖνος nomen habet sexcentorum sexaginta sex numerum; et valde verisimile est, quoniam novissimum Regnum hoc habet vocabulum. Latini enim sunt, qui nunc regnant: sed non in hoc nos gloriabimur. Sed et Τειτάν, prima syllaba per duas Græcas voculas, ε et ι, scripta, omnium nominum quæ apud nos inveniuntur, magis fide dignum est."— S. Iren. contr. Hær. lib. v. cap. xxx. Op., p. 329. col. 1.]

At a Christo nato ad Bonifacium III. anni tantum DCVI. Nec enim ab ortu statim convalescit titulus; Præscriptione opus est. Ubi vero per sexaginta jam annos præscribit, titulum confirmatum gerit. [De tempore exorti Antichristi supputationes.]

Nec confirmato jam titulo, mutatione præterea opus erat peculiari. Non is operandi modus, in mysterio. Quod ibi fit, sensim fit: sensim, et sine sensu. Ubi in strumam pervenit superbia sedis illius, crevisse jam sensit mundus, quam non sensit crescentem. Ubi massa jam fermentata, tum demum fermentum apparuit; non *in fieri*, ut mos est, sed in *factum esse*. 294

A . . direptione templi . . ad ann. . . . DCVI., quo sedit Bonifacius, sunt anni DCLXX.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 163. [Op., tom. vii. col. 796. A. B.]

At *a direpto per Pompeium Templo* calculum si ordiaris, (et est, *a direpto Templo*, æra satis illustris) complebis numerum. Imo *quadriennio superabis*. Ad Baronii forte calculum, qui in Probo minus probe rem gessit[e]: ad aliorum non item, apud quos vix reperias, qui a direpto Templo ad Christum natum plus sexaginta annis numeret. Ne de vestris quidem. Non litigabo: nam si animus litigandi sit, quam facile in numero tanto *quatuor anni* eliduntur? Esto, *quadriennio*. Quantillum vero hoc? Quam multi etiam Chronologi, etiam qui Danielis hebdomadas, qui annos in scriptura supputant, et alioqui, sibi peritissimi videntur, qui in *minore numero* scrupulos suos non tam conciliare commode possunt, quorum non tam prope ad veritatem calculi accedunt: Et si accedant, quasi bene gesta re, serio triumphent? Verum meminerit, Regem illud unum non premere. Sumat, si volet Lector, hoc; sin malit, alterum illud: Liberum enim reliquit illi, ut in alterutro acquiescat.

Visio quarta, . . . quanto prolixius tractatur a Rege, tanto brevius expedietur a nobis.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 163. [Op., tom. vii. col. 796. C.]

In Visione quarta quanto prolixior Rex, tanto Cardinalis brevior. Eone jam res redit, ut qui ad *Regis exemplum*[f] ante se componere, laudi duxisset, jam Regi advorsum eat ex professo? Injuria ibi nulla, quod *imitatus Regem*. Nullane hic, quod ad *oppositum* incedat *Regi?* Adeo ante commotus, [De visione quarta.]

[e] [Baron. Ann. Eccl. ad ann. 283. num. iv. et v. tom. ii. coll. 820. 821.]

[f] [Bell. Apol. pro Resp.] p. 44. [Op., tom. vii. col. 729. C.]

ut exclamarit, *Deus bone, quam misera conditio est*[g]? Annon jure hic exclamet quispiam: *Deus bone!* quam non constat sibi Cardinalis?

> Non posse . . per . . Meretricem intelligi Antichristum probamus . . ex sententia . . Patrum. Patres enim permulti per eam . . intelligunt universitatem impiorum . . . . Alii . . . Romam imperantem.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 164. [Op., tom. vii. col. 796. C. D.]

[Per Meretricem Antichristus intelligi potest.] *Per Meretricem Antichristus intelligi non potest. Sunt enim de Patribus, qui in Meretrice, universitatem impiorum denotari volunt*[h]: *sunt alii, qui Romam imperantem*[i]. Vide vero hic, quam æquus Rex: Neutrum rejicit. Potest in Capite suo *Impiorum Universitas illa* non incommode designari. Nec enim cum dicitur, *Quot homines, tot sententiæ*[k], aliud dicitur, quam cum, *Quot capita, tot sensus.* Familiaris est illa Metonymia, cum Hispania (dicitur) vel Gallia hoc molitur, *Caput* 295 utriusque Gentis, et columen, (id est) Regem intelligere. Itidem *Colluvies impiorum* (quasi Regnum ejus) pro Rege Antichristo. Sed interim meminerit Lector, quam sui non

[g] [Bell. Apol. pro Resp. p. 44. Op., tom. vii. col. 729. C.]

[h] [(1.) "Si ille pater omnium impiorum, qui operatur in filiis diffidentiæ, mater quæ est? Est quædam civitas, quæ Babylonia dicitur, civitas ista societas est omnium perditorum ab oriente usque ad occidentem; ipsa habet regnum terrenum."—S. Aug. Enarr. ii. in Ps. xxvi. § 18. Op., tom. iv. coll. 180. D. 181. A.

(2.) Πόρνην δὲ οὐχ οὕτω τὴν παλαιὰν Ῥώμην ἐπιτευκτικῶς χρὴ ἀκούειν, ὡς τὸν παρόντα κόσμον.—Areth. in Comment. in Apoc. cap. liii. (ad cap. xvii.) apud Œcum. Op., tom. ii. p. 789. C.

(3.) "Ipsa malorum multitudo meretrix vocatur."—Haymo Halberstat. in Apoc. (cap. xvii.) lib. vi. fol 149. b.

(4.) "Mulier erat circumdata purpura . . . quia malorum collectio semper se studet decorare gloria," &c.—Rich. de S. Vict. super Apoc. lib. v. Op, par. ii. p. 270. col. 1. B. Venet. 1592.

(5.) "Mulier quam vidisti . . est multitudo magna potentium munita omni prava obstinatione." — Ans. Laud. Enarr. in Apoc. cap. xvii., apud S. Ans. Cant. Op., tom. ii. p. 499. B.

(6.) "Perditorum multitudo, quæ relicto Creatore dæmonibus se prostravit constuprandam, in fluctibus discordium populorum sedere memoratur." —Beda in Apoc. cap. xvii. Op., tom. v. col. 800.

(7.) "Ipsa est corpus sive universitas impiorum, qui fornicationes atque abominationes adinvenerunt."—Rup. Tuit. in Apoc. (cap. xvii.) Comm. lib. x. Op., tom. ii. p. 571. col. 1.]

[i] [(1.) "Sic et Babylon apud Joannem nostrum, Romanæ urbis figura est, proinde et magnæ, et regno superbæ, et sanctorum debellatricis." — Tert. adv. Jud. cap ix. Op., p. 193. A. B.; et lib. iii. adv. Marc. cap. xiii. Op., pp. 404. D. 405. A. iisdem fere verbis.

(2.) "Hic, puto, locus sanctior est rupe Tarpeia, quæ, de cœlo sæpius fulminata, ostendit, quod Domino displiceret. Lege Apocalypsin Joannis, et quid de muliere purpurata, et scripta in ejus fronte blasphemia, septem montibus, aquis multis, et Babylonis cantetur exitu, contuere."—Ep. Paulæ et Eustochii ad Marcell. apud Epist. S. Hier. Ep. xlvi. Vall. (al. xvii.) sect. 2. Op., tom. i. col. 206. A. "Secundum Apocalypsin Joannis in fronte purpuratæ meretricis scriptum est nomen blasphemiæ, id est Romæ æternæ."—S. Hier. Ep. cxxi. Vall. (al. cli.) ad Algas. Quæst. xi. Op., tom. i. col. 882. C.]

[k] [Terent. Phorm. II. 4. 14.]

memor Cardinalis. Alibi strenue negarat, de una eademque re agi in Cap. XIII°., et XVII°. hoc[1]: ultro jam fatetur rem, dum unam nobis utriusque interpretationem edit, dum eandem vult, quæ in Bestia ibi septicipite Cap. XIII°., hic quoque Cap. XVII°. in Meretrice, *Impiorum universitatem* indicari. Ita illi languet memoria. Jam, si volet, intelligat in *Meretrice Romam.* Sit *Babylon Meretrix* hæc: Sit *Roma Babylon:* Etiam hic quoque Rex non repugnabit. Tantum in Roma, qui Romæ: in Babylone, qui Babyloni præsit, agnoscat: (utrobique scilicet Antichristum.) Sed *qui de Roma locum hunc, de Roma Ethnica fere interpretantur,* nempe sibi tum nota, quamque oculis quotidie usurpabant, qualis esset sæculo suo. Nam qualis sequente sæculo, sub Pontificum regimine futura esset, id quidem resciscere non poterant. Nam si rescivissent, Prophetiæ Spiritu donati, ad Prophetiam hanc explicandam, nunquam *Interpretes loci cum consulere instituerent Cardinalis, inveniret tot sententias, quot fere sunt Auctores*[m]. Nimis in manifesto res est. Utinam ne esset. Sed vel hic jam Cardinalis ita rem se habere fatetur, dum negare non potest, quosdam de *Roma* modo, alios de *Imperio,* non *Universitate* tota *Meretricem* intelligendam confiteri. Agnoscit autem Rex, lubens agnoscit, *Meretricem* hanc *Babylonem* esse *Civitatem, quæ habebat tum regnum super Reges terræ, quæ super Septem montes sedet,* Joanne ipso eadem hæc totidem verbis referente.

Si Bestia, quæ mulierem portat, Antichristus est, quomodo ipsa mulier est Antichristus? Quis ferat Equitem cum Equo confundi, ut Eques supra se sedere dicatur? Ignoscat igitur . . . nobis tardioribus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 165. [Op., tom. vii. col. 797. A. B.]

[Bestia item Antichristus.]

Verum alibi *Rex Bestiam dicit Antichristum; Hic vero mulierem etiam dicit Bestiæ insidentem. Atque ita Equitem cum Equo confundit.* Ubi *tardiorem* se fingit Cardinalis, nec se ista capere: omnino autem adduci non posse, *ut Bestiam cum Meretrice confundat.* Quid ergo? An ita valde *tardum* suspicetur quis, ut ipse se non capiat? Idem enim ipse peccat, nec adductus a quoquam, nisi ipso se. *Confudit Bestiam cum Meretrice.* Quid est enim Cardinali *Bestia*

[1] [Bell. Apol. pro Resp.] p. 134. [Op., tom. vii. col. 780. B.]

[m] [Bell. Apol. pro Resp.] p. 152. [Op., tom. vii. col. 790. A.]

septiceps cap. XIII°? Universitas impiorum. Quid jam cap. XVII°. *Mulier Bestiæ inequitans?* Universitas itidem impiorum. Ita, non jam Antichristus unus, *supra se,* sed *Universitas Equorum supra Universitatem Equitum* sedere dicetur: spec-
296 taculo, magis in Universum, mirando, si tamen *tardiores* ejus tali capiantur. Sit erratum hoc, in Cardinale. In Rege enim nil tale deprehendet. Namque ita de Rege narrat, (atque ita quidem verba se Regis habent) *Octava, quæ est Bestia &c.*[n] Sed *Octavane Bestia, quæ est Bestia?* Quis sic loquitur? *Octava Bestia, quæ est Bestia?* Quis ferat loquentem? Vix etiam ignoscas *tarditati* ejus, qui sic legat. Quid ergo? *Octava,* (non Bestia, nec quicquam ibi quod ita sonet, sed) *Octava Regiminis forma, octava gubernandi ratio*°. Iverat enim Rex per reliquos ibi *Ordinales* a *Prima,* ad *Septimam* usque: post, subjicit de *octava Imperii forma Romæ* propria: ut vere *tardus,* qui hoc non viderit: quanquam *tarditas* non fuit, sed aliud quiddam deterius longe *tarditate. Octavum* quidem *Caput Bestiæ* non male forsan intelligat (*Septimum* enim plaga occisum est) *octavum,* jam *redivivum,* sed idem cum *septimo;* atque hoc ita, ut cum redivivo capite Bestia quoque ipsa revixerit. Quare, *octavam* illam *gubernandi formam* (vi *Capitis illius octavi*) *vivam* jam denuo *Bestiam* dicat quis non incommode. Joannes enim ipse sic visus est dicere. Regis autem sententia nemini obscura esse potest. Bestia enim septiceps illi *Romanum imperium* denotat, (toto autem tempore suo, quodque ante sub Paganis fuit, quodque post sub Antichristo): Mulier, quæ super Bestiam sedet, Antichristus illi est, qui sedi jam illi præsidet. Ubi vero interdum etiam Antichristus illi *Bestia* nominatur, non alio id tamen modo, quam siquis vulgato loquendi more quod a Papa fit, a Roma fieri dicat, ut, Roma infensa nuper Venetis: cum Papa paulo fuit infensior. Nullo autem id solœcismo penitus: cum ubique mos obtinuit, Regni cujusque nomen pro Rege usurpandi. Atque vero, bis de *Bestia* mentio Joanni fit, semel cap. XIII°., paulo autem obscurius: iterum, cap. XVII°., et quidem multo dilucidius. Nec enim mulier ulla cap. XIII°., sola ibi per se Bestia. Commodum igitur, (ut Caput Capiti respondeat) quod est in XVII°. *mulier inequitans;* id est in XIII°.

[n] [Præf. Monit. p. 110.] [o] [Ibid.]

Caput redivivum. Nec est in eo ulla repugnantia (ubi visio gemina, unica tamen de re,) si, quod in una visione *Bestiæ Caput,* id in altera *Bestiæ sessor* post exponatur. Regitur enim Equus *a Capite,* regitur et a *Sessore.* Nihil autem usitatius (passim quidem per visiones propheticas), quam ut *Rectores Capita* dicantur; atque utraque, et *Equitis,* et *Capitis,* voce idem regimen designetur.

Diluuntur variæ Calumniæ.—[Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 797. B.]

Jure merito objecta fuisse Cardinali, quæ Ipse Calumnias dicit, nec ab eo dilui.

Si ex particularibus hominum factis de doctrina judicandum esset, . . . doctrina . . . veterum omnium . . . hanc calumniam pati posset.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 165. [Op., tom. vii. coll. 797. C. D.]

[E qua Theologiæ Schola exorti Parricidæ.]

AD eas jam pergendum, quas ille, per *calumniam*, dicit *calumnias*. Vere enim accusationes sunt, et, quæ ab eo oppido quam dilute diluuntur. Ubi primum, non id agitur, ut *feratur ex factis hominum particularibus de doctrina judicium*. Nobis hoc fieri nolumus: vobis non facimus. Non ergo quid fecerint *Parricidæ* illi, sed qua persuasione fecerint, inter nos id (credo) quæritur. Non, quod in Henricum Tertium: non quod in Quartum; non quod in Reginam nostram; in Regem, et Regni Ordines, Castelli, Parreii, Catisbeii factum: sed, a quibus *Theologis*, et *qua ratione* adducti, factum id admiserint. Tum, *ratio illa*, ex qua *Theologia*, ex qua *Schola*, e cujus *doctrinæ* fontibus emanarit. Nam Clementem a *Theologis* (puto autem vestris) responsum accepisse, ex Mariana cognovimus [a]. Ita, factum *Fraterculi*, doctrina fuit Burgoinii [b]. Castellum ex Jesuitis audiisse, *Licitum esse, Regem occidere* [c]; ex Processu contra eundem. Ita, factum Castelli, doctrina Guignardi [d]. Parreium a Comensi in scelere confirmatum, ex literis ipsius Cardinalis [e]. Catisbeium,

[a] [Mariana de Rege et Regis Instit. lib. i. cap. 6. p. 53.]

[b] [Vide Thuan. Hist. lib. xcviii. cap. 8. tom. iv. p. 842.]

[c] [Vide Thuan. Hist. lib. cxi. cap. 18. tom. v. p. 446.]

[d] [Vide ibid. p. 448.]

[e] [Vide 'State Trials,' tom. i. p. [127.]].

reliquosque Complices suos, facinoris sui veniam petere renuisse: ita illis doctrina vestra insederat. Et, monstrum hoc novissimum, hausisse a vobis scelus suum, et *doctrina* vestra; e publice exustis Marianæ libris[f], fidem facimus. Peccatum ipsi suum portassent, nisi edoctos se ista a vestris fassi omnes fuissent: Jam, cum ita edocti, doctrina vestra *justam reprehensionem* fert, *calumniam* non patitur.

Indulgentiam ... concessam fuisse iis, qui Cruce suscepta ... adversus infideles arma suscepissent [*leg.* sumpsissent][g]. Atque hanc ... prædicatam lego ... præcipue a [S.] Bernardo[h].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 166. [Op., tom. vii. col. 797. D.]

[De Cruciatis et Indulgentiis.]

Nam quod statim ex loco hoc, unde prolapsionem metuit, delabitur ad *Cruciatas*: facit pro more suo, ut cum premi se sentit alicubi, alio Lectorem avocet. Bernardo autem, et qui ei similes, viris non malis, quam sæpe abusus Pontifex, ad negotia sua? Novimus, et *Cruciatæ* illæ quid sibi voluerint, et quo consilio sæpe prædicatæ. Interdum, ut in Cæsaris, ac 298
Principum in Bello sacro absentium, ditiones præsidio nudatas liberius Pontifex involaret: interdum, ut, quos luminibus hic suis officere sentiret, alio scilicet, in *Terram sanctam* amandaret, amandando vires attereret: sæpe etiam, ut colore hoc, hac specie, collecta pecuniæ vi ingenti, iter jam institutum novo aliquo commento illuderet; et, quod *bellum Sacrum* capere oportuit, ipse interciperet. Non enim *sanguinem* solum, *pecunias* etiam sæpe emungit *Indulgentiis* suis. Sed annon et *sanguinem?* Annon Julii Secundi *diplomata* fuerunt, plena remissionis peccatorum omnibus concessa, qui, vel Francum sibi obvium interficerent[i]? Annon et ejusdem Julii *indulgentiæ* pares, siquis Venetum[k]? Non ergo *pecunias* solum emungunt; *sanguinem* etiam sæpe eliciunt *Indulgentiis* suis: nec solum *sanguinem*, etiam *pecunias*.

Quod Sicariis promissa sit spes æternæ vitæ, si Regum vitæ insidientur, nusquam legi, nunquam audivi.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 166. [Op., tom. vii. col. 797. D.]

---

[f] [Vide supra, p. 392.]

[g] [Vide Bull. iii. Eugen. III. 'Quantum prædecessores.'—Bull. Magn. tom. i. p. 37.; Bull. i. Greg. VIII. iv. Kal. Nov. A.D. 1187.—Ibid. pp. 48, 49: et Bull. xii. Innoc. III.—Ibid. pp. 61—63.]

[h] [Citat Bellarminus S. Bern. de Consid. lib. ii. cap. 1., ubi Apologiam instituit, ob infelicem successum expeditionis in terram sanctam.]

[i] [Vide Franc. Hotomanni Brutum Fulmen, cap. x. apud Gold. Monarch. tom. iii. p. 94.]

[k] [De excommunicatione Venetorum, vide Raynald. Cont. Ann. Baron. ad ann. 1509. num. 6. seq. tom. xx.]

[Qua spe sicarii ad reges occidendos adducti.]

Verum instat: et *nec legisse se unquam* asserit, nec *audivisse, Sicariis promissam æternæ vitæ spem, ut Regum vitæ insidientur.* Non enim *Sicarios* dicet; sed *Sacratos,* sed heroica virtute viros, qui insidiati sunt: non *Reges* forte, sed *Tyrannos* vel *Hæreticos,* quorum sic vitæ insidiati sunt. Jacobus Clemens, Sicarius forte non fuit: Henricus Tertius, non Rex. Alioqui, *legit* (scio) et *audivit promissam* Clementi, *æternæ vitæ spem*[l], si sedulo in id scelus incumberet. Quid de ultimo hoc? an is, *Sicarius?* an qui percussus, *Rex?* expectamus etiam: nondum enim Romæ vobis consilia cocta sunt.

Sed . . legi in Concilio Constantiensi . . . . damnatum articulum illum. . . . 'Tyrannus potest, et debet licite . . . occidi per quemcunque vasallum suum.' —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 166. [Op., tom. vii. coll. 797. D. 798. A.]

[Canon Conc. Constant. de hac re elusus.]

Legit tamen, *damnatum in Concilio Constantiensi*[m] *articulum de Tyranno per quemlibet vasallum suum licite, et meritorie occidendo, et pro hæretico censendum, et instar hæretici puniendum, qui sic sentiat.* Legit hæc; sed annon legit apud Marianam suam, elusa hæc omnia[n]? Non enim Canonem illum, vel a Martino V., vel ab Eugenio IV., vel ab *ullo* dum *Pontifice,* approbatum. Vim ergo Canonis non habere. Eo non obstante, posse Tyrannum jam aggredi, cui animus ita sit. Quare si ita (ut eum videri vult esse Cardinalis) animatus in Reges Pontifex, maturet Romæ decretum ea de re novum. Nam vetere hoc Jesuitæ se suosque teneri non putant.

Illos . . , quos in exemplum Rex adduxit, persuasos fuisse ab aliquo . . Antistite, ... Rex non probat, neque . . . constare potest.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 166. Op., tom. vii. col. 798. B.]

[Multi ab antistibus ad scelus persuasi.]

At *non ab Antistite aliquo persuasi. Persuasos* dixit Rex, et *a vestris Theologis persuasos.* Cardinalis *persuasos* cum negare non possit, negat *persuasos ab aliquo Antistite.* At
299 Rex de *Antistite* non affirmarat. Quorsum enim? Cadit Rex Sicarii manu? Sicarius is, ab *Antistite persuasus,* an a *Camillo,* quid ad rem? Ad rem (inquam) reive caput, quid refert, *Antistes* sit, an non sit, dum *vester* sit, qui scelus suadeat? Non ab *Antistite?* ergone ab alio, qui *post stabat,*

[l] [Vide Thuan. Hist. lib. xcvi. cap. 8. tom. iv. p. 763.]
[m] [Conc. Constant. Sess. xv.—Conc. tom. xii. col. 144. B—D.]
[n] [Mariana de Rege et Regis Instit. lib. i. cap. 6. [p. 62.]

non *ante?* Porro, quid si non ab *Antistite* (*quos adduxit in exemplum Rex*), annon satis, si ab *aliis*, qui sunt *post principia*[o], Antistite factum non damnante? Sic enim fere se res hic habet. Sicarius admittit, Confessarius suadet, Antistes non improbat. Nam *Antistites* non ita facilem sui copiam faciunt, nec de his talibus consuluntur hi, aut respondent; *Confessarii* id fere faciunt, qui *antestant* interdum *Antistiti* ipsi, opinione doctrinæ. Quanquam et olim *Antistes* fuit, qui Friderici II. mortem persuasit[p]; et *Antistes*, qui Conradini[q]; et *Antistes*, qui utriusque Medicei Laurentii, et Juliani[r]: et nuper Comensis (credo) *Antistes* fuit, qui Parreio; et Garnettus Superior, qui Catisbeio animos ad scelus addidit. Prostant vero literæ Cardinalis, Parreii quoque confessio[s]. Tum et Indicia, et manus ipsa Garnetti. Quique ab illo pendebant, ad extremum usque spiritum anxii, bene fecissent an male: bene enim, nisi damnaret facinus Ecclesia; quæ necdum damnavit. Et hæc quidem, *apud Acta*. Sed, subinfert statim nobis Cardinalis *Acta Pilati*[t]; et, quæ *pro Tribunali* coram tot hominum millibus dicta sunt, habet pro non dictis.

Sed si Regi placeat vera audire vel legere, facile inveniet doctrinam, quam objicit Catholicis, propriam esse Novatorum . . . Joannis Wiclefi, . . . (cujus est,) 'Nullus [est] . . . Dominus, nullus [est] prælatus, dum est in mortali peccato[u].' [Item] 'Populares possunt ad suum arbitrium dominos peccantes corrigere[x].'—[Bell. Apol. pro Resp.] pp. 166. 167. [Op., tom. vii. col. 798. A. B.]

Sed si Regi placet audire vera, audiat de Wiclefo. Is, *nullum, dum in peccato mortali esset, Prælatum esse scripsit, vel Dominum.* Is, *Corrigi posse Dominos per populares.* Si *vera audire?* imo si *ficta*, hæc audiat Rex. *Calumnia* est de Wiclefo. Wiclefo enim hæc (ut et aliæ pleræque) afficta est opinio. More Lyncei, *Inquisitores* vestri videre sibi viden- [Hæc non Wiclefitarum doctrina.]

[o] [Terent. Eunuch. IV. 7. 11.]

[p] [Vide Tortur. Torti, p. 267. Lond. 1609, (p. 324. Edit. nostræ.)]

[q] [Vide Angel. Ubald. Perus. super Codice, Rubr. 'De secundis nuptiis,' leg. v. 'Generaliter,' num. 3. tom. iii. fol. 113. col. 4. Venet. 1579: et Spond. Cont. Ann. Baron. ad ann. 1268. num. xiii. tom. i. p. 234.]

[r] [Sixtus, sc. IV. Vide Onuphr. Panvin. ad calc. Plat. p. 846. Magnam quoque in hac conjuratione partem egit Franc. Salviatus Archiepisc. Pisan. Vide Conjurationis Pactianæ Commentarium, pp. 4 seq. Neap. 1769. Hoc opus, anno 1478 primo excusum, in Editionibus vero Politiani A.D. 1498, 1499. et Paris. 1519. omissum "tam rarum deventum est, ut inter doctos sæpe dubitatum est, an unquam typis impressum fuerit."—Vide Joan. Adimarium in Præf. ad Ed. Neap. 1769. pp. i. ii.]

[s] [Vide supra, p. 412.]

[t] [Bell. Apol. pro Resp.] p. 197. [Op., tom. vii. col. 815. A.]

[u] [Vide Artic. Joan. Wicleff. xv. Conc. Constant. Sess. viii. — Conc. tom. xii. col. 46. B.]

[x] [Artic. J. Wicleff. xvii.—ibid. C.]

tur, quæ præter eos nemo, (invidia scilicet oculorum aciem, ut fit, adjuvante): nusquam enim in operibus ejus reperta, quæ manuscripta apud nos sunt; edenda merito in lucem, ut hæc, ut aliæ non paucæ calumniæ diluantur. Etsi evanescit ipsa per se. Ex facto ferre licet sententiam. Wiclefus in *Dominos* incidit, qui in *mortali peccato*, neque intulit tamen eis manus, sed nec inferendas censuit. *Trecenti* jam anni sunt, nec ullus Wiclefi *Discipulus* Regi ulli adhuc manus
300 intulit. Parvus ille, a Constantiensi Synodo damnatus olim[y], nuper a Mariana absolutus,[z] Wiclefista non fuit, vester fuit et e vobis: nullus ex *schola* Wiclefi, Clemens, Castellus, Catisbeius exstitit. A vestris *Patriarchis* prosapia hæc; a vestris prophetis hæc oracula; apud quos, *Pontifex* sontes sine crimine, Hæreticos sine hæresi facit, quoties vult: quos deinde (nullo ab iis admisso lethali crimine, nisi quod ei parum placeant) privat dominio; quod siquis et privare vita velit, damnari vel notari privantem non sinit.

> Quis . . . auctor fuit tot millibus rusticorum, ut adversus Principes arma sumerent? Nonne ministri . . . deformatæ . . a Luthero religionis?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 167. [Op., tom. vii. col. 798. C.]

[neque Lutheranorum,] At illa quam effrons calumnia? Lutherum aspergere seditione illa rustica, qui et eam, qui et Auctores ejus voce damnavit, et scripto: Scripto autem non uno, sed triplici[a]. Factum id a Phipheri somnio fuit, et Muntzeri rabie; de quo ita præclare sensit Lutherus, ut diceret, qui *Muntzerum vidisset, vidisse se diabolum corporeum*, affirmare tuto potuisse[b]. Sed et apud nos, regnante Ricardo secundo, non absimilis *Rusti-*

[y] [Vide Gersonii Serm. contra Assertiones Joannis Parvi. Op., tom. i. col. 396. seq.; et Dial. Apologet. tom. iii. col. 69–75.]

[z] [Mariana de Rege et Regis Inst. lib. i. cap. 6. pp. 62. 63.]

[a] ["Lutherus ea re cognita, datis ad senatum literis, graviter monet ne recipiant, esse hominem seditiosum," etc.] Sleidan. [Comment.] lib. v. [p. 124. Argent. 1621. "Gliscente per Germaniam dissidio, quum ad turbam atque motum res inclinare viderentur, nondum tamen arma sumpsissent plebeii, Lutherus edito scripto monebat omnes, ut a seditione sibi temperarent."—Ibid. "Huic illorum" (*sc.* rusticorum) "scripto promulgato Lutherus, ad quem provocaverant, respondet, et ad ipsos oratione conversa," ubi eos a rebellione dissuadet. Pp. 129—135. Postea "communem illis epistolam scribit, et quod malam utrique causam tueantur, monet, ut ab armis discedant."—p. 137: "Dum hac ratione tumultum sedare studet, illi per Franconiam, aliisque in locis subito progressi, non pontificiis modo, sed nobilitati quoque bellum faciunt, et longe lateque grassantur, ut diximus. Ibi tum Lutherus, alio evulgato scripto, hortatur et instigat omnes, ut velut ad commune restinguendum incendium, sic ad istos consceleratos et nefarios latrones ac parricidas trucidandos accurrant."—pp. 137, 138.]

[b] In Colloq. German. fol. 153.

corum seditio. Sed et Helvetii, contra Dominos insurgentes, penitus eos sustulerunt, in eamque, quæ nunc est, formam mutarunt Rempublicam. Factum annis plus centum ante Lutherum natum. *Catholicos* ergo utriusque seditionis illius auctores fuisse, etiam *Adversarii* dicant necesse est, cum nullum per id tempus habeant, quem dicant, *Lutheranum*.

Qui . . Franciscum . . . secundum . . . interficere moliti sunt? Nonne fratres Evangelici?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 167. [Op., tom. vii. col. 798. C.]

In Francisci Regis vitam nihil *moliti sunt Evangelici*. Notum autem, ex qua officina prodiit figmentum illud, ut, cum nihil veri esset, saltem ex mendaci calumnia, conflari iis odium posset. Par factum, in *laniena* sub Carolo Nono; comminisci aliquid oportuit, quo stragem tam nefandam palliarent. Illi vero nunquam arma induerunt, ut vitæ Regiæ, ut cujusquam vitæ vim inferrent; tantum ut a sua vim propulsarent; necem regis non moliti, amoliti suam. *Calumniis* (ut fit) ad tempus oppressi, at Filiam suam jam tempus in lucem eduxit. Et qua parte peccatum fuerit, in turbarum *origine* sub Francisco, in *laniena* illa sub Carolo, libera jam voce loquuntur Historiæ. Quanquam ne tum quidem cordatis viris ignota res (videas ex literis ad Schwendium Maximiliani Cæsaris [c]), ut Cardinalis plane excors sit, qui vulnus hoc refricet. [neque Evangelicorum, in Gallia,]

Qui denique sunt, qui adversus hunc ipsum Regem tot turbas in Scotia excitarunt? . . . . Nonne . . . qui reformatam Calvini religionem . . . . introduxerunt?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 167. [Op., tom. vii. col. 798. C. D.]

At Regis in Scotia nemo vitam quæsivit, nemo dominio illum privare aggressus est. *Turbas* alicubi datas de Ecclesiæ forma exteriori, exstitisse partium studia, simultates ipsi inter se quasdam cum haberent, quisque (ut fit) Regem ad se trahere, ejus (dum immatura adhuc ætate esset) auctoritate ad suas partes abuti satagebat. Vitæ suæ, Regno suo, vim factam nusquam testatur. Sic diluit veras Ecclesiæ suæ maculas Cardinalis, dum alias falsis aspergit. [neque Calvinistarum, in Scotia.] 301

Miratus . . valde sum, quorsum templa [*leg.* exempla] Martyrum, et testimonia SS. Petri et Pauli allata pertineant. Quasi non possit humilitas et patientia servari, et simul violentia, et crudelitas persecutorum reprehendi, (ut) in [lib. ii.] Machab. c. 7. . . . Christo, Joan. xviii. . . . Stephano, Act. vii. . . . Paulo, Act. xxiii. . . . Petro, Joan. xxi. . . . Augustino, Confess.

[c] [Apud Goldast. Constit. Imper. tom. ii. pp. 383, 384.]

[lib.] x. [cap.] 28. . . . 'Nemo quod tolerat amat, etsi tolerare amat,' etc. —[Bell. Apol. pro Resp.] pp. 169, 170. [Op., tom. vii. coll. 799. B—D; 800. A.]

[Qualis martyrum patientia.]

Aliam jam sibi (ut ipse dicit) *novam*[d], et quidem e cerebro suo natam *calumniam* comminiscitur. Et Machabæos affert, etiam Christum et Stephanum, tum Apostolos Paulum, et Petrum. Quorsum autem? *Posse id tolerare quempiam, quod non amet; nec amitti patientiam,* si quis liberius quid dicat in Persequentes. Præter rem omnia. Nam quis id negavit unquam? Offundit hic ergo caliginem, deinde in ea se subducit quæstioni. Cujus is demum status: An, si Gregorio primo vires adfuissent, Gregorium VII. egisset, et ut Henricum iste, sic ille Mauritium *Dominum* (uti eum semper appellat) *suum* habuisset: Et qui Longobardorum duces, cum id posset, non sustulit, an, ut Cæsarem exauctoraret, *cujusquam se in sanguine miscuisset*[e]. Vel, ut ab hypothesi transeamus ad Thesin, An propter conscientiam officii (ut Apostolus) an vero propter conscientiam imbecillitatis suæ (ut Theologia Cardinalis nova) paritum olim fuerit, parendum hodie sit homini Christiano. An pro virium vel copia, vel defectu, manendum cuique in officio: et ad obedientiam præstandam pensandæ vires, quæ si satis validæ sint, arbitrii sui sit, an parere jam velit? sin minus, necesse habeat frænum mordere, et, ubi aliter nequeat, parere per vim, non tam libenter, quam necessario. Ac nos quidem, Christiano homine indignum censemus, velitne parere an nolit, consulere lacertos suos: sint *vires ei, quam* voles eximiæ, nihilo minus obsequentem fore, quam si accisæ fuerint vel maxime. Nam ubi demum fractæ vires, parent vel mancipia Turcica, parent vel Latrones ipsi, quamdiu quidem viribus impares se sentiunt: ubi pares, semel diutius non parituri. Et annon alia inter Christianos, quam inter Latrones, obediendi ratio? nec secus hi, quam illi, parere teneantur? Nec id ergo quæritur, an peccarint in eo, siquid liberius interdum locuti, aut *propter justitiam persecutionem pati*[g] se contestati sint: Nec id nos culpamus, nec lædi dicimus in eo, vel *humilitatem*, vel *patientiam*. Id dicimus, quantumvis a viribus instructi fuissent,

[d] [Bell. Apol. pro Resp.] in marg. p. 168. [Op., tom. vii. col. 799. B.]

[e] [S. Greg. Mag. lib. iv. Ind. xii. Epist. xlvii. Op., tom. ii. col. 726. A.]

[f] [S. Aug. Conf. lib. x. cap. 28. Op., tom. i. col. 312. B.]

[g] [Matth. v. 10.]

pro viribus tamen non restitissent, nec vel potestatem legiti- 302
mam, vel positum a Deo ordinem evertissent. Nec rapti ad martyrium, apud populum questi sunt unquam, vires quidem suas (quod iniquo animo ferebant) invalidas esse, quare sibi præ hoc virium defectu moriendum jam: at hortati tamen populum, colligerent se, quod si semel eis suppeterent vires, viribus rem gererent, excuterent Cæsarem, et diutius obsequi detrectarent. Enimvero, si sic pergat Cardinalis, viribus officium metiri, scribenda nobis Apologia pro Christianis, (vel hæc nostra sic inscribenda,) pro Christianis, inquam, quos novo hoc dogmate suo ita misere traducit, dum paruisse veteres dicit, vel non paruisse, dum parere hodiernos docet, vel non parere, prout respondere sibi vires, vel non respondere senserint. De *obsequio* instituit Rex; id (quasi necdum Tortum exuisset) detorquet ad *patientiam*. In qua ipsa tamen, (cum nec numero impares essent Christiani, nec viribus, si ad arma conclamassent,) sed numero et viribus superiores, Tertulliani sæculo[h]; amabant potius *tolerare* persequentes, quam *tollere*, et *patientiæ*, quam *potentiæ* suæ exempla præbere. *Aderant* eis *vires*, adesse eas sibi sciebant, et hoc, scire se, scripto palam professi: at quamvis id scirent, (ut necessitate proin nulla cogi possent,) cesserunt, cæsi sunt tamen, idque alacritate summa. Inque eo emicuit Martyrum laus, cum non difficile eis resistere, abstinuisse tamen, potuisse tum Cæsari resistere, et noluisse. At *ductus est Petrus, quo noluit*[i]. Certe. Sed, qui in Ananiam poterat, poterat et in *ducentem*, nisi quia *voluit duci*, etiam quo *noluit*; potius quam *potestati* (quo nollet *ducenti*) vel sic quidem resistere; nec *potestate* sua uti contra *Potestatem*.

Nec ea quæstio, Subire mortem præstet, an negare fidem. Poterat enim (qui signa edere poterat) Petrus et signo aliquo edito, mortem non subire, et fidem non negare. Ea potius; Subire mortem, an potestati resistere, an pacem publicam violare, an Albinianis et Nigrianis accenseri[k]? Mallet tamen,

["Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere? Potuimus et inermes, nec rebelles, sed tantummodo discordes, solius divortii invidia adversus vos dimicasse."—Tert. Apol. cap. xxxvii. Op., p. 30. B.]

[i] [Joan. xxi. 18.]

[k] ["Unde Cassii, et Nigri, et Al-

non esse quod toleret. Esto. Sed cum sit, non *tolerat*, velit nolit, sed *amat*, et mavult et gaudet *tolerare*, nec, *si vires adessent*[l], mallet tollere quos *tolerat*, quam *tolerare.*

Citavi Epistolas, citavi Commentaria in Psalmos [pœnitentiales], ubi Mauritium . . . Gregorius Neroni et Diocletiano comparat, eumque gravissime reprehendit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 168. [Op., tom. vii. col. 799. B.]

[De conviciis S. Greg. M. 303 in Imp.]

Nec si libera voce usus apud Cæsarem Gregorius, reprehendat id quispiam, si id prout decuit, et par erat, si id apud ipsum Cæsarem. Sed illud Gregorio indignum, in Epistolis palpare, (illum *Dominum*, se *servum*, per summam submissionem dicere:) in Homiliis sugillare, et apud populum, tanquam Neronem vel Diocletianum traducere[m]. Nec Gregorius hoc faceret unquam. Calumnia ea vestra est, Gregorio imposita. Verior enim (addo et Gregorio dignior) opinio, cum nusquam ibi nomen Imperatoris sit, quæ de Nerone dixit et Diocletiano, non de Mauritio Domino suo, sed de Agilulpho Longobardo, miris tum modis in Ecclesiam grassante, intelligenda: ut falso citata sint a Cardinale, et præter mentem Gregorii, quæ ibi congessit ex eo, ad subditorum linguas, pari exemplo, laxandas in Cæsarem.

Quasi Martyres . . contra præcepta Apostolorum facerent, quando contemnentes jussa principum malebant mori, quam eorum legibus . . . . parere, quibus Christum abnegare . . . . jubebantur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 170. [Op., tom. vii. col. 800. B.]

[Martyres Principum jussa haud contempserunt.]

Uti et illud quoque transversum rapit ad *Martyres*, et eorum *patientiam*, quæ ad Gregorii *obsequium* Rex retulit. Paruit, Mauritii jussum executus est, legem transmisit[n]: jam si paruit, *propter conscientiam*, non *propter iram*[o], *iræve* metum, parendum ei fuit, jubente id ita Apostolo. Etiam cum ne *contra conscientiam* parerent, *propter conscientiam* tamen paruerunt Martyres; ubi subditi, et in quibus, propter conscientiam subditi, etsi non *legi* (quæ iniqua forte), at *potestati, quæ a Deo*[p]; vel tum, cum gladio tamen vel securi cervices

bini? . . . de Romanis (nisi fallor), id est de non Christianis."—Tert. Apol. cap. xxxv. Op., p. 29. B.

"Sic et circa majestatem Imperatoris infamamur, tamen nunquam Albiniani, nec Nigriani, vel Cassiani inveniri potuerant Christiani."—Tert. ad Scap. cap. ii. Op., p. 69. B.]

[l] [Bell. de Rom. Pont. lib. v. cap. 7. Op., tom. i. p. 235. G.]

[m] ["Quid enim Nero, quid Diocletianus, quid denique iste, qui hoc tempore Ecclesiam persequitur, numquid non omnes portæ inferi."—S. Greg. M. in Ps. ci. § 26. Op., tom. iii. par. ii. col. 532. B.]

[n] [S. Greg. Mag. lib. iii. Ind. xi. Ep. lxv. (ad Maurit August.) Op., tom. ii. col. 677. B. C.]

[o] [Rom. xiii. 5.]

[p] [Rom. xiii. i.]

subjecerunt. Nam et id quoque (cum adessent vires, quod nec gladio tamen vel securi cervices subduxerunt) *propter conscientiam* ab iis factum est, per *contemptum* quidem non est. Nam et ista opposita, *propter metum* quid facere, et *propter conscientiam*. Et ista non minus, *per contemptum* quid facere, et *propter conscientiam*. Quo et illud spectat, *Contemnentes jussa Principum*, selectum a Cardinale, quasi illi in animo sedeat, quasi valde velit, *Principum jussa contemni*. Illa enim etsi alicubi phrasis legitur, tamen qua mente hic usurpetur a Cardinale, et an apte, et non cum stomacho potius, quivis facile conjecturam faciet.

Quamvis sciam Regem non tam esse curiosum in alienis rebus, ut libellos vix dum editos ad se deferri curet, et satis intelligo [*leg.* intelligam], quis in ejusmodi rebus Regi laboret: respondebo tamen.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 170. [Op., tom. vii. col. 800. B. C.]

[Bellarminus nupera sua Recognitione,]

De novo *Recognitionis* suæ loco, (cum maderet etiam a prælo,) ludibrium vult nobis debere; Scit *non delatum* ad Regem. *Regem non ita curiosum; satis intelligit, quis Regi in hujusmodi rebus laboret.* Næ ille ista *scit*, atque *intelligit*, ut et alia nostra omnia. Qui Regi hæc curæ non esse, qui quasi rem alienam ducere, qui *alium ei laborare* (non ipsum sibi, non ipsum et sibi et aliis,) retulit, ludos ei fecit, abusus est credulitate senis, fecit, ut omnes qui hic sunt, *sciant* et *intelligant*, nihil Curiam de Rege *scire* vel *intelligere*, nihil Cardinalem. 304

Quod . . subditos regum ipsis Regibus superiores fecerim, non poterit Rex ex libris meis probare. Cum contra potius in lib. de Laicis[q], debere populos legibus Regum . . . , non modo [*leg.* solum] ex necessitate, sed etiam in conscientia obedire . . . . docuerim.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 171. [Op., tom. vii. col. 800. C. D.]

[populum Regi superiorem facit.]

Populum, eo libro, *Rege superiorem* facit. Negat facere, nec id e libro probari posse. Annon superior Rege, a quo Rex potestatem suam omnem sumit? Annon sumere ibi dicit Reges suam omnem potestatem a populo[r]? Quid porro probatu opus? At magnam rem præstitit et memorabilem in lib. de Laicis, ubi disputavit *Principum legibus teneri populos, idque in conscientia.* Quid tum, si prævaricetur, si quod ibi exstruxit, hic subruat denuo? Summam etiamnum in populo

[q] [Bell. lib. iii. de Laicis, cap. 11. Op., tom. ii. p. 379. G. seq.]

[r] [Bell. Recog. lib. iii. de Laicis; ad cap. 6. § 'Quinto nota.'] Recog. p. 59. [Ingolst. 1608. et p. 6. B. seq. ad init. Op., tom. i.]

potestatem inhærere: postquam Regi mandata est, retineri eam tamen a populo in habitu, etiam in casibus quibusdam recipi actu posse et revocari, (Casus autem incident, cum Pontifex illis innuet) nec est tamen populus superior, scilicet. En, ut se Cæsari probet, et Principibus. Nam, quoad Clericos, ab omni Principum potestate exemptos a se[s], abdit se in turba, quacum illi commune hoc est: *quo jure exempti sunt*, id quæri. Nam exemptos esse, nemini id dubium. Frustra autem hic est. Nam qui exemptus *jure* non est, ne exemptus quidem est; redit ergo quæstio ad jus: cum ne nos quidem exemptionem negemus: sed indulto, sed beneficio Principum. Illi Clerum primo (atque audi, etiam Pontificem ipsum vestrum) *privilegio* donarunt. Illorum, in hoc, nisi ingrati esse volumus, gratiam ambo agnituri sumus. Et nos quidem lubentes merito agnoscimus. Vobis, qui aliter sapitis, quid porro faciendum sit, serio Principes forte aliquando cogitabunt. Facto exprimenda vobis est *Recognitio* juris hujus, quando non libet scripto *recognoscere*. Nam sat illis jam cognitum; quæ ad Reges spectant, in libro illo *Recognitionum*, in pejus omnia *recognita* Cardinali: ut videri possit, non alio animo eum edidisse, quam ut ineat etiam a Pontifice gratiam, potestatis Regiæ jus plus magis subnervando.

Nego Cæsarem legitimum judicem Pauli fuisse. Nam cum . . . . . esset quæstio de Religione, certe non poterat Judex legitimus esse Princeps infidelis et laicus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 171. [Op., tom. vii. coll. 800. D. 801. A.]

[Cæsar Pauli, legitimus judex.]

Quo ex genere est, quod miratus Rex, Cæsarem obscure ab eo negari *Legitimum Pauli judicem*. Sed audiamus egregium responsum Cardinalis, qui id jam palam negat; palam id affirmante Apostolo, dum conceptis ab eo verbis interposita *ad Cæsarem appellatio* tanquam ad Judicem, *ad cujus eum Tribunal oportuit judicari*[t]. Negat vero: quod *Quæstio, quæ agebatur*, de *Religione fuit*: Sed neque fuit: Fuit enim de facto Pauli: de quo Cæsar judex fortasse non idoneus, *legitimus* tamen, et cui, per idoneos cognitores, statuere de facto licuisset. Suspicio enim *polluti Templi*, ex facto Pauli, (nempe *per Trophimum* et *Gentiles* eo *introductos*[u]) commovit primo Civi-

305

[s] [De Exempt. Cler. vide Bell. de Cler. lib. i. capp. 28, 29. Op., tom. ii. p. 326. B.]

[t] [Act. Apost. xxv. 10.]

[u] Act. xxi. 28, 29.

tatem: plurimum ex eo aucta, quod missum se ad *Gentiles* diceret. Quæ illius vox igitur *clamori* causam dedit[x]. Negat factum Apostolus, convinci se petit. Nam de Resurrectione non negat credere; id negat, (etsi credat, etsi et doceat,) eo facto se quicquam peccasse in Cæsarem: Capitale id neutiquam esse, nec Majestatis inde reum se peragi potuisse. Atque hæc perpetua ejus depulsio. Alteram enim illam illius defensionem, *Pharisæum esse se, Pharisæi filium, judicari autem de resurrectione mortuorum*[y], eo obtentam novit Cardinalis, ut, abeunte hinc inde in partes Concilio, facilius declinari posset utriusque impetus, et, qui innocens esset, liberari. At Tertullus, (qui solus legitime accusavit) perstrinxit quidem de Secta nonnihil, sed Caput illi fuit in accusatione, quod eum *pestiferum hominem invenissent, qui concitaret turbas in universo Orbe, quique auctor seditionis esset*[z]. *Adjecerunt autem et Judæi, dicentes, Hæc ita se habere*[a]. Quæstio ergo ibi de *seditione* fuit, ante de *Templo violato,* facti utraque: de quibus *legitimus Judex*, ut Cæsar, ita Præses Cæsaris, (Paulo itaque, *coram eo libenter* pro se satisfaciente[b].) Coram Festo autem, *multas et graves causas objecerunt;* quales vero, et cujus generis, scias ex Pauli depulsione, *quod neque in legem, neque in Templum, neque in Cæsarem, quicquam peccasset*[c]. Festus vero objectas non negabat, sed *quas probare non poterant.* Neque tamen de resurrectione Christi volebat Hierosolymam ascendere Paulum, sed *de his* ait, nempe de cæteris quoque, quæ in *Templum, Legem, Cæsarem,* admisisse eum criminati sunt. Denique, verba ipsa contextus scrupulum omnem eximunt. *Ad Tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet judicari*[d]. Imo *ibi stas, ubi te non oportet judicari,* infit Cardinalis. Nec enim *legitimus Judex* Cæsar, nec *legitimum* Tribunal; proinde nec ab illo *oportet* te, nec apud *Tribunal* ejus, *judicari.* Ita, non modo Cæsaris *tribunal* dejicit, sed et Paulo hic Apostolo in faciem resistit Cardinalis, ut *Paulo Pontifici* gratificetur. Alioqui, usquam hic leget τὸ δέον *legitimum* esse? δέον autem fuisse, illum *ad Cæsaris Tribunal judicari;* ad quod, si *legitimum* non fuit, illegitimam appellationem interposuit Apostolus: 306

[De facto, non de religione.]

[x] [Act. Apost.] xxii. 22.
[y] [Ibid.] xxiii. 6.
[z] [Ibid.] xxiv. 5.
[a] [Ibid.] ver. 9.
[b] [Ibid.] xxv. 7.
[c] [Ibid.] ver. 8.
[d] Act. xxv. 10.

conveniendus de eo in *Rota* et mulctandus, quod ad non *Judicem* appellarit.

Interim percontari libet, Quot annos numeret hæc glossa? quampridem est, cum eam *commenti* estis? Quis ei de *Patribus* favet? Ante causam Venetam quis fando audivit *Paulum ad Tribunal Cæsaris stantem*, non ibi stetisse, *ubi eum oportuit judicari?* nec, ut ad *Cæsaris cognitionem servaretur*, petere potuisse: in eoque prævaricatum esse. *Cæsaris* enim *Tribunali* subjectum non fuisse, sed *exceptionem* Fori justam habuisse.

Coactum fuisse Paulum appellare Cæsarem, ... ut eriperet eum de manibus Judæorum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 172. [Op., tom. vii. col. 801. B. C.]

[Paulus haud coactus Cæsarem appellavit.]

Ridiculum autem, quod ait *appellasse Cæsarem, non ut causam judicaret, sed ut eriperet eum de manibus Judæorum.* Ecqua enim est usquam illiusmodi *Appellatio*, ut *eripiatur* aliquis, non *judicetur* autem a *Judice*, ad quem *appellatur?* Quanquam, et hic quoque, incurrit in verba contextus. Sic enim Festus Agrippæ. *Paulo autem appellante, ut servaretur ad Augusti cognitionem*[e]. Cognitioni igitur Augusti *servata* causa. Festo enim credimus potius quam Cardinali, a quo cum *Appellationi* delatum est, melius illius vim omnem cognovit, melius referre poterat hæc, Cardinale. Quod si *cognosci* debuit *de Resurrectione Christi* (præcipua, uti Cardinali placet, quæstione:) testes, per quos fieri de ea fides posset, in Judæa erant (pars nempe magna *fratrum plus quingentorum*, quos etiam tum superesse dixit Apostolus[f]), in Judæa (inquam) erant, Romæ non erant, ut frivole proinde eo *appellatum* sit. Frivolum enim *appellare* inde, ubi suppetit probatio, eo, ubi in probatione scias necessario tibi deficiendum. Denique et in eo prævaricatus est, quod cum *legitimum judicem* haberet, ad quem recta via *appellare* posset, ad quem proin jure ei *appellandum* fuerat, (is autem erat B. Petrus ex Cardinalis sententia, solus in hac *Religionis quæstione Judex competens*) propter nescio quem metum (ne *risum* subselliis *commoveret*, Petro vel nominato *legitimo* suo *Judice*[g]) viam rectam reliquisse, et quasi

[e] Act. xxv. 21.

[f] 1 Cor. xv. [6.]

[g] ["Ea enim tempestate neque satis nota, neque credita S. Petri potestas erat, atque ita, si Paulus dixisset nullum se Judicem agnoscere, nisi Christi Vicarium, et Judæorum risum provocasset, a quibus accusabatur, et Ethnicorum, a quibus judicabatur."]—Bell. in Respons. ad Doctor. Theol. [aliter Respons. ad Anonymi Epist. Op., tom. vii. col. 1051. C. D.]

Petro renuntiasse, *appellasse* autem *Cæsarem, Judicem* quem omnino negat Cardinalis *legitimum*, atque ita turpiter Petri *primatum* prodidisse, atque in peccatum mortale, *Appellationis* injustæ, incidisse: tum hæreticis ansam dedisse, ut putent, inde *ad Cæsaris tribunal* Clericos, ejus quidem exemplo, *judicari oportere*. At assuetus ludibrio Paulus, nec eo ipso loci immunis a ludibrio, (habitus enim a Festo pro malesano), et (utcunque insuetus) assuescere tamen debuit, neque propter infidelium 307
cachinnos vel clamores etiam, eam *Primati* suo Petro contumeliam intulisse. Sed hæc Cardinalis egregia somnia sunt. Paulus enim diserte, *Oportet me judicari ad Tribunal Cæsaris*[h]: *judicari*, non *eripi*. Nec minus diserte Festus Judex, a quo appellavit Paulus, *ut ad Augusti cognitionem servaretur*. Interim malam gratiam habet *Tribunali Cæsaris*, a quo servatus est Paulus; absque quo, per *Petri Tribunal*, pereundum ei fuerat.

Aio . . . me nusquam disputasse, fasces Regios populo submitti debere.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 173. [Op., tom. vii. col. 801. D.]

[Bellarmini sententia de Regibus populo subjiciendis.]

Post vero egregie tergiversatur. *Nusquam se disputasse*, ait, *Fasces Regios populo submitti debere*. Regibus negat concessam a Deo potestatem, nisi *mediante populo*[i]; a quo *creari* dicit *Reges* hoc ipso in loco. Si Regum *a populo potestas* sit, si *creatores* Regum *populi*, si quam transtulerunt in Reges potestatem, ita transtulerunt, ut retineant tamen sibi *in habitu*, (in casibus nescio quibus, vel quot) ubi volent *actu* denuo ad se recipiendam, ubi *fasces jam* Imperii? Quis cui submittet? annon *concedenti*, qui *ex concessione* habet? Annon *Creatori* Creatura? Annon cui *concessi* sunt, *concedenti* eos, (eosdem secum tamen *habitu* retinenti, et ab eo, cui *concessit*, ubi visum est repetenti)? Si hoc non est, quid est *fasces submittere?* Et agitare scriptis quæstiones has, annon salus Regibus?

Aio . . . non esse in meo libro illa verba, . . . Rex quilibet a populo suo eligitur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 173. [Op., tom. vii. col. 801. D.]

[De electione regum,]

Etiam, quæ ibi sequitur cavilla, *Regem quemlibet a populo suo eligi, nodus* est *in scirpo quæsitus*[j]. De Regibus in genere disputat ibi Rex, non de singulis quibusque; et, *in primordiis*

[h] [Act. Apost. xxv. 10.] Recog. p. 6. B. ad init. Op., tom. i.]
[i] [Bell. Recog. lib. iii. 'De Laicis.' [j] [Vide Terent. And. V. 4. 38.]

regnorum, ubi fieri hoc Cardinalis ipse paulo post asserit [k]. Sed cum electos a Deo Saulem, et Davidem, non nisi *accedente* post *populi electione* Reges ait fuisse, eaque opus habuisse, ut essent consummati [l]: suspicionem nescio quam facit, quasi ad cujusvis Regis constitutionem *populi* quoque *consensum* intervenire oporteat. Nam si neque Deum eligere sinit Reges, sine *populi suffragio*; vix erit, ut quis ab eo pro Rege habeatur, nisi et suum *plebs* quoque calculum adjecerit. Et si non Saul, non David, nec ullus denique.

Neque illa sententia est proprie mea, Quod populus nunquam ita transferat potestatem suam in Regem, quin illam sibi in habitu retineat.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 173. [Op. tom. vii. col. 802. A.]

[populo tamen potestatem suam in habitu retinente.]

Tum, quæ deliciæ, nolle *suam proprie sententiam* dici, quæ *sua* tamen est [m]? Nam ni *sua* sit, et suorum, deleta jamdiu fuisset de libris *Auctoris* illius, in *Editione* aliqua *secundaria*, ut quidem multa sunt ejus deleta, quæ non satis pro Pontifice: ut, *ubi nullam ei potestatem temporalem asserit, nec summam,*
308 *nec mediam, nec imam; nudam a donariis Principum.* Illa, quia in Pontificem aculeata, animadversa statim sunt, atque erasa. Hæc, quia Auctoritati Regiæ nonnihil videntur derogare, vestra cum bona venia stant et leguntur. Et est quidem a *populo Romano* translata in Augustum potestas sua omnis. Verum id, quia prius Status fuerat *Popularis*, potestatemque habuerat populus, quam posset transferre. Sed idcirconc passim idem hoc obtinuit? ubi ab initio Monarchia, nec mutata unquam una Reipublicæ species in alteram? Populo autem Dei liberum non erat, initio sibi Regem constituere, nisi quem *Dominus Deus elegisset* [n]. Neque vero legem regnandi sibi dicere, nisi quam Samuel Propheta *ex voluntate Dei locutus fuerat ad populum, et in libro scriptam coram Domino reposuerat* [o]. Atque ad hoc exemplum componi *Christianos populos* par est: ut (quæcunque tandem sit Reipublicæ forma) summam tamen in ea potestatem non aliunde statuant, vel derivari, vel pendere, quam ab Ipso Deo. Ab eo donati, ab eo, cum visum fuerit, nec nisi ab eo, revocari. Lubricus enim

[k] [Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 802. B.]

[l] [Bell. Recog. lib. iii. de Laicis, p. 6. C—E. ad init. Op., tom. i.]

[m] [Citat hanc sententiam Bellarminus e Navarro. Vide Mart. Azpilc. Navarri Relect. in caput 'Novit' De Judiciis Notab. iii. § 120. Op., tom. ii. p. 108. C. D. col. 1.]

[n] Deut. xvii. 15.

[o] 1 Sam. [al. Reg.] x. 15.

Principum locus sit oportet, si *Creatura populi* Principes : nec causam dicere potest Cardinalis, cur, ubi *creavit* Principem populus, (quia ea voce delectari eum video) non possit cum eo agere, tanquam cum *creatura* sua, et eo loco habere, ut necesse ei sit, *secures suos sumere et ponere arbitrio popularis auræ* [p], nempe ut par est *creaturam*, arbitrio *Creatoris* sui. Quem *creavit*, cur non in eum imperium habeat? Cui dedit, ab eo cur non repetat, ubi volet? aut cur diuturna magis usura sit potestatis suæ apud principem, quam id ita plebi videatur?

Neque licet sine gravissimo crimine a legitimo Principe... deficere, aut seditionem, rebellionemve agitare.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 174. [Op. tom. vii. col. 802. B. C.]

Ex gravissimo crimine licere ait. Ex *gravissimo?* quidni ex *gravi?* imo ex *levi;* imo ex *ullo.* Nil enim destruit, nisi quod *creavit;* nil repetit, nisi quod suum est. Quanquam qui *gravissimi criminis* judicem facit populum, quique ex eo defectionem *a Principe legitimo*, etiam *seditiones*, et *rebelliones*, (nam voces suas agnoscit) licitas facit; næ ille regnandi conditionem periculosam facit, et præcipitem: nec fenestram aperit, sed latam portam ad tumultus populares. Subolet ergo quid hic jam machinetur. Populus Reges *creat*, in *creatos* tamen imperium non habet: vix ista quomodo cohæreant, distinguet populus. Imo, si *creat*, in *creatos* jus habet, imperet eis, constituat, destituat pro arbitratu. Sic 309
illi: Nec Cardinali facile occurret hic, quod opponat. Rupti obices; populus *creator* Principis sui, populus *castigator*, si in certum *crimen* incidat Princeps, in *crimen gravissimum.* Hæresis *crimen gravissimum.* Eo casu agitet *rebellionem, deficiat* a Principe, vel *legitimo.* Doctrina hæc jam Cardinalium; nec dubium, quin ex summa in Principes benevolentia. Si Hæreticis faveat, *crimen gravissimum;* si non devotus satis in sedem Romanam, id vero etiam *crimen* longe *gravissimum.*

[De justa in Reges rebellione.]

Matthiam, et Saulem, quamvis sorte electi sunt [*leg.* sint], non tamen immediate a Deo, sed per consensum hominum electos fuisse [*leg.* esse].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 174. [Op., tom. vii. col. 802. C.]

Adeo vero iniquus in Reges, ut neque eos, *qui sorte electi sunt*, (ut Saul) Regnum a Deo tamen *immediate* accepisse

[De electione S. Matthiæ.]

[p] [Vide Horat. Carm. III. 2. 20]

velit, nec nisi *populo mediante*. Tum paradoxum paradoxo cumulat. Et Matthiam ipsum Apostolum dicit, non per Jesum Christum immediate, et *Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis*, sed *ab hominibus*, et *per homines*[q], *Apostolum electum:* Proin non *Apostolum*, cum id *Apostoli* proprium sit, *ἀμέσως* a Deo designari. Ubi,

> Populo ut placerent quas fecisset fabulas[r],

nescio quas *electiones* et *præelectiones* commemorat nobis, sed, de quibus, in contextu, verbum nullum. Vide vero, quam hic multa peccet. Nec enim Petrus ibi docuit *necesse esse* eligi *unum:* Sed *oportere testem unum fieri*[s]. (Iterum hic Scriptura mutatur), *Statuerunt duos, electos* annon nulla ibi mentio.

> Confugerunt... ad consilium sortium, quo in rebus dubiis uti solebant Judæi..... Orantes Deum, ut... ostenderet eo signo, quem ipse præelegisset. Ubi autem cecidit sors super Matthiam, ipsi quoque eum elegerunt... partim judicio et consilio proprio, partim sortium auxilio.— [Bell. Apol. pro Resp.] p. 175. [Op., tom. vii. coll. 802. D. 803. A.]

[Sorte Divina,] Nec Judæi *sortibus uti solebant ad consilium*, sed ad sententiam, litisque terminum; neque, datis sortibus, *orabant ut ostenderet, quem ipse præelegisset.* (*Præelegit* hanc sibi vocem ipse) Sed, *tu Domine ostende, quem elegeris*[t]. Neque *cum cecidisset super Matthiam sors, ipsi quoque eum elegerunt.* Neque (quantum quidem ex scriptura constat) quippiam post fecerunt; verum *annumeratus statim est Matthias cum undecim*[u]. Neque denique *Deus elegit, et Apostoli elegerunt eum, partim judicio proprio, partim sortium auxilio.* Hæc omnia a Cardinale sunt. Quam toties hic repetit *eligendi* vox, semel modo in contextu est; ac tum Deo soli tributa. *Tu Domine ostende, quem elegeris;* qui Matthiam ibi solus elegit.

> Quod... nos legimus annumeratus est..., in Græco... est, [*συγκατεψηφίσθη*, id est,] suffragiis electus est, ut etiam interpres Chrysostomi vertit[v]. Bell. Apol. pro Resp.] p. 175. [Op., tom. vii. coll. 802. D. 803. A.]

[non suffragiis.] Nam, quod vapulat illi jam *vetus Interpres* suus, (qui Tridenti ita factus authenticus, ut rejici nullo modo posset[w]:)

[q] [Conf. Gal. i. 1.]
[r] [Terent. And. Prol. 3.]
[s] [Act. Apost. i. 22.]
[t] [Ibid. ver. 24.]
[u] [Ibid. ver. 26.]
[v] ["Suffragiis additus est."—S. Chrysost. Hom. III. in Act. Apost. Des. Erasmo interpr. Op., tom. i. p. 139. B. Basil. 1530.]
[w] ["Insuper eadem sacrosancta synodus... statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus et vulgata editio... .

quod *græcissat* jam, et sortes adit, nonnihil hæresin id sapit. Sed frustra tamen illi hoc cedet. Cui enim id sano persuadebit unquam, post oratum Deum, ut *sorte* (*quem elegisset*) *ostenderet;* cum id autem manifesto *ostendisset* Deus, viritim ibi collecta *suffragia;* an quod Deus sibi placere significasset, id ratum irritumve essent habituri? Cuive etiam hoc *Chrysostomo, Chrysostomive interpreti, prælectiones* istas, et *postelectiones,* et *semielectiones Cardinalis, partim ex consilio proprio, partim ex sortium auxilio,* vel per somnium unquam venisse in mentem? Mirum autem, ni ex loco simili, Act. x., ubi de reliquis Apostolis dicitur προκεχειροτονημένους [x] fuisse, et id quoque Cardinalis exprimat, ne *undecim* quidem, sine *populari suffragio,* et χειροτονίᾳ delectos. Matthias Apostolus erat; *Non* ergo *ab hominibus, vel per homines*[y]*: Ab hominibus* autem esset, si hominum suffragiis electus esset; quod videat, an ex *Grammatica* possit et vocis vi: ex *Theologia nunquam* poterit. Sed ubi illi *Theologia* desinit, *Grammatica* incipit. 310

Sorte . . . electus est Saul, ut haberet populus signum divinæ voluntatis, et scirent [*leg.* sciret], quem tuto eligere, et in quem potestatem suam transferre secure possent [*leg.* posset].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 175. [Op., tom. vii. col. 803. A.]

[Saul electus,]

In Saule quidem res est adhuc clarior, sed contra Cardinalem; ut multa ei proin fingenda fuerint, multa secus, quam in contextu sunt, referenda. Unde enim id illi, nisi ex cerebro sibi suo? *Saulem ideo sorte electum, ut haberet populus signum divinæ voluntatis, et scirent, quem tuto eligere, et in quem potestatem suam transferre tuto possent.* Gratis dicuntur hæc. Nam vel ex ipsa lege, non eligendus a populo Rex, sed ponendus ille *super se, quem Dominus Deus elegisset*[z]. Electio Dei erat: Electi super se positio, populi. Non enim dicit, Ipse post *eliges,* quem Dominus *præelegit,* (quanquam id verius *designare* esset, vel *nominare,* quam præeligere) sed eum *constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit.*

[non populi concessione,]

Tum, non aliunde illud, quod potestas populi in Saulem translata sit, penes quem omnino nulla, quam transferre posset: Samuelis potius, apud quem potestas omnis, priusquam Saul in Regem datus. Non enim Mosi quicquam populus

pro authentica habeatur, ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat."—Conc. Trid. Sess. IV. Decret. de Editione et Usu Sacrorum Librorum.—Conc. tom. xiv. p. 747. B.]

[x] [Act. Apost. x. 46.]

[y] [Gal. i. 1.]

[z] Deut. xvii. 15.

contulit. Quicquid illi potestatis, immediate ab Ipso Deo. Non enim Deus collectivo Israelis corpori potestatem indidit, quam, in Mosen post, Israel transtulit. Deus ipse Mosen elegit, electo potestatem dedit, quam Moses Josuæ post, Judicibusque, demum Samueli transmisit.

Et quidem cadente sorte super Saulem, multi de populo clamaverunt, Vivat Rex, (sed) multi etiam recusarunt consentire in eam electionem.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 175. [Op., tom. vii. col. 803. A.]

311 [sed sorte Divina.] Nimis vero audacter illud, *Cadente sorte super Saulem, multi de populo clamaverunt, Vivat Rex, sed multi etiam recusarunt consentire in eam electionem.* Quasi dubia tum penderet res, et paria utrinque suffragia. At inspice etiam locum denuo. Videbis longe secus se habere rem. Sic enim legitur, *Cum dixisset Samuel ad omnem populum, Certe videtis, quem elegit Dominus, et conclamavit omnis populus, et ait, Vivat Rex*[a]. *Omnis populus,* (ait,) non *multi. Omnes,* (id est,) *non omnes, sed multi,* ait Cardinalis. Nempe, ut de Calice in Cœna, *Bibite ex eo omnes,* id est, *Bibite ex eo aliquot: non omnes,* non enim Laici. Sacerdotes multi, an pauci, an vel unus, *Bibite omnes;* Laici vero, *Bibite nulli. Omnis* vero hic *populus conclamavit,* non *multi de* populo. Illi vero in Capite illo, (*nec multi* in contextu ipso, *nec pauci,* sed quicunque tandem vel quotcunque) *filii Belial* erant, qui dixerunt, *Numquid salvare nos poterit iste*[b]*?* sed quod *recusarint electioni consentire,* id ex *glossa* Cardinalis est, nec habetur in *Textu.* Quanquam quid refert illi quid fecerint, (qui *filii Belial* erant, et *ad Capitis pœnam post quæsiti,*) cum *omnis populus Sauli acclamasset, Vivat Rex?* Cassa ergo (ut videtur) Cardinali electio Dei de Saule, ex defectu *unanimis consensus in Maspha;* nec vim suam prius assecuta, quam populus in Gilgal suffragio suo divinam electionem ratam habuisset. Imo peracta jam semel electione legitima, altera nihil opus. Quæ vero post in Gilgal fuit, inauguratio solennis, *innovatio* Regni fuit (ut loquitur ibi Samuel[c]), seu (ut nos) *declaratio.* Nihil ibi ad Tribus relatum, nullum suffragium; Obtrudit Lectori illa sua, *unanimi consensu electus est,* fide non bona.

Sed paulo post . . . unanimi consensu electus fuit, ut habetur. 1 Reg. xi. 'Perrexit . . . omnis populus, et fecerunt ibi Regem Saul coram Domino in

[a] 1 Sam. [al. Reg.] x. 24.
[b] [Ibid.] cap. x. ver. 17. [leg. 27.]
[c] [1 Sam. (al. Reg.) xi. 14.]

Gilgal [*leg.* Galgala.']—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 175. [Op., tom. vii. col. 803. A.B.]

At, quæ ibi verba inserit, *Perrexit omnus populus, et fecerunt ibi Regem Saul coram Domino in Gilgal*[d], quam vim habeant, sciat Lector ex locis aliis, ubi verba eadem repetuntur, *Fecerunt Roboam Regem*[e], *Fecerunt Joas Regem*[f]. At uterque ex successione hæres, nec *fieri* poterant, quod jam *erant*. *Fecerunt Salomon Regem*[g] secundo (nempe uti Saulem hic.) Bis vero idem *fieri* non potest. Quod semel jam *factum* est, iterum *fieri* non potest. Quare id verbi, cum de *factura* ipsa non posset, quæ jam præcessit, de solenni ritu, et inaugurandi cæremonia publica intelligendum est, qua, (qui jam est, divina electione, ut Saul, paterna vel designatione hæres, ut Salomon, vel morte, ut Roboam, et Joas,) quod jam est, id palam et omni populo esse *declaratur:* futurus tamen qui est, si *declaratio* nulla accederet: utpote e qua *essentiæ* 312 nihil acquiritur, tantum *notitiæ* magis pervagatum redditur. *Factus* ergo Saul in Mispha Rex, in Gilgal solenniter *inauguratus.* [Postea solemniter inauguratus.]

Judicium sortium fuisse . . . indicium potius, sive præjudicium, quam absolutum judicium.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 175. [Op., tom. vii. col. 803. B.]

Ex eo autem, quod ad pœnam capitalem, *præjudicii* modo vim *Sortes* habeant; non recte concludat quis in reliquis itidem vim aliam non habere. Non enim *in Sortes* consensit, qui male quid admisit, cujusque de *Capite* agitur; mittuntur in invitum, nec submisit se *Sortibus.* At quibus *Electio* præ manu est, alteriusve *Controversiæ* finis, in manum conveniunt, ut quacunque parte ceciderit Sors, in eam ultro sint ituri. Meri hic ergo *judicii* vim habent. Quanquam, ubi aperta Scripturæ verba sunt, *Videtis, quem elegit Dominus*[h], de Saule; *Ostende, quem elegeris*[i], de Matthia; id quin ita *factum* sit, (ut verba habent) amentis est disputare. [Quale fuerit sortium judicium.]

Nos . . . electioni Pontificum bis interfuimus, nec tamen de prægrandi illa [*leg.* ista] pecunia quicquam audivimus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 176. [Op., tom. vii. col. 803. B.]

At de *prægrandi illa pecunia,* non *ad calumniam pertinet* id dicere, sed ad *delirium* negare. Cur ita delicias faciat Car- [De ambitu in electione Pontificum.]

[d] [1 Sam. (al. Reg.) xi. 15.]
[e] 1 [al. 3.] Reg. xii. 1.
[f] 2 [al. 4.] Reg. xi. 12.
[g] 1 Chron. xxix. 22.
[h] [1 Sam. (al. Reg.) x. 24.]
[i] [Act. Apost. i. 24.]

dinalis, in re ita omnium libris literisque pervulgata, adeo vero pervulgata, ut *calumniæ* locum non relinquat, de pactis in suffragium aliquot *aureorum millibus;* de *Stipendiariis,* in eam rem, Principum quorundam *Cardinalibus?* Ille vero *interfuit bis, nec audivit de eo quicquam.* Quam hoc vero Herculeum? fortasse enim celata res: (nec enim sub hasta fit, vel voce Præconis) clam illo factum, agmen non ducit, fortasse ad ambitum factus non est, alter nempe Curius [k]. Non enim passim, vel ad fauces cujusque, bolus hic. Sed ejusmodi quid sæpe usu venisse, parietes ipsi Conclavis, et Portæ, narrare ei possent, quæ nec contra gratiam occlusæ tum sunt, etiam (credo) nec contra *pecuniam:* Nec eam *minutam* sane: (Quis enim *pauxillo* pacisci velit Purpuratus?) quare non nisi *prægrandem.*

Sed solenne est Adversariis, id, in quo unus aliquando forte peccavit, ad omnes Catholicos transferre.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 176. [Op., tom. vii. col. 803. C.]

[idque sæpissime.] Serione autem hoc Cardinalis, quod *unus* modo, atque is *aliquando* tantum, idque non nisi *forte* hoc in genere *peccavit*? *Ridendam* vero assertionem, non *refellendam.* Dicamne, *solenne* id Cardinali esse, quod ab *uno aliquando vel altero peccatum* forte non est, id de omni *Cardinalium* cœtu, strenue negare? *Ver* quidem a nobis (plures enim *hirundines* hic [l]), addo, et *veritas.*

Hæc . . . inter se contraria non sunt. Rex eligebatur a populo tempore Samuelis, et, Episcopus non eligebatur a populo tempore Cypriani. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 176. [Op., tom. vii. col. 803. C.]

[De Episcoporum electione,] Ut *Rex Regnum* adeat, egere *consensu populi:* ut *Episcopus Episcopatum,* non *egere:* et inter se pugnant hæc, et cum veritate. Par enim utrobique ratio, Si, qui populo præest, 313 ut præsit, ab eodem præficiendus: Quin in *sacris* id magis, quam *sæcularibus.* Tum, si neque suffici poterat *Apostolus* in demortui locum, nisi *electus suffragiis:* magis id quidem, ut videtur, stringit in *Episcopo.* Verum id agit Cardinalis, totusque in eo est, *Populo* ut nihil juris sit in *Episcopos* vel *Clerum:* at vero quoad *Reges, id populus curet, scilicet* [m]. Peræque vero falsum in Saule, (quem *Deus elegit,* Electo *populus acclamavit,* idque ex officio, ni fecissent, *filii*

[k] [Vide Valer. Max. lib. iv. cap. iii. sect. 5. pp. 146, 147. Lond. 1819.]

[l] [Respicit vulgatum illud, Μία χελι-δὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ, quod citat Arist. Eth. Nicom. lib. i. cap. 7.]

[m] [Terent. Andr. I. 2. 14.]

Belial futuri:) atque Cypriani sæculo (tum cum esset adhuc sub *Cruce* Ecclesia) *suffragia plebis* non intervenisse, adeoque Episcopos eorum calculis allectos non fuisse. Nam id diu post durasse, testis est strages illa tot hominum, quæ insecuta est, *populi* parte altera Damasum, altera Ursicinum postulante [n]. Et id quidem *populo* permitti tum poterat in solatium sub cruce gementi, in horas singulas mortem expectanti, cui proin religio summa optimum quemque deligendi. Quodque tum magna permissum ratione, majore post sublatum est: cujus exstat testis Canon [o]: cum, pace Ecclesiæ reddita, crescente cum pace opulentia, ferverent omnia factionibus, et ad electiones fere singulas tumultuatum est.

Consensum populi fuisse necessarium ad Regis electionem, demonstrant verba (illa,) . . . 'Fecerunt ibi Regem Saul.' . . . Consensum populi adhibitum fuisse, ad testimonium ferendum de vita et moribus eligendorum . . . ab Episcopis demonstrant verba Cypriani [p].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 177. [Op., tom. vii. col. 804. A.B.]

Præsentia quidem *plebis*, apud Cyprianum, includit *Testimonium de vita*, nec excludit suffragium de persona. Ut neque verba illa, *Fecerunt Saul Regem*, quicquam aliud sibi volunt, quam illa, *Fecerunt Salomonem secundo Regem:* neque quicquam efficiunt, quam ut Regnum ei tum innovatum fuerit in Gilgal, quod prius in Mispha (Domino eligente, populo acclamante,) collatum ei fuerat: in quo, acceptandi *populo* non tam jus, quam necessitas, (quem nempe *Dominus elegerat:*) rejiciendi vero jus nullum. Quare et ante posteriorem hunc in Gilgal conventum, et *abierunt cum eo* tanquam legitimo suo principe *viri, quorum Deus corda tetigerat* [q], et Regis munia obibat [populari consensu.]

[n] ["Quo ex facto tanta seditio, imo vero tanta bella coorta sunt, alterutrum defendentibus populis, ut replerentur humano sanguine orationum loca."—Ruffin. Hist. Eccl. lib. ii. (al. xi.) cap. 10. p. 250.]

[o] [Περὶ τοῦ μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι τῶν μελλόντων καθίστασθαι εἰς ἱερατεῖον.] — Conc. Laodic. Can. xiii. [Conc. tom. i. col. 1497. E.]

[p] ["Coram omni synagoga jubet Deus constitui sacerdotem, id est, instruit et ostendit ordinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, et sit ordinatio justa et legitima, quæ omnium suffragio et judicio fuerit examinata. . . . Propter quod diligenter de traditione divina et Apostolica observatione servandum est et tenendum, quod apud nos quoque et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, et Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit."—S. Cypr. Ep. lxvii. (al. lxviii.) (al. lib. i. Ep. 4.) ad Fratres Hispanos. Op., p. 172.]

[q] [1 Reg. x. 26.]

Saul. Auctoritate enim sua exercitum conscripsit, conscripto plena potestate præfuit. Victori, quod in Mispha jam habuit regnum, in Gilgal novo ritu confirmatum. Nec vox *'facere'* ibi quicquam sonat aliud, quam innovare: ut nec vox *'Elegistis'* sequenti capite, quam, sic in Electum a Deo consentire, ut dissentire tamen si velis, nequeas; quam, ut Electioni, a Deo sic factæ, libertas nulla relicta sit dissentiendi.

In tota tamen hic re, argumenti Regii vim prudens dissi-
314 mulat. Id enim causatus Rex, plurimum merito autem causatus, quod *dolosa* hic nimium Cardinalis *statera*[r]. Si consentiat in Regem *populus*, si *consensus popularis* alicubi injecta mentio, sat in ea voce momenti erit, ut *penes populum* Regis electio, ut eligi *a populo* Regem, Cardinalis statim fidenter asserat. At mutata vice jam, eadem si vox interveniat, eadem si res, *Populi* nempe *consensus* in Episcopo constituendo, nulla in voce vis, ut eligendus ex ea Episcopus *a populo*. Ex *consensu* ibi non sequitur electio. Et en stateram dolosam. En *pondus* in *consensu*, et *pondus*, leve *pondus* ad *Episcopos*, *grave* ad *Reges* eligendos, quod in *Regibus* ad electionem ponderet, in *Episcopis* non nisi ad testimonium.

Quoniam . . . exstat publice edita 'Actio in Garnettum' plena mendaciis, et brevi exstabit responsio, . . . ad illam Lectorem remitto.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 177. [Op., tom. vii. col. 804. B.]

[Actio in Garnetum haud plena mendaciis.]

Quodsi jam, ea Cardinali mens vel frons, ut quæ pro Tribunali gesta sunt publicisque tabulis consignata, tamen *mendaciis plena* scribere non pigeat: majorem fidem Jesuitæ Siculo[s] habendam cênseat, (ex Transfugarum nostrorum, aut perditorum Civium relatione, vere *mendaciis plena*, libellum consarcinanti:) quam *Regni Archivis*, idque de re, per tot Proceres, aliosque ex omni ordine innumeros, adhuc in vivis testata; quis non plus mentis illi, minus frontis exoptet? Qui ita fidem habeat, quis ei fidem habeat? quis in reliquis, in Controversiis fidem ejus suspectam non habeat, qui cui volet, et quantum volet, credat, nec nisi volet? Credat, ubi vult, quantumvis a fide abhorreant: ubi non vult, occludat aures, obfirmet animum, quantumvis fide digna sint. Annon

[r] [Prov. xi. 1.]

[s] [Vide lib. cui titulus, 'R. P. Eudæmon Joannis Cydonii e Societate Jesu, ad actionem proditoriam Edouardi Coqui, Apologia pro R. P. Henrico Garneto Anglo, ejusdem societatis sacerdote. Col. Agr. 1610.']

merito *misit illi Deus operationem erroris, ut crederet mendacio*[t]*?* At non ab aliis hoc impetrabit, qui plus inesse solidæ fidei in *Tabulis publicis,* quam in *Jesuitastri* (nescio cujus) scriptiunculis, ne vocabunt quidem in dubium. Sed si ita stat sententia: nullam ego quidem operam sumpturus sum, quin *sine rivali*[u] credat dehinc cui volet et *mendaci,* et *mendacio.*

Quod Garnettus . . . in ipso theatro jamjam moriturus aperte pronuntiaverit, se proditionis illius conscium non fuisse, nisi in Confessione Sacramentali, testes multi, . . . unus præcipue vir gravis, . . . qui . . . prope . . . (eum) cum esset, ex ore . . . Garnetti id se accepisse mihi sancte affirmavit. Quod ego facili credidi, qui multorum annorum Garnetti consuetudine usus, optime novi summam ejus probitatem, et innocentiam, cum summa ingenii . . . eruditione conjunctam.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 178. [Op., tom. vii. col. 804. C.D.]

[Garnetus aliter quam ex Confessione proditionis pulverariæ conscius.]

De *Garnetti in Theatro jam morituri, Confessione,* illudit Cardinali *vir ille gravis,* graviter illudit, æquivoco. Nam ita quidem initio videri voluit, (*nihil sibi ea de re aliter quam sub Sigillo* constitisse[v],) verum admonitus statim, aliter sibi rem notam, non semel fassum esse se, idque scripto ejus haberi ad Regem dato: tum vero negare non potuit miser; sed *quicquid scripto suo haberetur, id vero verissimum esse*[w]*:* nec verbum addidit. Habetur autem scripto ejus, se sæpius ea de 315
re, variisque in locis, neque sub Confessione solum, sed consilii dandi capiendique causa, collocutum esse. Quærat, a *viro* suo *gravi,* hæccine ita se habeant? Si neget autem, habeat pro *levi.* Testes enim astabant tum plures, ex omni Civium ordine, sat fidei illius elevandæ. Quod enim *facile credidit* Cardinalis, facile credimus: *ὅ τις βούλεται τοῦτο καὶ οἴεται*[x], facile credidit, quod misere cupiit. Nam quod *probitatem* hominis attinet, *cui multis annis consuevit,* id est illi forte *probe Jesuitam* agere, quod nobis *improbum civem* esse. At de *ingenii eruditione,* siqua fuit, postquam Catisbeio consuevit et reliquis, et *Politicus* derepente factus est, exhalavit illi statim *eruditio* omnis, certe et *probitas* quoque.

Sigillum vero confessionis . . . posse detegi ad ingens detrimentum avertendum, modo persona confitentis reticeatur, non ignoro.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 178. [Op., tom. vii. col. 804. D.]

---

[t] [2 Thess. ii. 11.]
[u] [Hor. Ep. ad Pis. lin. 444.]
[v] [Vide Suppl. Henr. Garneti, p. 2. ad fin. Action. in eundem.]
[w] [Ibid. pp. 2, 3.]
[x] [Demosth. Orat. Olynth. III. § 22. pp. 33. 34. Reiskii.]

[Sigillum Confessionis in quibusdam casibus potest detegi.]

Sed bene habet, quod *non ignorat* jam Cardinalis, *Sigillum Confessionis suæ Sacramentalis posse detegi, ad ingens detrimentum avertendum, modo persona confitentis reticeatur.* Nam hic *ingens detrimentum* fuit, quod *averti* opus, et *persona reticeri* poterat. Cur ergo sigillum detectum non est? Instaret enim Rex, urgeret etiam de persona detegenda, rapiendus autem in vincula Garnettus, exquisitissimis tormentis de eo quæstio habenda. Nihil opus. Non convenisset ipse Regem: per literas suas e latebra sua monuisset, idque de re modo, *persona* præterita, qua ad Regem præterita, qua ad se præmonita, ut mature se aliquo subduceret. At si comprehensus Garnettus? At, ne comprehendi posset igitur, ut extra aleam omnem esset, trajecisset aliquo, vel in Belgium. Ac vel in maris trajectu, ex ipso tum portu, vel inde e Belgio post trajectum, scelus indicasset, ubi periculum nullum jam vinculorum vel quæstionis. Quam facile factu hoc, viam inire, de re sine personis revelanda, nec ullo cum periculo suo, si in Garnetto bona mens, si serio *detrimentum avertere*, si tantum *personam reticere* voluisset, si non *confectam* rem, quam *detectam maluisset?*

[Garneto rem detegenti Rex condonasset.]

Ea quidem Regi a natura indoles est, is perpetuo mos fuit, quod, quis ei ex conscientiæ stimulo ultro de se unquam confessus est, ut semper impune tulerit, nec fraudi id cuiquam fuerit. Parcere amat rem candide proferenti. Sæpe id ab eo factum et multis, nec ex eo quis in discrimen adductus est, quod crimen ad eum, vel in caput suum, ex sceleris detestatione detulisset. Idem et Garnetto futurum fuit, cui certa veniæ spes, si aperte et ingenue Regi *rem aperuisset.* Fecisset, si quicquam in eo bonæ mentis fuisset, seque et reliquos una conscios, qua post luebant, capitis pœna liberasset. Quanquam, quæ de illo spes, si extra *quæstionis* metum omnem positus fuisset, (fassurum fuisse rem, aut quicquam bona fide facturum,) quem constat orasse et privatim apud se, et vero publice pro concione, etiam Missis circa id tempus solito devotius ac diligentius incubuisse, nec alium in finem, quam ut felix pulveri incendium, id est, exitum sceleri secundum impetraret?

316

Licet . . . proditionem in sacramentali Confessione cognitam verbis generalibus Christiano et pio Principi aperire, ut remedium imminenti malo paret, quia pro comperto habetur, eum Principem nihil ultra fas interro-

gaturum: sed Principi a vera religione aliena, qui sigillum Confessionis divinitus imperatum irridet, et quem satis constat non passurum, ut persona confitentis lateat, nullo modo licet.—[Bell. Apol. pro Resp.] pp. 178, 179. [Op., tom. vii. col. 805. A.]

Bene et illud, *Licere proditionem in Sacramentali Confessione cognitam verbis generalibus Christiano et pio Principi aperire, ut remedium imminenti malo paret.* Quod *licuit ergo,* cur factum non est? In mora *Princeps,* vel *non Christianus,* vel certe *non pius.* Ergone si *non Christianus, non pius,* pulvere difflandus? *licetne* in hunc tam infandum scelus, quod in alterum non *licet?* Plurimum merito, dices. Nam si *ultra fas interrogasset, nec passurus latere personam confitentis.* Quodsi ergo non *interrogaret,* quodsi *personam latere pateretur, licet et illi.* At absentem ultra mare *interrogare* non poterat; et *passurus* erat *latere* tum, quæ non poterat *interrogare.* Omni ergo modo *probitatem* illam desideramus in Garnetto, qui proditionem aperire noluit, cum *latere* posset, et eo loci conferre se, eo se loco ponere, ubi de *persona* non posset *interrogari.* [Nec ultra fas interrogasset.]

Christiano et *pio,* aperire sinit. Id vult dicere Cardinalis, nisi quis ex sententia illi sit *Christianus* et *pius; Christianus* ex *Curiæ Romanæ* Symbolo, Pius ad Pii quarti pietatem; non posse in illius gratiam detegi; illi nefas summum Sigillum aperire; Sigillum, erga illum, omnis nequitiæ atque proditionis velamentum est. Neque *ridet Sigillum* Rex, *ridet* tamen, qui in eum finem dixerit *divinitus imperatum.* Pergratum vero fecisset, si quo loco *imperasset* id Deus (ut nimirum horrendas proditiones obsignaret), non *celasset* nos, qui ex alius imperio exsculptum scimus sigillum illud, quam Dei. Sit salvus Sigillo honos suus; sed erga pœnitentes, nec pergentes in scelere. Quo vero tam immania scelera tanquam involucro teguntur, non Dei, non Christi, Satanæ sigillum est, et Antichristi. [Rex Sigillum non ridet.]

Quia leges prohibent recipere [Sacerdotes] Catholicos, . . reconciliari cum Ecclesia Catholica, . . . interesse Missæ: jubent præstari juramentum de primatu Regis [in spiritualibus], vel . . . suscipi juramentum de non curanda excommunicatione . . Pontificis, et alia . . . multa, quæ ad religionem pertinent, . . . merito dici possunt . . . supplicio affici propter religionem, qui propter transgressionem ejusmodi legum . . . supplicio afficiuntur. —Bell. Apol. pro Resp.] p. 179. [Op., tom. vii. col. 805. B. C.]

Sævitiæ opinionem a *Rege* amoliri, nihil opus: sed nec a *Regina* defuncta, nisi vos clamatores odiosi ac molesti finem [Quare 317

leges in Romanenses latæ,] *calumniandi* nullum faceretis. Prohibent forenses Leges, apud nos, *hospitio recipere sacrificos* vestros, *prohibent* vobiscum *reconciliari*, vel *Missæ interesse*. Non id ita quidem semper. Annos plus viginti accessus huc liber *sacrificis*: nec *sacra* more vestro procurare, ita, ut jam, capitale. Rei ejus ratio sæpe nobis reddita. Tum demum, cum exploratores hic Pontificis esse cœperunt, jussi Regno excedere, nec deinceps intro huc pedem ferre. Sed neque *reconciliari* vobis permissum, postquam compertum *reconciliare* hoc vestrum, haud aliud quid esse, quam partem vobis facere, Regia fide solvere, vobis addicere. Partem dico, quæ quidem pacatis rebus nihil moveret; ubi exorta seditio, ubi bellum externum ingrueret, secessionem ad vos faceret, copias suas cum hoste conjungeret. Postquam, uno anno (quod tamen Campianus gloriose mentitus) *decem millia* ad partes vestras aggregata. Etiam, ad *Missas* vestras angulares magna conniventia; dum, quod *Sacramentum pietatis* esse debebat, id quoque compertum *vinculum iniquitatis* esse. Non ergo (qua *Sacerdotes*) *arcentur* hic lege ulla Curiata, sed (qua *exploratores*) ut qui *faces* sint et *flabella ad seditionem*, interim dum pertusam Regi reddunt subditorum fidem, dum alienos ab Illo reddunt, addictos Pontifici. Nam quid? postquam Boreales turbæ hic a Pio V. concitatæ, exauctorata statim Regina [y], eccui dubium esse poterat, hostili vos animo in Eam, in nos esse? Postquam signa Pontificis et manipuli in Hiberniam expositi [z], postquam aperto Marte res ibi gesta, eccui dubium tum quoque? Pontifex, si *hostis*, (et *hostem*, uti vides, se argumentis multis declarat, interna rebellione, externa invasione), et illi, quos summittit huc, manipuli Sacerdotum, (homines illi devotissimi,) annon *hostium* loco habendi? præsertim, qui rogati sæpe, si exercitum Pontifex in Regem duceret, utri faverent, *Regi*, an *Pontifici?* cum *Pontifice* futuros se, ab illo staturos, responderint. Ecquis tandem Rex, qui peregrinæ potestati faveant, imo dediti ac plane devoti sunt, qui subditos suos in partes adversarias pertrahant, sinat in sinu suo nidificare: non caveat Edicto, ne illis ad ditiones suas accedere, ne inibi hospitari integrum sit? *Reconciliare* vero, quod est, hostium
318 partes augere, suas labefactare, hosti milites conscribere, quis

[y] [Vide Camdeni Annal. ad ann. 1569. par. i. p. 166.]

[z] [Camdeni Annal. ad ann. 1579. par. ii. p. 302.]

ferat? Non ergo *in religionem* feruntur leges. Nec enim *religionis* illis res sola est, vel prima: prima (si non sola), ne subditi integra sint fide in Principem, vel Rempublicam, ab hostili nutu pendeant, signo dato, a Rege deficiant.

Qui plectuntur, quia Sacris Ordinibus in transmarinis Regionibus initiati sunt, . . . nonne propter religionem plectuntur? nonne sacri ordines ad religionem pertinent?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 179. [Op., tom. vii. col. 805. C.]

Nec quisquam hic plectitur, *quia in transmarinis partibus initiatus*, sed quia, in iis partibus ubi initiatus, jussus subsistere, nec huc convolare, ut agat hic exploratorem, spreta tamen Lege, per fas nefasque huc se infert. *Sacri ordines ad religionem pertinent:* ob *sacros Ordines* non plectuntur. *Religionis* procurandæ causa, ingressus illis non interdicitur: sed *rebellionis* ciendæ. *Religio* rebellioni prætexitur. Lex nulla in *religionem* fertur, sed in id, cui *religio* prætextui est; id autem est, pertentatio animorum, subversio domorum in quas, personarum a quibus, recipiuntur. Neque *jubetur* vestrum quis *de Primatu Regio juramentum suscipere*, (adeo non sævitur in vestros) sed nec de *non curanda Excommunicatione Pontificis sui*. *Curent*, qui volent illam, sed una *curent* officium suum in Regem, ac Regni communitatem: illam in Sacris *curent*, dum et hanc in Civilibus. Neque, si excommunicare libeat Pontifici, sibi licere putent a fide discedere, vel Regem habere pro non Rege. Sacræ communionis solvit forte, (nec id usquequaque tamen) naturæ, vel politiæ, vincula non solvit Censura. Potest (credo) consistere sacris cultus et *cura* sua, absque fidei civilis incuria, addo autem et injuria. [et præcipue in Sacerdotes.]

Parum . . . refert ad martyrium, utrum quis occidatur quia Christianus Catholicus est, an quia legem transgressus est, quæ jubet fidem Catholicam abjurare. Nam Imperatores Pagani Edicta proponebant, ne cui liceret Christum Deum confiteri.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 180. [Op., tom. vii. col. 805. C. D.]

Aliud vero longe, *Edicta proponere, ne cui liceat Christum confiteri*, quam *ne cui, hostis hic rem agere*, ne quis ad illius partes numerum aggregare. Quodsi tam infidi fuissent *Paganis Imperatoribus Christiani*, quam vestros homines sæpe jam Britannia nostra, non sine periculo suo, experta est; si Albinianis favissent, vel Nigrianis, imo si Albinianos dedis- [Quod proditores essent.]

scnt, vel Nigrianos[a]: non immerito arceri poterant, et circumscribi, ne ita passim miscerent se populo; ac illi sese tum (credo) non inviti continuissent. At illi, ut in Christum fide summa, ita et in Cæsares fidelitate, nusquam aut seditionis rei, ut Mortonus[b]: aut invasionis, ut Sanderus[c]: aut dispositionis ad invasionem, ut Campianus hic vester[d]. Vestri autem quales in Deum, non libet referre. Stent Deo vel cadant. Tales vero in Principes patriamque suam, ut opinione
319 omnium justissimam occasionem dederint, quæ latæ contra eos sunt, leges ferendi. Et hos tamen *Martyres* invita religione cluere oportet, et in *Fastos* referri: referri autem a Sandero, (qui in rabiem primo versus, quod seditio ei non succederet, cæsus ipse tandem est in actu perduellionis[e]). Dignos vero Martyres scriba hoc: dignum scribam hunc his Martyribus.

Sic etiam Pagani principes, quicquid sceleris publice agebatur, Christianis imputabant. . . . [Certe pulverariæ conjurationis odium in Jesuitas conversum est,] cum neque Jesuitæ, neque ullus Sacerdos [*leg.* ex numero Sacerdotum] particeps ejus conjurationis fuerit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 180. [Op., tom. vii. coll. 805. D. 806. A.]

[Hoc crimen iis vere objectum.] Nec par est, Paganorum olim in Christianos, et quæ in vestros jam homines incurrit, imputatio. Ne species quidem in Christianis seditionis ulla, immanis solum in Paganis libido sæviendi, noxios fecit. At vestri quid habent simile? Ut omittam, qui in Reginæ exitium toties conspirarunt, Watsonus et Clercus nuper in ipso scelere deprehensi, quia Jesuitæ non erant, quia Jesuitis nonnihil infesti, patrono carent. Pulverarii sceleris auctores, quia Jesuitæ participes criminis, non carent. Pulverarii vero sceleris partem suam capere oportet, præter duos illos[f], quibus contigit esse Martyribus, Greenwellum (caput in tota procuratione), Gerardum quoque, etiam Personium, quantumvis rem detrectet Cardinalis.

Ex Sandero . . . et Philopatro, . . . constat . . . plurimos, tum Clericos, tum Laicos, solius religionis [Catholicæ] causa necatos fuisse, ut mirum sit

[a] [Vide Tert. ad Scap. cap. ii. ut citat. supra, p. 420. not. [k].]

[b] [De Mortoni in Angliam adventu vide Justit. Brit. p. 25. Lond. 1584. et Camdeni Annal. ad ann. 1569. par. i. p. 168.]

[c] [Vide Camdeni Annal. ad ann. 1579. par. ii. p. 302.]

[d] [Vide libellum, cui titulus, 'A particular declaration or testimony of the undutiful and traiterous affection borne against her Majesty by E. Campion,' &c. 1582. sign. B. iv.]

[e] [Fame periit, ut habet Camdenus apud Annal. ad ann. 1583. par. iii. p. 372.]

[f] [Garnettum, sc. et Oldcornum. Vide Ribad. Catal. Script. Soc. Jesu, p. 377. Antv. 1613.]

Regem ea scribere voluisse, quæ ex ipsis subditorum suorum . . . scriptis refutantur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 181. [Op., tom. vii. col. 806. A. B.]

Apud prudentes vero haud quisquam est, qui ullo numero habeat, vel Sanderi[g] quisquilias illas, vel Philopatri[h]; qui modis omnibus, toties Philippum Patrem, filium quoque εἰς φιλην πατρίδα irritavit; Sanderi autem, qui armatus inter legiones venit, ut patriam pessundaret. Hosne Cardinalis narret *Regis subditos*. Quam *subditos perfidos*, tam *infidos historicos*. Nemo enim hic capite luit, cui non, præter *religionis* suæ causam, noxa altera capitalis. [Plurima falsa narrant Sanderus et Philopater.]

Marianis vero temporibus, quod hic macellum fuerit, quam in omnem sexum atque ætatem sævitum, adhuc in vivis sunt, qui spectatores erant, et per ætatem meminisse possunt. Fictioni hic locus non est. Nescit vero Cardinalis mores illorum: nimis notum, quam immiti ingenio fuerint, ac truculento Bonerus, Gardinerus, Storeus, reliqui, qui rerum tunc summæ præerant; quam procaciter abusi Reginæ indole, Principis non malæ, sed illis nimis credulæ. [Quanta regnante Maria sævitia.]

Hanc omnem tragœdiam excitari propter unius meretriculæ obstinationem, quæ . . . gravidam esse se nunquam fateri voluit . . . . . ex cujus alvo prodiit, non infans, sed informis . . . caro, quam in ignem fuisse conjectam mirandum non est, quemadmodum vere mirandum et execrandum esset, si vivus infans prodiisset.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 181. [Op., tom. vii. col. 806. B. C.]

Tragicum autem illud, de quo non *excitari* modo, sed *agi* posset *Tragœdia*, de rejecto in ignem infante, et cum Matre concremato, tale est, ut etiam Cardinalis ipse *vere mirandum* dicat et *execrandum*. Mulier vero, nupta, ex viro suo *gravida*, saltem quæ *hoc prætexere nomine culpam*[i] poterat. Vix autem (credo) reperias, quæ *Meretrix* sit, ut ignem libenter adeat. At quid opus *gravidam fateri* se, quæ uterum ferret, et vicina jam partui esset[j]? Res ipsa in promptu satis. Quanquam et *Confessario* rem fassa, et rejecta tamen est[k]: Prodiit vero, non mola, sed fœtus formatus, puer mas. 320

Scio etiam . . . pro fabula haberi, conficta . . . a Foxio. . . . Consulat Lector Hardingum, . . . et [*leg.* vel] Auctorem triplicis Conversionis.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 181. [Op., tom. vii. col. 806. C.]

---

[g] [Vide Nic. Sanderi Hist. Schism. Anglic. lib. iii. ann. 1582. pp. 310. 323. Col. Agr. 1628.]

[h] [Vide And. Philop. (i.e. R. Parsons) Respons. ad Edict. Regin. Angl. sect. iii. num. 217. p. 266. Romæ 1593.]

[i] [Cf. Virg. Æn. iv. 172.]

[j] [Vide Foxii Acta et Monumenta, lib. x. pp. 1943—1948. Lond. 1583.]

[k] [Ibid. p. 1947. col. 2.]

Miretur ergo factum, et *execretur* Cardinalis. Vera enim ea Historia, non *fabula* fuit. Actis ipsis Insulæ illius contestata, res nota. Superstites etiam non ita pridem, qui oculis usurparunt. Rem gestam nec Hardingus negat, nec Personius[l]. Adhibuit periculum Hardingus[m], etiam personati nescio quid Personius. Neuter quicquam effecit, quam ut infamia magis etiam hæreat, longius propagetur. Regio enim diplomate, venia Judici de cæde facta, et cædis ministris[n]. Ne vero *illos consulat* Lector. Adeat Registrum, percontetur Insulam totam[o], ubi ea res, ejusque fama, etiam senibus puerisque pariter notissima. Interim de nobis sileat Cardinalis. Edidit hic nihil simile ei aut secundum[p] severitas nostra. At illorum, vel ipso confitente, *facinus hoc execrandum.*

[l] [Vide libellum a R. Personio conscriptum, cui tit., 'Three Conversions of England,' par. iii. (the last six months;) pp. 91—101. s. l. 1604.]

[m] [Vide libellum ab Hardingo Conscriptum, cui tit., 'A Reiondre to M. Iewel's Replie against the Sacrifice of the Masse,' fol. 184. Lovan. 1567.]

[n] [Vide Foxii Act. et Mon. pp. 1945, 1946.]

[o] [Sarniam, sc.]

[p] [Cf. Hor. Carm. I. xii. 18.]

Ad Caput Decimumquartum.

Excutitur peroratio Regis.—[Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 806. C.]

Defenditur peroratio Regis.

Videtur . . (admonitio illa) sacris Evangeliis prorsus esse contraria. Christus enim in Evangelio nusquam Principes seculi Vicarios suos facit, nusquam illis mandat Evangelii plantationem, vel propagationem, nusquam libertatem spiritualem cum temporali conjungit, ut . . . principes liberi in temporalibus, liberi sint etiam in spiritualibus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 182. [Op., tom. vii. col. 807. A.]

Perorare Regi visum ad Principes, de concessa eis a Deo libertate in commune vindicanda. Ubi, de *Evangelii* primum *propagatione,* tanquam *Dei Vicarios,* hortatur serio cogitare. Et nihilne præstare tenentur Reges ad *propagationem Evangelii?* Reclamat Cardinalis, *Sacris Evangeliis contrariam. Nusquam enim in Evangelio Reges appellari Vicarios Christi: nusquam mandari illis Evangelii propagationem, nusquam ut libertatem spiritualem cum temporali conjungant: ut, qui in temporalibus sunt, in spiritualibus quoque sint liberi.* Ubi, inepte primo rem revocat ad Evangelia, Evangeliis ipsis longe antiquiorem: sub Lege (scilicet,) et Prophetis, diu ante scripta Evangelia, sancitam. Regibus enim, et tituli dati, et munus definitum, multo ante quam Evangelia scriberentur. Ut, tametsi neutrum exstet in Evangelio, constet tamen: multum autem absit, ut (quod Cardinalis ait) *Evangelio sit contrarium.* Aliud enim, *in Evangelio non esse;* aliud, *Evangelio contrarium esse.* Permulta in Veteri Testamento sunt, quæ in Evangeliis non reperias, nec illa tamen *Evangeliis contraria.* Legas in Lege, *Deos*[a], nempe vicem Dei gerentes, legas *Christos Domini*[b] et *Pastores populi.* Nec abrogavit illis

[Reges Vicarii sunt Dei,]

321

[a] [Ps. lxxxii. 6.]

[b] [1 Sam. (al. Reg.) xxiv. 6.]

titulos hos Evangelium. Manent etiamnum; et *Vicarii Dei*, et *Christi Domini*[c], et *Pastores populi* merito indigetantur. Josuæ vero principi *Ovile* olim suum commisisse legas, *ne sint sicut oves sine pastore*[d]. Tum Davidi Regi, cum diceret, *Tu pasces populum meum*[e], &c. Ut et Petro sua *ovium* cura sit, et Davidi sua. Religionis illis curam commisit, qui, non *Secundam* modo *tabulam* de moribus, sed et *Primam* de Religione, illorum custodiæ mandavit; qui, *Excelsa non sublata*[f] vitio illis vertit. Eam autem in Evangelio curam non revocavit. Nam quæ *Lex libertatis*[g] est, et spiritualis, Evangelium, ad Reges quoque commeavit: ne (quod non nolle videtur Cardinalis) *temporali libertate* gaudeant Reges, remaneant sub *spirituali servitute*.

> Sed Apostolis, qui Reges et Principes temporales non erant, dixit, ... 'Euntes docete omnes gentes, baptizantes,' &c. . . . Petro vero Apostolorum primo, non Tiberio Principum temporalium primo, ovile suum commisit. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 183. [Op., tom. vii. col. 807. A. B.]

[ad res Ecclesiæ exteriores dirigendas.]

Et illa (quæ ibi post congerit ex Evangeliis, de *prædicando, docendo, baptizando, peccata remittendo,* Petri more *pascendo,* vel *regendo* Ecclesiam) nihil ad rem omnia. Nihil enim horum sibi vindicant Reges Christiani, non magis, quam sub lege, *sacrificandi munus, incensum adolendi, circumcidendi, Legem e Cathedra explicandi, Sacerdotum* vel *Pontificum ritu Synagogam administrandi. Pastione Petri* non pascunt; sed alia (diu vel ante natum Petrum) illis in Davide commendata. Prius enim *Reges Pastores* in Sacris literis appellati, quam *Sacerdotes:* prius, et sæpius. Etsi autem subinde ista per calumniam Regi impingi solent; tamen novit Cardinalis, missa hæc facere Regem, litem de istis non movere. Quin, de potestate conventus indicendi, leges sacras sanciendi, excelsa diruendi, serpentem æneum comminuendi, rerum, hominum abusus tollendi. Quæ cum ab antiquo olim *Regii* juris essent, juris prisci, sub Lege: quo minus, et sub Evan-
322 gelio sint, non explicat Cardinalis, ne conatur quidem explicare: sedulo probat, quod non negatur a quoquam; quod negatur, nec attingit. De eo tamen mihi monendus, ut cautius ista parciusque subinferat, de *prædicando,* et *docendo,*

[c] [Ps. lxxviii. 71.]
[d] Num. xxvii. 17.
[e] 2 Sam. [al. Reg.] v. 2.
[f] [1 (al. 3) Reg. iii. 23; 2 (al. 4) Reg. xii. 3, et alibi sæpius.]
[g] [Jac. ii. 12.]

quæ jamdudum nihilo magis facit Pontifex, quam Princeps quivis Sæcularis.

Apostoli . . Petri Successores . . . Pontifices esse, docent antiquissimi Patres. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 183. [Op., tom. vii. col. 807. B.]

Qui *Petri Apostoli* proprie *Successor* dici vult, *Apostolus* sit oportet. *Successor* enim *Apostoli Apostolus*, non *Pontifex*: et *Pontificis Pontifex*, non *Apostolus*. Differre enim ista inter se, id argumento est; quod, ante Consecrationis suæ solennia, in literis *Datam apponit, suscepti a nobis Apostolatus officii anno primo*[h]: post solennia vero, *Pontificatus nostri anno primo*. Ita, absorbet *Apostolatum Pontificatus*. *Apostolus* est, nondum sacratus, et brevi tempore *Apostolus*; sacratus vero, *Pontifex*, idque in perpetuum. Quasi *Apostolatus* minus quiddam sit, quam *Pontificatus*. Non enim in pejus procedit, (ut speratur,) sed de bono in melius: nec *proprie succedere Petro, ut Apostolo*[i], dixit alicubi Cardinalis ipse. *Quod* autem *non dicitur nisi improprie, simpliciter negari potest*[k]. [Episcopi vero Apostolorum successores.]

Patres vero illi *antiquissimi*, de inchoata ibi per Petrum, in Lino, vel Clemente, (*nutat* enim de eo *mundus*[l]) Episcoporum serie, verba faciunt: (quod nihil ad rem Cardinalis, neque negatum a nobis). *Pontificatus* ipse *Apostolatu* major, eumque quasi lamellam in cæpe complectens, ignotus illis. Sed neque Successores Apostolorum agnoscebant, præterquam quomodo Episcopi per Orbem terrarum omnes Apostolis succedunt: intervallo longo, minore multo et gradu, et potestate. Qui et ipsi Summi Pontifices sunt: Quorum et munus *Apostolatus* est apud Patres.

Videat . . Rex, dum Principes temporales liberos facere nititur ab obedientia Pastorum Ecclesiæ, ac super ipsam Ecclesiam constituere, ne captivos Diaboli faciat, et ab Ecclesia excludat.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 183. [Op., tom. vii. col. 807. C.]

Videat ergo Pontifex, dum *liberum se facere nititur a subjectione divinæ ordinationis*, (de qua tam diserte Petrus[m], atque adeo Paulus[n] monuerunt,) *ac super, non Ecclesiam modo, sed Regna quoque mundi se constituere; ne Captivum se* [Rex non supra Ecclesiam.]

[h] Cæremoniale [i. e. Sacrarum cæremoniarum Lib.] lib. i. [sect. i. cap. vi. fol. 12. b. Venet. 1582.]

[i] [Bell.] de [Rom.] Pont. [lib.] iv. [cap.] 25. [§. 'Respondeo.' Op., tom. i. p. 230. G.]

[k] [Bell.] de Imag. [lib.] ii. [cap.] 21. [§. 'Secundo.' Op., tom. ii. p. 456. A.]

[l] [Respicit illud de Clemente quarto,— "Nutat adhuc mundus, sit quartus, sitne secundus."]

[m] [1 Pet. ii. 13.]

[n] [Rom. xiii. 1.]

Diaboli faciat, cujus, qui ita se evehunt, captivi sunt; neve Antichristi in sede sedeat. Nam Rex non aliter *liberum se facere nititur*, nec alio loco consistere, nec quicquam vel tantillum vindicare sibi in Ecclesiam: quam, quod olim David, Josaphat, Ezekias, Josias; quos ille certo scit *Diaboli captivos* non fuisse, nec *Ecclesia exclusos*. Certius id autem multo, quam *Papa*, de Hildebrando [o], Rolando [p], Inibaldo [q],
323 qui et grassati sunt in Cæsares, et in Ecclesias Tyrannidem invexerunt.

Quicunque . . . in Ecclesia . . . sunt, aut Pastores aut Oves sunt. Oves autem pastoribus subditas esse debere, non scriptura solum, sed . . ratio ipsa demonstrat.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 183. [Op., tom. vii. col. 807. C.]

[Rex simul pastor et ovis.] Illud autem de *Pastoribus* et *Ovibus*, quoties allatum, toties rejectum: sua nempe ratione *Pastores*, sua alia *Oves* esse, tam *Pontifices*, quam *Reges*. Tam de populis dicitur, *Oves esse eos sine Pastore*, ubi *Rex* nullus: quam ubi nullus *Apostolus*. Rex, et *Ovis* est et *Pastor*; Pontifex itidem. Rex *Ovis*, ubi verbum audit, ubi Sacramenta percipit, ubi ligatur, vel solvitur. *Pastor* est; ubi Synodum cogit, Canones confirmat, abusus corrigit, rationem exigit officii sui, vel a *Pontifice*. Pontifex *Pastor*, dum prædicat, baptizat, Eucharistiam porrigit, peccata vel remittit vel retinet: Idem *Ovis*, dum rationem reddit, ut Pelagius Childeberto [r]: dum mandata accipit, ut Gregorius a Mauritio [s]; dum obedientiam profitetur, ut Leo quartus Lothario et Ludovico [t]: dum abdicatur munere, ut tres Antipapæ, ab Henrico tertio [u]: dum increpanti paret, ut Jehoiada Joaso [v]: dum mandatum non prætergreditur, ut Zadoc Salomonis [w]: dum Regem *Dominum*, se *servum* agnoscit, ut Ahimelech Saulis [x]: dum exauctoranti paret, ut Abiathar Salomoni [y]. Qua *Ovis*, agnoscet *Pastores* suos Rex; agnoscat et Pontifex suos; cedat, inque vicem subdat illis se, *ut non Scriptura solum, sed ratio etiam ipsa demonstrat*. Qua *Pastor* Rex, jure suo utetur; admonitus a Jure Canonico vestro, cujus Decretum est: *Sive augeatur pax et disciplina*

[o] [Greg. VII.]
[p] [Alex. III.]
[q] [Seu Sinibaldo, sc. Innoc. IV.]
[r] [Vide Pelagii Papæ I. Epist. xvi. Ad Childebertum.—Conc. tom. v. col. 803. A—C.]
[s] [S. Greg. Mag. lib. iii. Ind. xi. Epist. lxv. (ad Maurit. August.) Op., tom. ii. col. 677. B. C.]
[t] [Vide Baron. Annal. Eccl. ad ann. 847. num. xi. tom. x. col. 55.]
[u] [Vide Plat. in Vita Greg. VI., in Vitis Pontif. p. 169.]
[v] [2 Chron. xxiv. 6. seq.]
[w] 2 Chron. viii. 15.
[x] 1 Sam. [al. Reg.] xxii. 12. 15.
[y] [1 (al. 3) Reg. ii. 27.]

Ecclesiæ per fideles Principes, sive solvatur; Ille rationem ab eis exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit[z]. Principes vero *Pastores* a Deo institutos, nec (ut Lutherus non inscite) *in stabulo vaccarum,* sed in *Ecclesia ovili suo,* paulo ante monstravimus: neque Cardinalis ipse negare potest. Quodsi Josua, Judices, David, Pastores: restat ut Eleazar, Phinees, Abiathar oves sint. Et se *filium Ecclesiæ* Rex agnoscit; *Ecclesiæ,* (dico,) non *Pontificis* et *Ecclesiæ,* non *Curiæ Romanæ;* (eumque illi honorem defert, non illibenter, quem Salomon Bathsebæ matri;) sed, ita *filium,* ut cognoscat *Deo se debere reddere rationem* propter *Ecclesiam,* quam a Christo tuendam suscepit. Nec se aliter esse supra Ecclesiam, quam uti *Nutricius*[a] vel *Tutor;* ut eam scilicet nutriat, atque tueatur. Caveat vero Pontifex, ut contentus sit *Mitra* sua. *Regnum* ergo exuat. Et *Clavibus, Gladio* se non accingat, quod fecit Bonifacius octavus[b]: *gladium* ne distringat, quod Julius secundus[c]. Tum super Cathedra sit, unde doceat: non *Solio,* unde pedes osculandos porrigat. Etsi *de Gente Sancta* 324
sit, et Regale sibi Sacerdotium vindicet[d]; audiat tamen Petrum, cujus se *Successorem* dicit, et *Subjectus sit Regi tanquam præcellenti*[e]; cum *hæc voluntas Dei sit*[f]. Audiat et Paulum (quem vel Petro præponit in Bullis;) et, si *animam* habet, *Sublimiori potestati*[g] (*gladium portanti*[h], *vectigalia recipienti*[i]) *subditus sit,* subditum se agnoscat. Nam et *potestas illa pervigilat, et redditura Deo rationem est, de Ecclesia, Ei, qui potestati ipsius Ecclesiam suam tradidit.*

Mediam prope partem orbis Christiani in suam religionem consentire, . . . si per religionem suam intelligat omnes sectas . . . a Catholica fide discordes. Plurimi enim sunt ad Orientem et Meridiem Nestoriani, Dioscoriani, Jacobitæ, et similes : . . . . ad Occidentem et Septentrionem Hussitæ, Lutherani, Zuingliani, &c.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 184. [Op., tom. vii. coll. 807. D. 808. A.]

Orbis Christiani pars prope media ita saltem unam in pro- [De consensu doctrinæ inter Reformatos.]
fessionem aggregata est, ut *exierint e Babylone* jam; ubi vix

[z] [Decret. Par. ii.] Caus. xxv. [leg. xxiii.] Q[uæst.] v. Can. xx. ['Principes sæculi.'—Corp. Jur. Can. tom. i. col. 1345.]
[a] [Es. xlix. 23.]
[b] [Plat. in Vita Bonif. VIII., in Vitis Pont. p. 246.]
[c] ["Noster uterque stringendus est gladius," &c.—Julius Papa II. apud Æl. Ant. Nebriss. de Bello Navar. lib. i. cap. 3. fol. lxxvi. a.]
[d] [1 Pet. ii. 9.]
[e] [Ibid. ver. 13.]
[f] [Ibid. ver. 15.]
[g] [Rom. xiii. 1.]
[h] [Ibid. 4.]
[i] [Ibid. 6.]

alter alterum intelligit, præ *æquivocante* hac nova *linguarum confusione*: ubi *Meretrix sedet*, quam, *quæ cum ea fornicatæ olim Nationes*[k], jam despuunt. Ex eo, non jam vestri, nec vobis annumerandi, nec (ut diu) vestro *Meretricis* calice fascinati. *Religio* nobis *Secta* non est, neque potest *Religio* esse *Secta*. In *Religione* Sectæ esse possunt. Et vide, ne vobis sint, inter quos tam multæ *Sectarum* notæ. Qui vero per *Orientem* Christiani sunt, nihilo minus *Christiani* sunt, vel *Catholici*, quod *Apostolum XIII*[um]. non agnoscant. Fastu vestro ita disjecti sunt; per fastum vestrum fit (quod Nilus diserte docet[l]), ne denuo coalescant: non enim, nisi Humilem Gabrielem, reciperetis ad vos quenquam, qui *Papam Quintum Evangelistam* agnoscat, Papatus doctrinam *quintum Evangelium*[m]. Nestoriani titulum ejus ferunt, cujus rem negare perhibentur. Jacobitas quam vero vos utrisque ulnis accepistis in Humili Gabriele? qui tamen fucum vobis fecit, (merito autem) æquivoce se vestrum profitendo. Nobis vero in votis est, ut et illis, et omnibus, qui Christi nomen non erubescunt, Synodi alicujus (si id fieri possit) interventu, alioqui mutua per internuntios collatione, daretur unum per omnia sentire. At de nostra hac Orbis parte id dixit Rex, ubi, quam inter nos conveniat, ex *Harmonia Confessionum*[n] (quam suo quæque nomine Ecclesia edidit) videt Cardinalis invitus, etsi nolit videre: in qua, quotquot unum sapimus, alteri alteros (ut par est) agnoscimus. Illa, a vobis, in odium conficta nomina, protrita jam sunt; quæque nemo agnovit pro suis. Mitte illa: in *Confessione Sectam* quære.

Si vero pro suis non agnoscit, nisi Calvinianos mistos, Puritanis . . exclusis, nescio an mediam partem Regni sui numerare poterit, in iis, qui religioni suæ consentiunt. — [Bell. Apol. pro Resp.] p. 184. [Op., tom. vii. col. 808. A.]

---

[k] [Apoc. xvii. 2.]

[l] ["Quænam igitur tandem est hujus dissidii causa? Quod scilicet quæstio controversa communi Œcumenicæ synodi decreto non sit confirmata, quod ejus solutio explicatioque non fiat ex veteri Patrum in ejuscemodi negotiis consuetudine, sed quod Romani quidem magistrorum in hæc quæstione partes sibi sumunt, alios vero instar discipulorum dicto audientes habere velint." — Nilus de Prim. Papæ apud Goldasti Monarch. tom. i. p. 30.]

[m] ["Humilis Gabriel Dei gratia famulus sedis Sancti Marci in urbe Alexandrina Ægyptia . . . septimus Patriarcharum . . salutem impartitur . . tertio decimo Apostolorum . . . et quinto SS. Evangelistarum." — Epist. Patriarch. Alexand. ad Clem. VIII. apud Baronii Ann. Eccl. tom. vi. in Appendice de legatione Eccl. Alex. col. 906. E.]

[n] [Vide lib. cui tit. 'Harmonia Confessionum fidei Orthodoxarum et Reformatarum Ecclesiarum,' &c. — Genevæ, 1581.]

Putidum enim illud de *Puritanis* convicium, qui nec multi sunt, et de eis, qui ad sobrietatem hic inter nos sapiunt, in eandem Religionis Confessionem, eadem Capita, dicto scriptoque omnes consentiunt. Nam de *anomalis* inter eos, (sunt enim et *anomali*) non est animus affirmare. Et *æquivocus* hic Cardinalis, qui, siquis *cæremoniolam* non probet, si abundet in sensu suo,[o] (ubi nefas nullum abundare,) statim *Religionem aliam* clamitat: quasi, siquis qui *indirectam* cum illo *Pontificis potestatem*[p]; quive *Concilium supra Papam*[q] tueatur, *alterius religionis* faciat, ab iis, qui *Papam supra Concilium*[r], ab iis, qui *directum dominium habere,* cum Baronio[s], Bosio[t], Marta[u] mordicus tuentur. Valde autem sibi placet in *Calvinianis mistis,* et *Puritanis.* Ne tamen insolescat hic nimis: et nobis perinde facetis esse liceret, si liberet dicere *Papistas* plerosque *mistos, exclusis Jesuitis.* Nec enim inter *Papistas,* omnes *Puritani* sunt, quales *Jesuitæ:* Sunt et *Papistæ misti:* nec aliud hic *Puritanos* esse, quam ibi *Jesuitas:* qui et ipsi valde vellent, aliter atque jam regitur, regi rem Romanam, atque administrari. Integre vero integra est Britannia nostra, absque zizaniis vestris foret. Sed neque (quod modo dixi) multum aberret quis, (quando ea voce delectari videtur Cardinalis) si et *Papistas mistos* in vobis dicat. Fere enim Galli omnes; addo, et Veneti; etiam et in media forte Roma nonnulli *misti* modo *Papistæ* sunt, *meri* non sunt: et *Catholici* extra *Romam* multi, qui non *Romani.* Pontificiam enim auctoritatem suffusa frigida Galli[v] jam diu, Veneti nuper[w] mirifice diluerunt, ut tenui ibi filo pendeat potestas Papæ (quem *Caput fidei* credit et confitetur Cardinalis[x].) Certe Cardinalis Avunculus[y] *mistus* tantum *Papista* dicitur fuisse,

[Multa apud Romanenses 325 dissidia.]

[o] [Rom. xiv. 5. Vulg.]

[p] [Bell. de Rom. Pont. lib. v. cap. 6. Op., tom. i. pp. 234. 235.]

[q] [Vide nomina eorum, qui hanc sententiam tuentur, apud Bell. de Conc. lib. ii. cap. 14. Op., tom. ii. p. 265.]

[r] [Vide Bell. de Conc. lib. ii. cap. 17.—Ibid. pp. 266, 267.]

[s] [Vide supra, p. 18. not. [e].]

[t] [Vide lib. cui tit. 'De Ruinis Gentium et Regnorum adversus Impios Politicos, libri viii. Auctore Thoma Bosio Eugubino. Romæ, 1596.]

[u] [Marta, Tractat. de Jurisd. par. i. capp. 18—25. pp. 36. seq.]

[v] [Vide Thuan. Hist. lib. xxviii. cap. 18. ad an. 1561. tom. ii. p. 129; lib. cxiv. cap. 1. ad an. 1595. tom. v. pp. 525. seq. Conf. Bochell. Decret. Eccl. Gall. lib. v. tit. v. cap. 6. p. 729. et cap. 8. p. 734; et Remonstrant. Hibern. contra Louvanienses, par. i. cap. vi. §§ 5. 6.]

[w] [Vide supra, p. 34. not. [n].]

[x] [Vide Bell. de Rom. Pont. lib. ii. cap. 31. §. 'Et quidem.' Op., tom. i. p. 183. A.; et Resp. Torti, pp. 55. 109. Edit. Polit., et Bell. Op., tom. vii. coll. 663. C. 689. D.]

[y] [Marcellus II.]

ut nec Hadrianus sextus. Nam et Papæ ipsi de articulis nostris *scrupulum* interdum et *singultum cordis* patiuntur.

Inani desiderio tenetur, frustra laborat, impossibilia concupiscit, (ut omnes in unitatem fidei conveniant,) qui judicem nullum admittunt, nisi Scripturas, quas unusquisque pro arbitrio suo ad opiniones suas detorquet.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 184. [Op., tom. vii. col. 808. A. B.]

[88. Scripturæ verus controversiarum finis.]

Extis inspectis, auguratur Cardinalis, *inane desiderium, et laborem irritum, rem impossibilem, ut in unitatem fidei conveniant Ecclesiæ Reformatæ;* quasi id optasset Rex, qui *unitatem fidei* non *quærere* Reges, *partem tueri* voluit. *Fidei,* inter eos, *unitas* est: ea ne importunis quorundam Scriptiunculis in dissidium eat, id vero magnopere deprecatur. *Ad quod pervenerunt, eadem incedant regula: quod siquid aliter sapiant, et hoc illis Deus revelabit*[z]. Operæ pretium vero, quam frustra suscipiendi laboris hujus rationem subjungat; quod scilicet, non nisi *Scripturam Judicem* admittant. Nullum quidem,
326 qui Legis loco sit: Ecquem vero præterea *Judicem* vetera Concilia admiserunt? Ecquodnam ibi in medio propositum volumen aliud, quam Scripturarum? *Evangelici Apostolicique libri, ac Prophetarum Oracula perspicue nos erudiunt, quid de Deo nos sapere oporteat. Inde ergo, missa hostili inter nos contentione, solutionem petamus eorum, quæ inter nos controversa sunt,* dixit olim serio Nicænis Patribus Constantinus apud Theodoretum[a]. Sed vos *Judex* istc malc habet: vobis alio opus est *Judice,* qui Ecclesiæ multa obtrusistis, de quibus in iis tamen libris syllaba nulla: quæque, sub illo *Judice,* causa caderent universa. At quisque illas pro arbitrio suo detorquet ad opiniones suas: unde ergo in tam multis consensus est tam unanimis? Et qui in tam multis est, quidni et in paucis speretur, quæ supersunt?

Si . . . nihil haberemus præter leges, judicibus atque arbitris . . . exclusis, quem finem litium sperare possemus?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 185. [Op., tom. vii. col. 808. B.]

[Concilium vere generale res multum optanda.]

At, præter legem *Judice* alio *loquente* opus. Quis negat? Jamdudum ergo liberam legitimamque *Synodum* omnes poscimus: ubi (pro *Conciliorum* more) suffragiis transigi possent

[z] Phil. iii. 15, 16.

[a] [Εὐαγγελικαὶ γάρ, φησι, βίβλοι καὶ ἀποστολικαὶ, καὶ τῶν παλαιῶν προφητῶν τὰ θεσπίσματα σαφῶς ἡμῖν ἃ χρὴ περὶ τοῦ Θεοῦ φρονεῖν ἐκπαιδεύουσι· τὴν πολεμοποιὸν οὖν ἀπελάσαντες ἔριν, ἐκ τῶν θεοπνεύστων λόγων λάβωμεν τῶν ζητουμένων τὴν λύσιν.—Theodor. Hist. Eccl.] lib. i. cap. 7. [pp. 26, 27.]

omnia, et siqua opinionum varietas est, ad *unitatem* reduci. *Arbitros* non refugimus: sed *arbitrum* vestrum illum sui *Arbitrii*, sæpe non *Theologum*, interdum nec *Grammaticum*, cuique exosum interdum *nomen Academiæ* [b]. *Synodum* optamos, at non qualem nuper Tridenti vidimus, ubi penes *Italos*, atque *Titulares* (nescio quos) semper suffragiorum pars major: ubi nihil per graves illos *Arbitros* decerni potuit, ante accersitum per veredarios, atque transmissum ad illos Roma in *Tabellionis* mantica Spiritum Sanctum [c]. Date legitimos *Arbitros*, in *loco libero, æquis legibus*; nec erit ulla, in nobis, mora.

Nonne . . . Lutherani experti sunt, in discordiis gravissimis de summa fidei se concordiam frustra tentasse?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 185. [Op., tom. vii. col. 808. B.]

Jam, quæ per Germaniam superiorem Ecclesiæ sunt, quas inter, non aut *gravissimæ*, aut *de summa fidei, discordiæ sunt*, (nimis hæc rhetorice exaggeravit Cardinalis) sed, quæ sunt, de non magni momenti rebus sunt; quasque, si *Synodum* cernere daretur, (necdum enim *Synodus* ulla inter Ecclesias reformatas) bona spes est conciliari posse. [Et Concilium Eccl. Reform.]

Desinat ergo Rex unitatem quærere spiritus apud eos, qui spiritu contradictionis pleni.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 185. [Op., tom. vii. col. 808. B.]

Vobisne ergo *litium finis* statim, ab incluso *Arbitro* vestro? At vos cum *Arbitro* illo vestro tam certo (qui *contradictiones* vestras omnes uno spiritu difflare posset), *spiritu contradictionis pleni* tamen estis. Nec, an *Christo dominium temporale fuerit; an Papæ etiam ullum (non illi donatum a Cæsare), ulla in aliorum Principum temporalia potestas ejus, et quæ; imperetne an pareat Concilio: possitne in præmissis errare, et in Conclusione tamen verus esse: potestas illi an a Deo veniat, an a Cardinalium cœtu eligente*, idem sentitis omnes vel dicitis. Ut perinde sit *Arbitro* tali carere, atque frui, qui (quasi mutum Idolum) tepidus et tacens sedet, cum hæc illi omnia *in scrinio pectoris* [d], unde expromat statim, cum *Minerva* illi in *cerebro*. Et sinit vos tamen (quod culpatis in nobis) *Scripturas*, atque adeo *Patres* etiam, *pro arbitrio vestro, ad opiniones vestras detorquere*. [Unitatem in omnibus haud habent Romanenses.] 327

[b] [Paul. II. Vide Plat. in Vitis Pont. p. 338.]

[c] [Vide supra, p. 147. not. [b].]

[d] [Vide supra, p. 153. not. [c].]

Neque speret concordiam in fide apud eos unquam futuram, qui circa fidem naufragarunt, qui fidem [divinam] in opiniones humanas commutaverunt. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 185. [Op., tom. vii. col. 808. B.]

[Reformati haud naufragarunt circa fidem.]

Mirum autem, *naufragasse circa fidem,* qui nullum symbolum rejiciunt Ecclesiæ veteris, admittunt omnia. Tabulas ergo forte aliquas reperit Cardinalis *naufragii* alicujus; videat, ne de *naufragio* sint *fidelitatis* suorum hominum, non autem *fidei* nostræ. Nam, quod subjicit, *de mutata divina fide in opiniones humanas,* Cardinalem ipsum ferit: nobis enim nefas in *opinione humana* quicquam ponere: Scripturas solas sapimus. At opinionum commentis plena apud vos omnia, quibus e doctrinis hominum fides omnis; ut, *acervus* modo *arenæ* sit, quem vos pro *Petra* venditatis: et *opinio* non nisi *humana,* cui vos (tanquam *Petræ*) adhæretis.

Primum quæro, unde novum illud [*leg.* istud] lumen Anglis effulserit. Ab Aquilone, respondebit. Inde enim . . . Lutherus. . . . At [nos Prophetam audimus dicentem,] 'Ab Aquilone pandetur omne malum.'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 185. [Op., tom. vii. col. 808. C.]

[Lumen eis a Luthero effulsit.]

Tertia parte, qua quærit *unde novum illud lumen Anglis effulserit?* deinde responsum (a se) effingit, pro Rege, ut dicat, *Ab Aquilone:* post e Jeremia refutat, qui *malum ab Aquilone pandi dicit,* id est, Cardinale hypopheta, Lutherum, cum *tenebris suis:* ridendum se præbet omnibus. Quasi Jeremias caput primum prophetiæ suæ de Pontifice scripserit, et Luthero. De Pontifice, *qui super Gentes et Regna constitutus, evelleret ea et destrueret*[e]. (Is enim versus Pontificem designat[f].) De Luthero, qui *ab Aquilone veniens omne inde malum panderet,* præcipue *malum tenebrarum,* (Eo enim versu, manifesto Lutherum deprehendit.) Qui tamen si (quod ibi sequitur) *convocare posset cognationes regnorum Aquilonis, qui venirent et ponerent quisque solium suum in introitu portarum Jerusalem,* (quæ proc l dubio jam Roma est) *et super omnes muros ejus, ut loquatur Deus judicia sua, super omnem malitiam eorum, qui ibi dereliquerunt eum, et adoraverunt opus manuum suarum*[g]; næ ille hospes parum gratus futurus Consistorio Cardinalium. *Malum* enim hoc, *bellum,* non *hæresis.*

[e] [Hier. i. 10.]

[f] ["Mihi dicitur in propheta, 'Constitui te super gentes et regna, ut evellas, et destruas, et disperdes, et dissipes, et ædifices, et plantes.'"—Innoc. III. Serm. ii. in Consecr. Pont. Max. Op., tom. i. p. 189. Colon. 1575; et conf. Bull. CI. Pii V. 'Regnans in excelsis.' Bullar. Rom. tom. ii. p. 324.]

[g] [Hier. i. 15.]

Vide vero, ne si *malum Romæ* vaticinatus sit *ab Aquilone* et Luthero; ne impleta jam prophetia sit. Cum enim apud Jobum, Elihu dicat, *Ab Aquilone aurum venire*[h] (et venit 328
certe copiose ad vos, ante Lutherum cum *tenebris* suis, e *Germania totaque Aquilonari plaga*) nec tam care jam veneant *Indulgentiæ:* ne illud *malum* sit, quod ex *Aquilone* vobis venturum Jeremias indicavit. Sed nos abduxit Cardinalis *Aquilo.* Anglis autem, non aliud *lumen affulsit,* quam Germanis, et Belgis, Danis, et Suecis, et Polonis, et Hungaris, et populis, qui in circuitu sunt uspiam, omnibus. Nec *novum* illud, quin antiquum, quodque prius fuerat, (interveniente tantum crepusculo, et noctiluca vestra) aliquantisper in umbra terræ detentum. Neque ab *Aquilone* tamen *lumen,* aut ulla mundi plaga. Non hoc reperies apud Jeremiam; apud Esaiam autem reperies, cap. viii. 20. *A Lege et Testimonio,* Inde enim (ut Propheta ait) *exoritur omnibus matutina Lux.* Vobis vero, qui juxta verbum hoc non judicatis, hunc *Judicem* non vultis, videte ne *defectus Lucis,* adeoque *tenebræ* ipsæ *Cimmeriæ* metuendæ sint.

Christus in novissimis temporibus Pseudoprophetas surrecturos prædixit . . . Petrus . . illusores . . . Judas . . sidera errantia . . . Paulus, . . . cupidos, elatos, superbos, . . . et . . qui . . intendant Spiritibus Dæmoniorum. Ergo si Scripturas scrutari Rex voluerit, intelliget omnino, novos istos fidei Architectos, non Reformatores, sed illusores, non Prophetas, sed Pseudoprophetas, non stellas lucidas et matutinas, sed errantia sidera esse.—[Bell. Apol. pro Resp.] pp. 185 et 186. [Op., tom. vii. col. 808. C. D.]

Quos autem commemorat ibi, ex Evangelio et Epistolis, [Lutherus haud Pseudoprophetam.]
venturos *Pseudoprophetas, illusores, sidera errantia:* intellige, *præcursores* et viam sternentes Antichristo vestro: quare, vestro de Grege omnes. At is, ut tempore suo revelandus, ita ab aliquibus: ii vero an Prophetæ vel Reformatores (sive *Stellæ lucidæ*) dicendi sint, de voce non contendimus. Viri quidem boni sint oportet, et, si *ad Legem et Testimonium* sua revocent, speranda ab illis, tanquam *Stellis lucidis, matutina Lux.* Quodsi ad Apostoli signa sint exigendi, qui *cupidi, elati, superbi, blasphemi:* Pontifice vestro quis magis *cupidus,* aut *auri sitiens,* ex Indulgentiis, Jubileis, Taxa Cancellariæ? Quis *elatus* magis, qui non *Jumento* aliquo, *humeris Hominum* efferatur? Quis magis *superbus,* qui *Cæsares* quasi *aspides*

[h] [Job. xxxvii. 22. Vulg. et vers. nostr. in marg.]

calcat[i], et *pulverem* jubet *lingere pedum* suorum? Etiam quis æque? qui se *Dominum Deum*[j] scribi sivit, (nec jubet deleri:) qui *Divinitatis* et *Omnipotentiæ*[k] titulos agnoscit, quasi suos?

Nam illa alia nobis quadrare non possunt, de *Spiritibus erroris* aut *doctrinis Dæmoniorum*, qui (quæ ibi sequuntur) nulli suademus: *ne nubant* scilicet, aut *abstineant a cibis homines, quos Deus creavit ad percipiendum*[l]. Nobis hæc objicienda non sunt. Vestros hæc magis tangunt, vosque adeo ipsos: ut minus caute proin adducta sint a Cardinale,
329 si, qui his similia docent, *illusores* sint et *Pseudoprophetæ*, ac *Sidera errantia, ab Austro* potius quam *Aquilone* exspectandi. Ut et nomenclatura illa *novæ fidei Architecti* illis plane non competit, qui fidem nullam sustinent, nisi *veterem*, quam satis etiam firmam statuunt, ut de fabricanda *nova* cogitare nihil opus: vobis potius, quibus (quasi fides vestra *vetus* ruinam minitetur) Tridenti nuper Pius Quartus *novam architectatus est*.

[Scripturas sibi quisque debet scrutari,] Post, ut se filium noctis et tenebrarum demonstret, votum Regis perstringit, nimis (ut illi quidem videtur) amicum Lumini. *Revolvant ipsi sacras Scripturas*, (secum una Principes reliquos hortatur,) *ex iis credendi normam petant, aliis ne nimium fidant*[m], de fide sua certus quisque sit, cum ex fide sua salvus quisque futurus sit. Quid hic aliud Rex suadet, quam Deus? *Leget Rex Exemplar Legis, omnibus diebus vitæ suæ*[n]: quam Christus, *Scrutamini Scripturas*[o]: quam Spiritus Sanctus, qui in Nobilibus illis Berœæ laudat, quod quotidie *Scrutati sint Scripturas, si hæc ita se haberent*[p]? Cur non eo loco apponit Cardinalis, in margine, *Hic a Christo omnibus Hæresibus janua aperitur*[q]? Quam potest quisque, certus sit de Fide sua: ut certus sit, non super alterius opinione incerta, sed super scientia sua (quam potest) certa, fidei fundamenta collocet. Quid habet iniqui postulatum hoc? Da Contradictorium, da votum Cardinalis. Ne sit quisquam de fide certus: malit aliorum opinioni inniti vel incertæ, quam scientiæ suæ. Quam inique vero? Hic quidem cæcitati, ac stupiditati, erroribus denique omnibus *janua ape-*

[i] [Vide supra, p. 141. not. r.]
[j] [Vide supra, p. 390. not. u.]
[k] [Vide ibid. not. x.]
[l] [1 Tim. iv. 1—3.]
[m] [Præf. Monit. p. 175.]
[n] [Deut. xvii. 19.]
[o] [Joan v. 39.]
[p] Act. xvii. 11.
[q] [Bell. Apol. pro Resp.] p. 186. [in marg. Op., tom. vii. col. 809. A.]

ritur. Audite ergo hunc, *Stellam* hanc *Lucidam*. 'Serenissimi Reges, scripturas parce attingite; aliunde vero, non ex illis, credendi normam petite. Fidei vestræ fundamenta collocate super aliorum incertis rumoribus, non super certa vestra scientia. Nam de Fide vestra certi cur sitis? Fide salvi non eritis.' Post hæc jam, Monitorem hunc in pretio habete, qui vobis ista suadet tam salubria.

In extrema sua adhortatione . . . Rex satis aperte docet, unumquemque debere esse judicem in rebus fidei, suoque judicio potius, quam Ecclesiæ, vel Conciliorum aut summi Pontificis acquiescere.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 186. [Op., tom. vii. col. 809. A.]

Nam quid illi in voto minus probatur? *Quod satis aperte doceat, unumquemque debere esse judicem, in rebus fidei: suoque judicio potius, quam Ecclesiæ, vel Conciliorum, aut summi Pontificis acquiescere.* Vix hoc tamen *satis aperte*. Siquis, qui *ex fide sua vivit*, id agat, ut *certus* sit de *sua, unde vivat;* non necesse est, ut is *judicem* statim se statuat *in rebus fidei;* non magis, quam si curet quis rem suam, si prædia sua, ut certa sibi sint, *satis aperte* sequitur, ut Præfectus prætorio sit, et *Judex* sedeat statim pro Tribunali, de aliorum quorumcunque re hæreditaria. Ego vero curabo quod meum est; postquam id mihi curæ fuit, nulli præterea jus dico, nulli *judicem* me constituo. Iniquus sit, qui hanc mihi curam interdicat, mea ne curem, ut mihi certa sint. Quodsi non, ut agrum et domum; animamne, ut ejus res in incerto pendeat? Apage vero. Ego *in rebus fidei Judex* non sum; id tamen agam, ut (quam potest constare certo) tam mihi certo constet, de fide mea, quod certa sit, quod bene fundata, et in certo. Latius patent res fidei, quam ad meam certitudinem: Latius est *judicem* esse de omni, quam mihi bene conscium esse de mea.

[Haud vero judex est fidei.]

330

Quæ doctrina non est . . Regis propria, sed communis illis, qui . . in Anglia rem Theologicam tractant. Sic enim verbis clarioribus hoc idem tradit Whitakerus. . . . 'Unusquisque sibi judex esse debet, etc.[r]' . . Et, . . Concilia, Patres, Papæ, homines sunt, et Scriptura testatur omnem hominem mendacem esse: Quomodo ergo illorum sententiæ acquiescam[s]?' . . . Quod . . dogma . . . omnium hæresum janua.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 186. [Op., tom. vii. col. 809. A. B.]

---

[r] [Vide Whitaker. Disp. de Sacr. Script. Controv. i. Quæst. v. cap. viii. 1610.] Op., tom. i. p. 360. col. 1. Genevæ

[s] [Ibid. cap. viii. p. 356. col. 1.]

[Judicium Ecclesiæ quanti habendum.] At, cum *incertas aliorum opiniones*, ita interpretatur Cardinalis, *Ecclesiæ, Conciliorum, Pontificis judicium*; quis ferat? ubi vel mica candoris? *Pontificem* non moror. Sed quis *Ecclesiæ, Conciliive judicium* non longe anteponat suo? Nec *Regis* est, nec cujusquam, *doctrina* hæc. Nec novit Cardinalis, quid hic apud nos doceant, *qui rem Theologicam tractant*. Non enim (credo) eorum, quæ scripsit Rex, Commentarium ex Whitakero petet, per totum decennium ante mortuo, quam Rex scriberet. Præpostere vero hoc. Sed neque hanc in se legem ferri ferret Cardinalis, ut siquid ipse scribat, id ex alio *clarius* reddatur, qui crassioribus verbis, aut minus commodis rem complexus est. At est eadem Whitakero mens. Non, ut *judex* quis, nisi sibi: ut qui sibi optime omnium conscius sit, qua fide sit, eaque fides, cui subnixa, solidone an putri fundamento. Sed neque semper Papæ sui sententiæ acquiescit Cardinalis; Non enim Honorii[t]. Neque Concilii; Non enim Constantiensis. Neque patrum, quos in *quibusdam non leviter lapsos*[u] aliquo loco affirmat ipse. Quibus in locis, judex sibi Cardinalis, (quod in Whitakero culpat): neque judicio aliorum stat, neque illorum sententiæ acquiescit. Concilia quidem, et Patres, siquis pro arbitratu suo rejiciat, non longe ab hæresi sit. Sin quæ legat in illis (coram Deo) expendat sedulo, an plenam conscientiæ suæ fidem faciant: non id quisquam, qui æquus sit, merito reprehendat. Nec *hæreseων janua* hæc, ut petant e sacris Scripturis, non
331 rhapsodiis nescio quibus; petant ipsi a se, non a *Sacrifico, Monacho, Jesuita*. Dum his fidunt, falluntur sæpe. Non ergo *hæreseων janua* hæc; at Cardinalis *janua* ad stuporem, ut abjiciat a se quisque ingenium atque judicium suum omne; quod, quo magis judicio quisque valet, eo magis improbat, utpote quod *Jesuitas* forte bonos efficiat, at non *Christianos*.

Aperit enim se, periodo proxima; de *Conciliis, Patribusve*, minus sollicitum esse: id hic agere se, ut omnes *baculi* sint atque *cadavera* Pontificis, nec nisi illius nutu moveri se patiantur; atque ita ad *cæcam*, non modo *obedientiam*, sed *fidem*, *janua* lata patefiat: ab uno suo Sacerdote pendeant, illum in consilium adhibeant, illum audiant, illi obtemperent. Qui

[t] [Vide supra, p. 215 not. [x].] cap. 10. §. 'Dices.' [Op., tom. i. p. 43. H.]
[u] [Bell.] De Verbo Dei, lib. i[ii].

tamen Sacerdos Cypriano[v], Romanus non est, quem nec Cyprianus[w] ipse semper audivit, nec Firmilianus[x]. Sed Episcopus in grege suo quisque, Christi vice Judex: quem, benefaciet, qui (ubi mota lis est) et subinde consulet, et bene monentem non segnis audiet.

Nemo . . polliceri potest, se verum spiritum Dei habere, aut veram scientiam adeptum esse. Scriptura siquidem de Ecclesia . . testatur, quod sit columna et firmamentum veritatis.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 187. [Op., tom. vii. col. 809. C.]

At ego, ut de *Spiritu privato* assentiar Cardinali, et Scripturarum ἰδίᾳ ἐπιλύσει[y], de *scientia* tamen non dabo. Vel enim ad *scientiam* pervenisse se sentiet quis, vel *opinione* adhuc fluctuare; ut, vel dubios animi semper necesse sit pendere, vel *scire, quæ a Deo donata sunt nobis*[z]. *Ecclesiæ* vocem nulli rejicimus, imo veneramur omnes. Sed *Ecclesia* nobis non est *Pontifex*, non *Curia Romana*, quæ nisi ita animo anticipata sint, non multum vobis commodabit *Ecclesiæ* titulus. *Columna* ea *veritatis*[a], sic est; non cui *veritas* innixa, sed quæ ipsa *veritati*. Sed *Columna* hæc in aere non pendet; basim habet, et crepidinem; ubi vero, nisi in verbo Dei? Id ubi proponit nobis, bene fundatam scimus, tuto ei et libenter innitimur. [Ecclesia veritati inniti debet.]

Patres in legitimo concilio congregati vere et tuto dicunt, 'Visum est Spiritui Sancto et nobis.' Privati homines, nisi temere, hoc dicere non audebunt. . . . Apostolorum principi dictum est a Domino, 'Rogavi pro te, etc.' . . . De privatis hominibus nihil tale legitur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 187. [Op., tom. vii. col. 809. C. D.]

De Conciliis magnificentissime sentimus, ubi dicunt, *Visum Spiritui Sancto et nobis:* non perinde tamen, ubi dicitur, *Visum nobis, et Spiritui Sancto.* Spectare autem ad *Pontifices* orationem Christi illam, *ne temere credat* quis. *Rogavi pro te,* Marcelline[b]; *pro te,* Honori[c]; *pro te,* Liberi[d]; *pro te,* [Multi Pontifices a fide defecerunt.]

[v] ["Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nota sunt schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus judex vice Christi cogitatur."—S. Cypr. Ep. lix. (al. lv.) (al. lib. i. Ep. 3. ut citat. a Bell.) Op., p. 129.]

[w] [Vide S. Cyprian. Epist. lxxi.—lxxiv. Op., pp. 193—216.]

[x] [Vide Firmiliani Episcopi Cæsareæ Cappadociæ ad Cyprianum contra Epistolam Stephani.—Epist. lxxv. apud S. Cypriani Op., p. 217.]

[y] [2 Pet. i. 20.]

[z] [1 Cor. ii. 12.]

[a] [1 Tim. iii. 15.]

[b] [Vide Conc. Sinuess.—Conc. tom. i. col. 938. B.—943. E.]

[c] [Vide supra, p. 215. not. [x].]

[d] [Vide S. Athan. Hist. Arian. ad Monachos. § 42. Op., tom. i. p. 368. D. E.]

Anastasi[e]; *pro te,* Joannes XXII.[f] Opinetur hæc aliquis amicus *Curiæ Romanæ:* credat autem nemo, *nisi temere,* privilegio hoc gavisos (qui Liberios, Honorios, Anastasios, Gregorios, Joannes legerit, qui alios, non homines, sed hominum *monstra*[g] et *portenta*[h],) hosce homines, vel *Successores* Petri dignos, vel aptos fidei *Confirmatores* fuisse. *De privato tamen homine,* id *legitur.* Petrus enim *privatus homo* tum: ut qui, *Pasce* illud suum, nondum audivisset, qua voce ex *privato homine* (ut vultis) *Pontifex renuntiatus est*[i].

332

Utriusque Testamenti tabulæ, . . . ad Sacerdotis Summi judicium nos remittunt. . . . 'Si difficile et ambiguum, . . . venies ad Sacerdotem[j],' . . . 'Legem requirent ab ore Sacerdotis[k],' . . . 'Super Cathedram Mosis sederunt Scribæ . . .: quæcunque dixerint vobis, . . facite[l]' . . . 'Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus[m]' . . . Et cur Dominus Petro pascendas oves commisit, nisi ut . . . pascua doctrinæ non a se . ., sed ab illo acciperent? Et cur posuit . . in Ecclesia . . Pastores, et Doctores, . . . si unusquisque sibi Pastor et Doctor esse debebat?—[Bell. Apol. pro Resp.] pp. 187. 188. [Op., tom. vii. coll. 809. D, 810. A.]

[Nihil de Pastore, aut Sacerdote, Summo sequendo, loquitur Scriptura.]

Illa vero, quæ ibi sequuntur, omnia, *In judicio ambiguo veniendum ad Sacerdotes: Legem ab ore Sacerdotis requirendam: Qui super Mosis Cathedram sedent, audiendos: Audiendam Ecclesiam in Censura sua: A Petro pascendas oves:* aut *a Christo datos Pastores:* nihil ad id, quod initio proposuit: remitti nos ad *Sacerdotem summum.* Locus enim Deuteronomii *Sacerdotes* habet, non (ut Cardinalis) *Sacerdotem,* quo uni aptaret. Malachiæ quoque (ut ex initio capitis constat) ad *Sacerdotes* est, non unum ex iis quempiam. Christus vero nullum nobis Scribam *summum,* vel Pharisæum *maximum,* ibi commemorat, *qui in Mosis Cathedra sedeat;* sed multos. Tum Petro dictum illud, (quem Pontificem vos creastis) *Dic Ecclesiæ.* Pontifici ergo ipsi *audienda Ecclesia.* Denique si Christus *Pastores* dedit; tam illis quoque, quam Petro, *Pasce*

[e] [Vide Vit. Anast. II.—Conc. tom. iv. col. 1276. C.; et Decret. Par. i. Distinct. xix. cap. ix. 'Anastasius.'—Corp. Jur. Can. tom. i. coll. 86. 87.]

[f] ["Hoc fecit latroni, . . . qui fuit illa propria hora beatificatus, et vidit Deum facie ad faciem, sicut sancti in Paradiso. Propter quod insuper apparet falsitas doctrinæ Papæ Joannis XXII., quæ damnata fuit cum sono buccinarum vel tubarum coram rege Philippo."—Gerson. Serm. in Pasch. tom. iv. col. 491. C. D. Conf. Guil. de Ockam in Dialogo, par. i. lib. v. cap. 2. apud Goldasti Monarch. tom. ii. p. 470.; et Hadrian. VI. in lib. iv. Sent. De Sacram. Confirm. Art. iii. §. 'Ad secundum.' fol. xviii. col. iv. Paris. 1516.]

[g] [Plat. in Vita Christoph. I., in Vitis Pont. p. 149.]

[h] [Plat. in Vita Bened. IV., ibid. p. 148.]

[i] [Vide Bell. de Rom. Pont. lib. i. capp. 14. 15. Op., tom. i. pp. 145. 146.]

[j] [Deut. xvii. 8, 9.]

[k] [Mal. ii. 7.]

[l] [Matth. xxiii. 2, 3.]

[m] [Matth. xviii. 17.]

dixit, ut hæc omnia nihil jam ad *rhombum*[n]. Sin, eo hæc adduxit Cardinalis, ut *adeundos Sacerdotes* doceat, *eorum ab ore legem requirendam: Sedentes super Cathedram Mosis vel Pharisæos audiendos: Ecclesiam vel a Petro audiendam*: a Petro (et quos cum Petro *dedit pastores,*) *oves* in pascua mittendas: quis horum jam quicquam negat? Faciet hæc omnia Rex, nec invitus: ubi tamen hæc omnia fecerit, cum in Deuteronomio, *dicere* jubeantur *Sacerdotes,* et *docere juxta Legem Dei,* leget *exemplar* suum Rex, (quod sibi *descripsit, ut secum habeat*[o],) ut sciat, an ex ea respondeant. E Malachia sciet (versu ibi proximo[p]), *a quibus requirere* jubetur *Legem,* eos interdum *recedere de via, et scandalizare plurimos in Lege:* quare, recurret denuo ad exemplar suum. A Christo autem discet, ut *Pharisæos e Cathedra docentes audire,* ita, *a Pharisæorum fermento*[q], id est, doctrina aliqua cavere. Etiam *Pastores* reliquos sic audiet, ut consultum sibi putet (quod Bereenses fecisse videt *viros nobiles*) *scrutari Scripturas, si hæc ita se habeant*[r]. *Pascua* petet, nec sibi *Pastor* erit, sed sibi tamen gustabit: et si amarum pabulum, et noxium; gustabit, ut Christus acetum; quod cum gustasset, noluit bibere.

Apostolos quoque et Prophetas homines fuisse, et tamen eis tuto credi potuisse, quoniam non erat mendax Spiritus, qui loquebatur in eis. Sic .. Concilia legitime congregata, Patres unanimi consensu prædicantes, Papa in Cathedra .. sedens.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 188. [Op., tom. vii. col. 816. B.] 333

Necdum finis tamen: sed facessit sibi negotium ultro, et *alio charactere* verba ponit quasi Regis, quæ refutet, quæ apud Regem nulla sunt. *Concilia, Patres, Papas, homines esse,* et (*secundum Scripturæ testimonium*) *mendaces*[s]. Sed quid regerit tamen? *Etiam Apostolos, etiam prophetas homines fuisse.* Certe *homines.* Verum hic, *homini homo quid præstat*[t]*?* Latum enim hic (credo) discrimen ponet, in mensura spiritus, in conditione *infallibilitatis.* Possunt *Concilia* congregari *non legitime:* possunt *congregari legitime,* nec *legitime* tamen *procedere.* Possunt *prædicare* Patres, nec *consensu id unanimi. Illegitima* nonnunquam Concilia, *multanimes* interdum Patres: Quare, conditiones hic adhibeat [Apostoli pluris quam Concilia et Patres, habendi.]

[n] [Vide Juv. Sat. iv. 119. 120.]
[o] [Deut. xvii. 17. 18.]
[p] [Mal. ii.] ver. 8.
[q] Mat. xvi. 12.
[r] Act. xvii. 11.
[s] [Ps. cxvi. (al. cxv.) 11.]
[t] [Terent. Eunuch. II. 2. 1.]

Cardinalis, necesse est. At *legitimum* hoc ejus, vel *unanime*, non requirimus, in Apostolis: non in Prophetis: (si *legitime*, si *unanimiter*:) non potest non, quicquid ab illis est, *legitimum* esse, atque *unanime*. Atque hoc, de *Conciliis*, et *Patribus* dictum volo, qui sequuntur non passibus æquis. *Papæ* vero vestri, a longe, atque intervallo tanto, ut vel visum effugiant. Date nobis Concilia, *Legitime congregata, et procedentia*: date Patres *unanimi consensu prædicantes*; in eorum sententiam imus statim. *Papam* vero vobis servate, in *Cathedra Petri* (si vultis) *sedentem*. Perinde enim illius, atque eorum, qui in *Cathedra Mosis sedebant*, fermentum sæpe acidum gustavimus. Nec enim eos solum, ut Patres ipsos, ex naturæ humanæ fragilitate mendaces: sed, ex literarum imperitia summa, bardos plane: ex libidine ipsa mentiendi, fallaces: ut deterior illorum multo sit, quam *Patrum* conditio. Et experientia didicimus tamen, omnes suam *infallibilitatem* crepare, et promissionem (quæ nusquam est), et illos ipsos magis *de scrinio pectoris*[u], et *spiritus assistentia* gloriari, qui longissime ab utroque aberant, quales erant, omnium judicio, Bonifacius Octavus, Paulus Secundus, Julius Secundus, et Tertius.

Si super scientia propria, vel privata spiritus illustratione fundamenta fidei collocanda sunt, non super petram, sed super arenam domus fidei nostræ fundata non poterit effugere, quin, flante vento tentationis, fiat ruina illius magna.—[Bell. Apol. pro Resp.] pp. 188. 189. [Op., tom. vii. col. 810. C.]

[Spiritus privatus minime sequendus.]

Nolim quidem, quenquam *super privata spiritus sui illustratione fundamenta jacere fidei suæ*; sed quo minus id possit tamen, ac ut super multo plurimos *Pontifices*, et eorum (si non *mendaces*, merito tamen,) suspectos spiritus; non (credo) sensato cuiquam Cardinalis, (dabit vero veniam) ne sibi quidem ipsi persuadebit. Et, ubi tertiam jam paginam implevit, nihil efficit, quin in rebus fidei, an *Concilia*, an *Patres*, sed
334 ante omnia, an *Scripturæ ita se habeant*, ut referuntur, ipsi per se inspicere debeant Principes, atque adeo (puto) inspecturi sint. De *Spiritu* quidem *privato*, nobiscum illi convenit: at non de *scientia*. Nam si *scientia* sit, nec *falsi nominis*, sed vera: cur illa niti non possit, non debeat, haud facile (opinor) dixerit. *Petri confessionem* voluit Christus,

[u] [Vide supra, p. 153. not. c.]

cum *Petram* dixit: si Successores voluisset, *super hanc arenam*, dicendum illi fuisset. Nec est enim *arena* ulla tam fluxa, quam *Pontificum fides*, fides (dico) vel qua ad homines, quam ita expertus in Clemente Rex[v], ut fidem (qua ad Deum) ibi reponere velit, ubi alteram non reperit, ægre jam, ut video, adduci poterit. Atque hoc illud est, quod suasit Rex, quod, non tam *inniti scientiæ* suæ est, quam, *conniti scientia* sua, quo certi de fide sint; nec pro fide fidei larvam, et ludibrium, (quod multis in Papatu contingit) amplectantur: nec sinant adduci se, ut statim *de fide* rem credant, si *Sacrificus* quis, aut certe *Monachus*, vel sine dubio *Pater Societatis* eam credendam dixerit.

Cur non ... licebit tot magnis Regibus aliisque Principibus Orthodoxis optare, ut Rex Jacobus fiat, quales ipsi sunt, et quales fuerunt omnes majores ejus, Avi, Proavique, Scotiæ Reges a Donaldo primo . . . usque ad Mariam parentem ejus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 189. [Op., tom. vii. col. 810. C. D.]

Voto Regio jam Cardinalis *votum suum* opponit. *Suum* dixi. Nam, etsi Principum reliquorum nomine, non tamen a Principibus auctoritate ulla: nec, ex illorum animo, sed suo. Superfluum autem. Nam si *Voti* Rex sui compos sit, erunt illi quales Ipse, versaque vice, erit Ipse, quales Illi, ut Cardinalis *voto* jam nullus futurus sit locus. Nam, quod Majores ejus attinet, opportune admodum Donaldi nomen nominavit. Donaldo enim, prisca fide Catholico, nihil dissimilius vestris his, hodie *Neocatholicis*. Nec enim Victori jus aliquod supremum fuisse in temporalia Donaldus credidit: qui audire potuit, ab Irenæo non longe hinc in Gallia correptum Victorem, quod in spiritualibus ipsis plus, quam æquum erat, sibi arrogasset, lata in Orientales præcipiti nimis sententia[x]. Ausim vero dicere, *Donaldus, imagines pictas, fictas, ligneas, lapideasve nunquam adoravit. Non Deo preces suas profudit non intellectas. Sacri Calicis exsors non fuit. Transubstantiationem, Concomitantiam, Modum quantitativum, Indulgentias, Supererogationes*, quasi spectra totidem exhorruisset. *Ignis purgatorii mentionem nullus audivit. Accidentibus nutritus non est. Circumgestatum Sacramentum non vidit unquam.* Vestra ista, quæ *Catholicum* jam faciunt

[Rex Jacobus ad priscam fidem reversus,]

[v] [Vide Action. in Garnetum p. 73.]

[x] [Euseb. Hist. Eccl. lib. v. cap. 24. p. 245.]

335 (ipsa non *Catholica*) penitus ignoravit. Habet ergo tota quod mente petiit Cardinalis. Requisivit *Majorum suorum* vestigia Rex, adeoque ante omnes Donaldi; ad ea rediit, ad ea, reliquos, secum ut redeant, hortatur sedulo. Rex vero talis per omnia factus est, qualis Donaldus primus, quales post Donaldum per multa sæcula Reges Antecessores sui. Satis hoc quidem constat, quæ Rex ibi rejicit, ignota tum illis fuisse: quodque ad ea, si eorum quis nomen nominasset, ipso statim auditu obstupuissent.

Satis enim constat Scotiæ Reges, singulari Dei benedictione per annos mille trecentos sibi invicem succedentes, Catholicos fuisse, uno Jacobo . . excepto. . . . . Optant igitur, quod de illorum summa pietate et caritate fidenter præsumo, omnes Catholici Reges et Principes . . . ., ut Jacobus Rex aliquando majorum suorum vestigia requirat, atque ad ea rediens, iisque insistens, ita vivat et regnet in præsenti sæculo, ut etiam in futuro una cum ipsis in æternum vivere atque regnare mereatur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 189. [Op., tom. vii. coll. 810. D. 811. A.]

[Alios Reges eandem secum viam inire voluit.] Quæ illos tum fecere *Catholicos*, ea Rex ad unum credit, et confitetur omnia: estque *Primis* illis multo, quam *Avus Proavusve*, similior. *Satis enim constat, Scotiæ*, nec *Scotiæ* modo, sed reliquos etiam Reges *Christianos*, per aliquot sæcula, *sibi invicem succedentes, singulari Dei benedictione*, absque istis nuper (multo quidem post) inventis *Catholicos* fuisse: donec tandem (multis tamen interlabentibus annis) exigentibus id peccatis Christianorum, astu *Pontificis, novitia* ista superinducta *per temporum injuriam, et dormientibus hominibus superseminata*,[y] atque ita a via *majorum* deflexum est. Quam in viam postquam jam rediit Rex; secum ut redeant, reliquos invitat. Curent, quod ab initio fuit, annuntiari sibi: *ab initio* enim *non fuerunt sic*,[z] quæ a Rege reliquisque correcta reformantur. Atque de *Avi Proavique summa pietate et caritate fidenter præsumit*, si, quæ illi jam perspecta sunt, fuissent et iis, ituros secum in eandem sententiam, atque *eodem spiritu*, iisdemque *vestigiis instituros fuisse*.[a] Quamque de *majoribus suis* (si in vivis jam essent) sibi polliceatur, de iis (qui jam sunt) *Fratribus, Consanguineisque* suis *Monarchis*, atque *Principibus* spem non deponit: (quicquid hic offutiat Cardinalis) verum cupit, atque etiam optat, et Deum veneratur, ut serio de iis cogitent, curentque

[y] [Conf. Matth. xiii. 25.]
[z] [Conf. ibid. xix. 8.]
[a] [Conf. 2 Cor. xii. 18.]

(cum primum opportunum erit) in actum producere, quod sperat eos serio apud se interdum meditari. Etiam (quia nec votum Cardinalis displicet) ut et ipsi *Majorum suorum vestigia requirant*, (Cæsar Constantini, reliqui suorum quisque, qui coæqualem sortiti sunt fidem,) quemadmodum suorum requisivit Rex: atque, *ad ea redeuntes, iisque* in hoc sæculo *insistentes*, in futuro perveniant, quo et illi jam pervenerunt; ejusdem hic, ejusdem et in cœlo, coronæ participes sint: et, cum primis illis Rei Christianæ Regibus, vere Catholicis, in cœlo beati regnent, atque ævo sempiterno perfruantur.

Responsio ad ea, quæ sub nomine Mendaciorum, ementitarum Historiarum, et novorum dogmatum, Rex scripsit adversus librum Matth. Torti, qui vere Card. Bellarmini liber est, sed justis de causis alieno nomine editus. —[Bell. Apol. pro Resp. Op., tom. vii. col. 811. A.]

Non respondisse Cardinalem ad Torti Mendacia, Ementitas Historias, Nova dogmata: ac ne posse quidem.

[Examinantur Torti mendacia.]

ETIAM ille mihi obeundus jam labor, quæ in Tabula ibi sunt notata Torti Mendacia[a], ut merito ita notata constet: nec Cardinalis jam nomen appositum efficere, ut *Mendacia* ne sint. Ac *Brevis* illa (et levis) ejus *responsio* levi mihi brachio rejicienda.

Auctor libri non scripsit in Juramento fidelitatis tractari, aut proprie definiri quæstionem de potestate Pontificis in Regibus excommunicandis. Satis enim intelligebat in formula juramenti non esse locum quæstionum Theologiæ disputandarum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 191. [Op., tom. vii. col. 811. C.]

[(1.) De excommunicandi potestate Pontifici negata.]

Ad Primum. Hæret vero etiam *Mendacium primum*[b]. Nam, responsum ibi, tergiversatio mera est. *In formula Juramenti non esse locum quæstionum Theologiæ disputandarum,* dum vim facit vocibus, *Non tractatur, non definitur:* at voces illas nec attingit, *sed ex proposito declinatur.* Vide, Lector, Præfationis Paginam decimam, ubi fide optima narratur, cum conceptæ jam Juramenti formulæ inesset clausula, quæ *negabat* in Pontifice potestatem ullam excommunicandi, quod, inducta ea Regis jussu, atque deleta est[c]. Idque argumento maximo est, nec animum *negandæ* potestatis fuisse, neque vero *negatam;* cum data opera deleta esset clausula, quæ *negaret.* Etsi autem *negari* jure potest in Regem, non *negatur* tamen Censuræ potestas, *negatur* modo effectus ille consequens esse ad eam; *negatur* ea vis ei inesse,

[a] [Vide Catal. Mendaciorum Torti ad calc. Præf. Monit. pp. 179—186.]

[b] [Vide Resp. Torti, p. 9. Edit. Polit.: et Bell. Op., tom. vii. col. 640. B.]

[c] [Vide Præfat. Monit. p. 12.]

ut subditorum in Reges suos, officia, fidem perimat. Quare, etsi sententia lata sit, pariturum Regi nihilominus.

> Qui . . . jurat se obediturum Regi hæretico, non obstante excommunicatione Papæ, nonne jurat simul se non agnoscere in Papa potestatem excommunicandi Reges hæreticos? Alioqui . . . non juramentum, sed sacrilegium esset, jurare se non obediturum sententiæ excommunicationis a Papa latæ in Regem hæreticum, si crederet esse in Papa . . potestatem excommunicandi.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 191. [Op., tom. vii. col. 811. D.]

Qui jurat se obediturum Regi, non obstante excommunicatione Papæ, nonne jurat simul se non agnoscere in Papa potestatem excommunicandi Reges? ait Cardinalis. *Non jurat simul, se non agnoscere. Agnoscit* enim, et supponit, adeoque ponit, in eo *potestatem excommunicandi.* Qua quidem posita, nec quicquam obstante, *obediturum se jurat* tamen. Ita *non jurat simul se non agnoscere,* imo seorsim jurat, *agnoscere* se primo 337
potestatem excommunicandi, non tamen *agnoscere* in excommunicationis sententia eam vim esse, quo minus, ea non obstante, Regi, vel post eam latam, *obedire* possit; Non eam vim inesse, ut deserendus sit, a filiis Pater, a subditis Rex, excommunicatus. *Credet esse in Papa veram potestatem excommunicandi Reges.* Esto enim ut sit, (quæ quidem nulla est) sed esto tamen ut sit, et credat esse; *juramentum* tamen erit, et non *sacrilegium.* Non enim *jurabit se non obediturum sententiæ excommunicationis a Papa latæ in Regem.* Obediet enim, Regem habebit *sicut Ethnicum et Publicanum*[d], quoad Ecclesiæ claves, quoad Regnum cœlorum: sed eas tamen vires negabit inesse in ea sententia, ut tollat congenitæ fidelitatis vinculum naturale, etsi sacrorum communionem omnem tollat: nihil enim claudere, nihil ligare aliud, quam cui claudendo et ligando datæ sunt, quam quod ad *Regnum cœlorum* spectat, aut Ecclesiam: in vincula *naturæ,* vel *politiæ,* nihil ei juris esse. Videt æquus lector potestatem hic affirmari plane; eaque sic affirmata, negari tamen hoc, Excommunicatione solvi civilis obedientiæ vinculum. Stare quidem censuram; nec tamen obstare, quo minus Regi pareatur. Nec id quæri, an sit, vel esse possit Excommunicatio; sed, ubi jam est, quam vim habeat, et an ad civilem subditorum fidem solvendam se porrigat.

[d] [Matt. xviii. 17.]

Ea de causa scripsi . . . ad Pontificem . . pertinere potestatem . . . solvendi a pœnis, censuris, legibus, votis, juramentis, quoniam nullus Catholicorum negat hæc omnia ad summum Pontificem pertinere, neque rationem efficaciorem reddere possunt, quam amplissimum et universale privilegium illud, 'Quodcunque solveris, &c.' Et quamvis verum sit, quod Theophylactus et alii dicunt, quod uni Petro promissum fuit, Matt. xvi., datum esse omnibus Jo. xx.; tamen non est verum quoad omnia. Siquidem Petro Matt. xvi. promissa fuit potestas, non solum remittendi peccata, sed etiam solvendi omnia vincula, quæ impedire possunt adeptionem Regni cœlorum.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 192. [Op., tom. vii. col. 812. B. C.]

[(2.) De absolvendi potestate item negata.]

Ad Secundum[e]. Etiam in *secundo* cavillatur modo, nec mendacium excutit. Quid autem refert *qua de causa scripserit*, si, quod verum est, non scripserit. Potestne justa cuiquam esse *causa*, quod falsum est, scribendi? *Nullus Catholicorum negat hæc omnia* (nempe in *votis, legibus, Juramentis* dispensare) *ad summum Pontificem pertinere.* Nullus *Catholicorum*, scilicet *Romanorum* qui jam sunt. At sunt, indiesque plures futuri sunt *Catholici*, absque hac *Romani* additione. Quid tum autem, si *nullus* jam? *Nullusne* olim? *Catholicum est quod semper, quod ubique, quod ab omnibus, creditum est*[f]. *Neque rationem efficaciorem reddere possunt, quam amplissimum illud et universale privilegium, 'Quodcunque solveris,' &c.* Quid porro, si *non possunt* vestri jam, qui sic
338 sentiunt? Ergone non ea plurimorum sententia, quod promissum Matt. xvi., præstitum Joan. xx., qui secus, atque vos hodie, olim senserunt? *Verum est, quod promissum est Petro, Matt. xvi., datum omnibus Joan. xx.; sed non verum quoad omnia.* Plus ergo promissum, minus datum, æquivoce hoc: (quod bonæ fidei promissor, quod Christus non facit,) si quod promisit *quoad omnia, quoad omnia* non dedit, sed *quoad aliqua* tantum. Longam vero hic occipit narrare fabulam. *Promissam Petro potestatem non solum remittendi peccata, sed solvendi omnia vincula, quæ impedire possent adeptionem Regni cœlorum.* Primum, annon *remittendi peccata* sufficit? Hic est Esaiæ, *omnis fructus ut auferatur peccatum*[g]. Aliumne fructum concupiscit Cardinalis? Et an *vota, leges, juramenta,* (nisi quid eis insit peccati) *vincula* sunt, quæ *cœli adeptionem impediunt?*

[e] [Vide Resp. Torti pp. 10, 11. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 641. A.]

[f] [Vincent. Lirin. Comm. cap. ii. p. 6. Oxon. 1837.]

[g] [Esai.] cap. xxvii. 9.

Apostolis [autem Joan. xx.] data potestas est remittendi peccata, non quomodocunque, sed per Sacramenta Baptismi et pœnitentiæ.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 192. [Op., tom. vii. col. 812. C.]

Hoc jam Petro promissum, ex toto: Apostolis, ex parte datur, ex sententia Cardinalis. Solus ergo Petrus Episcopus, Apostoli reliqui Presbyteri tantum sunt. Illis enim, non nisi potestas remittendi peccata, nec ea tota. Sola enim, quæ per Baptismum fit, et pœnitentiam, quæ scilicet potestas ordinis vocatur, ac Presbytero cuique communis est. [Hæc potestas ex æquo data omnibus Apostolis,]

Constat habere Episcopos, et multo magis Summum Pontificem, potestatem jurisdictionis, dandi indulgentias, dispensandi in legibus, votis, juramentis. Sed Pontificem illam habere absque limitatione, ut principem, ut caput Ecclesiæ universæ, Episcopos autem cum limitatione, ut vocatos in partem sollicitudinis.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 193. [Op., tom. vii. col. 812. D.]

Majorem vero hac habent *Episcopi*, (*jurisdictionis* scilicet) ad *indulgentias* nempe, et *dispensationes*. Maximam autem *Pontifex*, quia *sine limitatione, ut decet Ecclesiæ Principem* plenitudine potestatis præditum, quam Episcopi *cum limitatione habent, ut vocati modo in partem sollicitudinis.* Verum, ubi illa limitatio reliquorum, plenitudo Petri? Ubi gradus *majoris* et *maximi*, apud Scripturas, apud Patres? An *ex amplissimo et universali privilegio*, '*Quodcunque solveris?*' &c. At idem illud *amplissimum et universale privilegium*, confertur et reliquis, Matt. xviii. 18. '*Quæcunque solveritis,*' &c. Et omnes in æquam sollicitudinis partem vocati sunt. Tam enim Paulum, quam Petrum, *sollicitudo tenuit omnium Ecclesiarum* [h]. Et Christus, qui dedit *Pastores* Ecclesiæ, sic *eos* Pastores constituit, quomodo et Petrum, præcepto de pascendis ovibus suis, quod nemo Patrum Petro peculiare dixit, vel ita *ei* dictum, ut non et *aliis*. Quicquid enim post Romanæ Ecclesiæ *privilegii* accrevit; non vi vocis *pasce* quæsitum, sed juris humani beneficium fuit. Nam id *ei antiquitas contulit.* [et Episcopis.]

Siquis autem quærat, ubi datum .. quod Petro promissum .. Matt. xvi. Respondeo .... Joan. ult., ubi ut Matt. xvi. .... nominatim expressit Simonem et patrem ejus, et distinxit ab aliis.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 193. [Op., tom. vii. coll. 812. D. 813. A.] 339

Nos vero nescii non sumus, quid *responsurus* sit Cardinalis, *siquis ab eo quærat*, de *Dabo* et *Pasce*. At id *quærimus*, quid [Quando data.]

[h] 2 Cor. xi. 28.

ea de re *Patres respondeant.* Et annon aptius *respondeat* promisso *'Dabo'* verbum *'Accipite,'* quo quod dandum promittitur, reipsa datum accipitur? An vero verbum *'Pasce,'* quo aliquid jubetur quidem, nihil autem datur: aliquid ab eo præstandum, nihil ei præstari dicitur? Quod vero nomen utrobique idem sit Simonis Barionæ, et Simonis Joannæ, argutum id magis, quam solidum est, et *acuminis* nonnihil habet, nihil autem *ponderis.* Pariter dicat quis, etsi Matt. xvi. Simonis nomen nominetur, tamen Petro promissum fit; quod tamen non Petro, sed Simoni præstatur, cui Joan. xxi. *pasce* dicitur.

Idem enim est, esse fundamentum ædificii, et pastorem ovilis, et caput corporis, et principem civitatis.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 193. [Op., tom. vii. col. 813. A.]

Sed hæc levia sunt, ut et illa de *Fundamento* et *Pastore. Duodecim enim Ecclesiæ fundamenta*[i], quare et *Pastores* totidem, omnes in æqualem sollicitudinis partem vocati, omnes æquali potestatis plenitudine donati. Nec hæc Jesuitis omnibus consequentia displiceret. Nam *Principis,* et *Capitis* voces, quas hic infercit Cardinalis, neutro loco sunt, vel Matthæi, vel Joannis.

Theophylactus . . . solum dicit, Quod promissum . . Petro, Matt. xvi., datum . . omnibus . . Joan. xx.; quod est verum de potestate remittendi peccata per Sacramenta, non autem verum est de omni potestate solvendi atque ligandi. Neque hoc Theophylactus negare potest. Cum S... Chrysostomus . . . dicat [*leg.* scribat.] Petrum factum esse caput totius Ecclesiæ.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 193. [Op., tom. vii. col. 813. A. B.]

[De hac re testimonia Theophylacti,] Theophylactum compingit in *Æquivocantes.* Adscribo hic verba Theophylacti. *Quamvis autem Petro soli dictum sit, 'Tibi dabo claves:' Omnibus tamen Apostolis concessæ sunt. Quando? Cum dixit, Quorumcunque remiseritis, &c*[j]. Quod promissum, datum, ait Theophylactus; imo, Quod promissum, *ex parte* datum, ait Cardinalis. *Ex parte* ne promissum? atque ita *pars* modo promissa: Imo promissum *ex toto,* datum *ex parte, potestas* scilicet *remittendi, per Sacramenta tantum.* Ita, quod promissum, non datum; *æquivoce* ergo promissum, quod aliter promissum atque datum. *Neque Theophylactus*

[i] [Apoc. xxi. 14.]

[j] [Εἰ γὰρ καὶ πρὸς Πέτρον μόνον εἴρηται τὸ, Δώσω σοι, ἀλλὰ καὶ πᾶσι τοῖς ἀποστόλοις δέδοται. Πότε; ὅτε εἶπεν; Ἂν τινῶν ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται. —Theophyl. in Matt. xvi. Op., tom. i. p. 85. D.]

hoc negare potest. Quam jejune! Certe hic *negat:* nec nobis, quid *facere possit,* quæstio est, sed quid *fecerit.* Quare autem non potest? *Quia Chrysostomus dicit, factum esse Petrum Caput Ecclesiæ, et totum ei Orbem commissum* [k]. Dicet idem hoc de reliquis Theophylactus, et illis commissum Orbem, et illos *hoc fuisse, quod utique fuit et Petrus, pari consortio præditos, non honoris modo, sed et potestatis* [l]. Certe Cyprianus fidenter hoc diceret. Quare, nec illos simplices Presbyteros fuisse, quibus sufficeret *potestas remittendi peccati per Sacramenta:* sed et omnem potestatem solvendi, et ligandi fuisse eis necessariam, et quia necessariam, concessam: Et non Petrum solum; illos quoque missos a Christo, non autem minus, aut aliter, quam *sicut Christum misit Pater* [m]. 340

Anselmus quidem dicit, . . . sed addit, Unum Petrum factum esse principem Apostolorum [n].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 194. [Op. tom. vii. col. 813. B.]

Anselmus quid ibi subjungat, non valde refert, cum, de quo quæritur, id disertis verbis fateatur. *Hanc potestatem clavium non soli Petro datam, sed in Petro omnibus datam: unde post passionem dictum, 'Quorum remiseritis, &c.'* Non hic ergo colligit Anselmus, aliquid ibi peculiare Petro concessum, quod non et *reliquis.* [S. Anselmi,]

Hugo . . . . dicit (potestatem remittendi peccata) promissam . . Matt. xvi., et datam Joan. xx.; sed non negat aliam quoque potestatem promissam et datam Petro, quæ non est expressa Joan. xx°.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 194. [Op., tom. vii. col. 813. B. C.]

De *peccatis remittendis,* Hugo non loquitur. Quid *Clavium* voce intelligendum veniat, edisserit: atque *idem haberi* dicit Joan. xx. Cardinalis autem *non negat aliam.* Hugo et *aliam negat,* et *aliud,* si idem asserat. Nec uno eodemque promisso, una vice facto, potestatem aliam atque aliam, hanc *expressam,* illam *non expressam,* sed *eandem* contineri. [Hugonis de S. Caro,]

Ferus . . non confert Matt. xvi. cum Joan. xx.; frustra itaque citatur. Neque tantus est auctor, ut ejus testimonium movere nos debeat.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 194. [Op., tom. vii. col. 813. C.]

---

[k] [Vide supra, p. 302. not. [s].]

[l] [S. Cypr. de Unit. Eccl. Op., pp. 107, 108.]

[m] [Joan. xx. 21.]

[n] ["Notandum est, quod hæc potestas non solum Petro data est, sed sicut Petrus unus pro omnibus respondit, sic in Petro omnibus hanc potestatem dedit. Unde post passionem dictum est," &c.—S. Anselm. Enarr. in Matt. xvi. Op., tom. i. p. 74. b.]

[o] ["Claves sunt potentia et scientia discernendi, qua dignos recipere, et indignos excludere debet a regno, et idem habetur Joannis xx."—Hugo Card. in Matt. xvi. Postill. tom. v. fol 52. K. Paris. 1545.]

[Feri,] *Ferus non confert locum hunc, cum* Joan. xx. Hic Cardinali appono verba. Lector judica. *Tibi* (inquit) *dabo. In futurum pollicetur scilicet se daturum claves, non hoc loco* [*dedit*]. *Quæramus igitur, ubi claves ipsas dederit in præsenti. Et non occurrit alius locus, nisi is, qui in Joanne, 'Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis, &c.' Claves igitur Regni cœlorum sunt potestas remittendi et retinendi peccata, idque* [leg. *id quod*] *etiam ex hoc loco probatur. Protinus enim addit Christus, quodcunque solveris* [leg. *ligaveris*] *super terram, &c.*[p] Non ergo *citatur frustra.* At Feri testimonio Cardinalis *non movetur.* Nec *tanti* est. Ne sit, at est Catholicus; et illum ut Catholicum tuetur Medina[q], ut (quod *mendacii* caput est) *Catholici omnes* non id inde *colligant.*

Halensis . . . contra dicit, Claves datas fuisse (soli) Petro. Matt. xvi.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 194. [Op., tom. vii. col. 813. C.]

[Alex. Halensis,] Dicit vero Halensis, bis dicit, utroque loco citato, *datas fuisse Petro claves: aliis Apostolis similiter datas Joan. xx.* Artic. III. § 1[r]. Iterum *Claves fuisse datas ibi, 'Tibi dabo, &c.' Aliis fuisse datas etiam, idque expresse ibi, 'Accipite Spiritum Sanctum,' Joan. xx.*[s] De *promisso* forte aliter sensit, quam alii; sed *Claves* tamen sensit easdem utrobique datas. Neque vero Petro ipsi (utcunque Claves) *beatitudinem* tamen *Clavium datam*[t], priusquam cum *reliquis* Spiritum Sanctum accepisset; Quo sane non accepto, (nec obstabant quicquam Claves) negato ter Domino, turpiter impegisse.

341 S. Thomas . . . dicit datam esse primo soli Petro potestatem ligandi et solvendi, deinde datam esse aliis, ut ostenderetur ab illo tanquam a capite descendere debere potestatem in alios.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 195. [Op., tom. vii. col. 813. D.]

[S. Thom. Aquin.] Nullus autem de Thoma *citatus a Rege,* tantum indicatus est *locus,* quo id agitur. Ibi vero ille, non in argumento

[p] [Joan. Feri Comm. in Matt. cap. xvi. lib. iii. fol. 27. b. Lugd. 1609]

[q] [F. Michael Medina, Apolog. Joannis Feri, in dedicat. præfixa (p. 5.) Mogunt. 1582.]

[r] ["Consequenter quæritur, Utrum datæ fuerint claves tempore legis gratiæ. Et primo quæritur, tunc si fuerunt datæ, secundo ubi. Circa primum dicitur communiter, quod datæ fuerunt Petro; et hoc videtur Matt. xvi. 'Tibi dabo claves regni cœlorum.' Item aliis Apostolis similiter."—Alex. Alens. Summ. Theol. Par. iv. Quæst. xx. Art. III. § 1. Op., tom. iv. p. 336. col. 1. Venet. 1575.]

[s] ["Respondeo, quod claves fuerunt datæ ibi, 'Tibi dabo,' &c. . . . Aliis fuerunt datæ expresse ibi, 'Accipite Sanctum Spiritum,' &c."—Ibid. col. 4.]

[t] ["Postquam Apostolis data fuit gratia ad robur, tunc fuit eis data hæc beatitudo, qua utebantur clave sine errore; quia tunc eis gratia dabatur ad discernendum inter peccatum et peccatum. . . . Et intelligendum quod multi habent clavem, qui non habent beatitudinem clavis."—Alex. Alens. ibid.]

contrario solum, etiam ubi solvit, (quantum Regi satis est) fatetur, *Omnibus Apostolis datam communiter potestatem ligandi et solvendi*[u]. At ubi post *primo soli Petro datam* dicit, gratis dicit, estque in eo, non veritati modo, sed et ipse sibi contrarius. Non Petro claves tum datæ, cum dixit ei Christus, *Tibi dabo claves,* Thomas ipse asserit. *Sed dicit, Tibi dabo. Nondum enim erant fabricatæ. Res autem non potest dari, antequam sit. Fabricandæ autem hæ erant in passione*[v]. Non ergo *ante passionem* datæ. Nec ergo vi verborum, *Confirma Fratres tuos*[w]. Nam et illa *ante Passionem.* Jam *post passionem* primo *omnibus Apostolis* dictum, *Accipite Spiritum Sanctum, Quorum remiseritis, &c.* Post autem aliquanto Petro, *Pasce oves.* Prius ergo *omnibus Apostolis* communiter, quam *soli Petro.* Quodsi Joan. xx. *potestas ordinis* data est *omnibus æqualiter,* et, Matt. xviii. *potestas jurisdictionis omnibus* etiam *æqualiter* data est, ut in utraque potestate, ut utrobique pares ita sint.

Sotus . . . nihil in loco citato . . . de hac re dicit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 195. [Op., tom. vii. col. 814. A.]

Nam de Soto frustra sibi creavit Cardinalis molestiam. [Scoti,] In *libris* enim *Regiis,* quos mihi videre contigit, Scotus est, non Sotus. Scotus autem ut ubi citatur, Dist. 19. Art. 1[x].

An ex hoc dicto Hadriani, vel ex aliis citatis Auctoribus convincatur Tortus mendacii, lectorum erit judicio.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 196. [Op., tom. vii. col. 814. B. C.]

Hadrianus dicit quidem, *Claves esse datas scientiæ et potestatis;* sed dicit ibi; *'Tibi dabo Claves,' promissionem esse*[y]. [Hadriani VI.,] Dicit *secundo. De clave ministerii dictum est Petro, Tibi dabo claves, et in Petro Sacerdotibus omnibus, quibus in ordinatione datur Spiritus Sanctus, ut quorum remiserint peccata, &c.*[z].

[u] ["Ad primum ergo dicendum, quod quamvis omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi et solvendi; tamen ut in hac potestate ordo aliquis significaretur, primo soli Petro data est, ut ostendatur, quod ab eo in alios debeat ista potestas descendere." — S. Thom. Aquin. in lib. iv. Sent. Dist. xxiv. Quæst. iii. Art. ii. Solut. iii. Op., tom. xiii. p. 41.]

[v] [S. Thom. Aquin.] in Matt. xvi. [Op., tom. iii. p. 197. b.]

[w] [Luc. xxii. 32.]

[x] ["Contra, Matt. xvi. promittitur Petro, et sacerdotibus, 'Tibi dabo,' &c. et Joan. xx. impletur illud promissum, dicente Christo, 'Quorum,' &c."—Scot. in lib. iv. Sent. Dist. xix. Quæst. i. Op., tom. ix. p. 357.]

[y] ["Ad oppositum est promissio Salvatoris, Matthæi xvi. 'Tibi dabo,' &c." Hadrian. in lib. iv. Sent., de Clavibus. fol. xcvi. col. 2.]

[z] ["Hæc potestas vocatur clavis ministerii. Et de hac clave dictum est Petro, Tibi dabo claves regni cœlorum, et in Petro omnibus sacerdotibus, quibus in ordinatione datur Spiritus Sanctus, ut quorum remiserint peccata," &c.—Ibid. col. 3.]

Dicit *tertio. Has duas Claves notat Augustinus, et post eum Glossa interlinearis* [a], *Joan. xx^mo. Quorum remiseritis, etc* [b]. Promissæ ergo Matt. xvi. Claves, exhibitæ Joan. xx^mo. Quodsi ita sit, *annon convincatur Tortus mendacii, lectorum erit judicio.*

Datam fuisse occasionem [proditoribus] desperandi, testantur gravissima Edicta in Recusantes.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 196. [Op., tom. vii. col. 814. D.]

[(3.) De occasione desperandi proditoribus data.] Ad Tertium. *Occasiones desperandi* non *datæ* [c], ne occasio quidem. *Edicta* hoc *testari* non possunt, quæ a *Rege* nulla de novo sunt edita. Quæque diu jam ante sub *Regina* vim etiam habebant, ea quoque executioni mandata non sunt.

Quod autem a Jesuitis edocti non fuerint proditores, solis luce clarius est. [Ipsi enim proditores sub ipsum mortis articulum publice professi sunt, nullum se habuisse vel auctorem, vel socium in eo facinore ex Jesuitis, vel aliis Catholicis sacerdotibus.] Id mihi retulit vir nobilis, . . qui . . . audivit protestationem unius ex præcipuis proditoribus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 196 [Op., tom. vii. col. 814. D.]

Edoctos se a *Jesuitis,* in Confessione ipsa, licitum id esse, quod aggrederentur; tum, *Juramento* in scelus obstrictos;
342 etiam *Eucharistia* ad illud confirmatos, Batesius a Greenwello [d], quinque alii a Gerardo, ultro confessi sunt [e]. Nec quicquam apponit Cardinalis, nisi *nobile mendacium,* quod (ut ait) *retulit illi vir nobilis:* atque illud de *uno* tantum, cum essent tamen conscii, ad minus, *viginti.* Ter vero pro *Tribunali* [f], terna etiam vice rem fassus est Garnettus ad patibulum [g], literis vero sua manu scriptis sæpius etiam [h], *extra Confessionem* sibi rem cognitam.

Actionem in Proditores . . . plenam esse mendaciis maximis et clarissimis, perspicuum est ex responsione jam edita. . . . Et miratus fuissem inveniri homines, qui mentiri auderent de rebus notissimis, nisi legissem a Perse-

---

[a] Vide Gloss. Interl. ad Joan. xx. apud Bibl. Sacra, tom. v. coll. 1325. 1326. B.]

[b] [Hadrianus, ut supra, col. 4.]

[c] [Vide Respons. Torti p. 18. Edit. Polit; et Bell. Op., tom. vii. col. 645 A.]

[d] [Vide 'Jardine's Criminal Trials,' tom. ii. pp. 163. 164.; et Action. in Garnetum, pp. 80. 81.]

[e] [Vide Actionem in Garnetum, p. 80.; et Confessionem Guidonis Fauxii, apud 'Jardine's Criminal Trials,' tom. ii. pp. 158. 159.; ubi Gerardum rei perpetrandæ minime fuisse conscium affirmat.]

[f] [Vide Action. in Garnetum, pp. 100. 102. 129.]

[g] [Vide Supplicium H. Garneti pp. 2. 3. ad fin. Action. in eundem.]

[h] [Vide 'Jardine's Criminal Trials,' tom. ii. pp. 323. 324. 327.]

cutoribus Christianorum conficta fuisse Acta apud Pilatum, de passione Christi.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 197. [Op., tom. vii. col. 815. A.]

Quanti autem putat Cardinalis fore *Responsionem illam* apud prudentes, et an apud ullos pondus habiturum, præterquam fatuos fortè quosdam, quos vos dementastis? Eccui enim cordato fidem facturus *Dæmon Joannes*[i], homo, cui nec fama nec fides, contra *Regni Amplissimi Justitiam* publicam, *Actionemque* coram *Nobilissimis viris Judicibus*, in quos exceptio nulla cadit, nec clam, sed in corona hominum maxima habitam, publicis tabulis consignatam? Non magis certe *Dæmon Joannes*, quam *Dæmon Satanas*. *Acta* vero, quæ narrat ibi *Conficta*[k], annis post Christum passum amplius trecentis sub Maximino, (cum nec *Judex* jam, nec rei *testis* superesset,) quid habent simile his, quæ excepta sunt ex ore ipsorum pro *Tribunali* sedentium, quorumque innumeri supersunt adhuc *Testes*, qui os illud in ruborem darent, si os haberet modo: si quidquam *hominis*, si non omnia *Dæmonis* haberet. Quæ vero etiam hic Cardinalis modestia, cum *Regni Tabulis*, *Græculi* nescio cujus, vel in Sicilia, (ut ferunt) nati, *famæ* (ut videtur) pariter *conscientiæque* prodigi, scriptitationes conferre? atque ita *mendacium* impudentia cumulare? *impudentem* enim qui scripsit, nec minus qui credat. Sed nimirum ita *Legendis* suis assuetus Cardinalis, quæ *plena mendaciis Sanctis*, ut nihil pensi habeat *Gerris* quoque *Siculis* fidem habere.

Puritanos . . . abhorrere a Juramento primatus[l]. . . . Nam Rex in utroque libro[m] Puritanis tribuit Anarchiam, Anarchia autem, et Monarchia . . . sunt contraria.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 197. [Op., tom. vii. col. 815. B.]

[(4.) De rejecto a Puritanis Juramento Primatus.]

Ad Quartum. Annon in Quarto (præterquam, quod *mendax*) *delirus* etiam Cardinalis, qui, quos quotidie pro Concione audimus *titulum* eum Regi tribuentes, qui oculis usurpamus, *manu* ei, atque *Scripto* attestantes, etiam tactis Sacrosanctis in Potestatem Regis Summam jurantes, ab eo bis jam asserat abhorrere? atque hoc se nobis posse putet persuadere? Facto tenetur res. Philosophatur tamen contra rem factam, quod vix hominis consulti est. Quid hic

[i] [Vide supra, p. 434. not. [s].]
[k] [Vide Euseb. Hist. Eccl. lib. ix. cap. 5. e vers. Ruffini, apud Auctores Hist. Eccl. p 204.]
[l] [Vide Respons. Torti p 26. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 649. A.]
[m] [Vide Basilicon Doron ut citat. supra, p. 38. not. [t]; et Præfat. Monit. p. 60. Edit. 1610.]

343 autem docendus est denuo, a Rege dici, paritatem illos in Clero (et quæ eam consequitur *Anarchiam*) consectari, nempe inter se (*ministros* scilicet:) salva tamen atque illibata Regi auctoritate, atque *primatu* suo. Tum, profitentur in Scotia Regem *Ecclesiæ Defensorem*, negant ergo *Gubernatorem Summum;* ubi Dialectica? Sed, et *Gubernatorem* profitentur, idque jurati; ubi jam et veritas?

Calvinus ... primatum, neque Regi, neque Pontifici ... permisit. Ac ut Regi domesticum Testem adducam, exstat liber Rich. Bancrofti, qui se Cantuariensem Archiepiscopum vocat, ... in quo ... hæc leguntur; ... 'Quod Calvinus nullo modo ferre poterat Henricum VIII. Caput Ecclesiæ vocari [n].'—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 198. [Op., tom. vii. col. 815. C. D.]

Porro negat in Rege Calvinus *primatum* illum, qualem sibi *Papa* vindicat; negat ergo omnem. *Æthiops albus dentes.* Postremo, Reverendissimus atque Illustrissimus Archiepiscopus, ante annos jam viginti, scripsit ex eorum thesibus nonnullis, nonnullam suspicandi occasionem dari, quasi iniquo essent in *Regium primatum* animo. Et ita forte tum fuit. At dies diem docet, et ex eo facti æquiores. Fecerunt non ita pridem, quod fecit Cardinalis ipse, *recognoverunt* errores suos. At illud quis ferat, cum de *persona* tam *illustri* mentio facienda, quam est Cantuariensis Archiepiscopus, (quem Juris vestri Canonici [o] Glossa Patriarcham nominat) Cardinalem, quasi rabula forensis sit, et libellum scribat, vel formulam, ita de eo verba facere, *qui se Archiepiscopum Cantuariensem vocat?* Non Ille *se* solum, at a non minus vel multis vel bonis vocatur, et nihilo deteriore jure fuit *Archiepiscopus* hic, quam ille *Cardinalis*. Ferretne æquo animo Cardinalis, siquis ita de illo, *Robertus Bellarminus, qui se gerit pro Cardinale?* Quam hæc vero *Cardinalem* non decebant? Nam de Calvino, Cardinalis bis jam rejectus est [p].

Nulla ... fit in verbis Brevis mentio temporis Reginæ Elizabethæ, aut initii Regni Jacobi. Perperam ergo verba Brevis ad illa tempora referuntur, præsertim cum neque tempore Reginæ neque initio Regni Jacobi Paulus Quintus Pontifex fuerit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 199. [Op., tom. vii. col. 816. B.]

---

[n] [Vide 'Bancroft's Survay of the Pretended Holy Discipline,' cap. xxii. p. 251. Lond. 1593.]

[o] ["Archiepiscopis, id est primatibus, quo nomine comprehendit alios Patriarchas sive Primates, ut Aquilegiensem, Cantuariensem, Bituricensem."—Gloss. ad Decr. Par. i.] Dist. xxi. c[ap.] i. [Corp. Jur. Can. tom. i. col. 92.]

[p] [Vide supra, pp. 36–38.]

Ad Quintum[q]. *Non fit in Brevi, Regis vel Reginæ mentio.* Sed verba illa Brevis, *semper affecerunt, jugiter sustinuistis*[r], præsertim vero, *jugiter* et *semper*, quis non videt, ad unius anni spatium referri non posse? (nimis angustus, ad eas voces, *jugiter et semper*, annus unus aut alter). Longioris temporis usura opus esse, ut aliquid *jugiter* et *semper* factum dicatur. Quid si autem *Pontifex tum non fuit?* Nullamne ergo mœroris partem sustinent *Cardinales?* omnemne in *Pontificem* rejiciunt? Mœstum ergo fuisse, nondum *Pontificem*, quid vetat? *propter calamitates*, quas, vel regnante adhuc Regina ELIZABETHA, vel regnum ineunte Rege, *sustinuerant.* Sic quidem oportet: Alioqui *non affecerunt* semper *Pontificem mœrore calamitates, quas illi* jugiter *sustinuerunt.* 344 Bimulus modo Pontifex erat, cum primum illud Breve scriberet. *Semper* autem (id est) *nuper: jugiter* (id est) *anno hoc* vel *superiore, Pallium est breve nimis*[s]. *Mendacium* hoc operire non potest. [(5.) De mœrore Pauli V. ob persecutiones Anglicanas.]

In libello Latino edito Rhotomagi .... habentur omnia illa, quæ Rex negat. [Bell. Apol. pro Resp.] p. 200. [Op., tom. vii. col. 816. D.]

Ad Sextum, Septimum, et Octavum[t]. Non hic negat splendide *Mendacem*[u] se Cardinalis; tantum se tria illa egregia *Mendacia* sua retulisse ex *Rhotomagensi libello;* tantum *Mendacem* nescio quem *Breviculum* affert[x], quem se narrat secutum esse. Vir bonus præstare debet, ut non mentiatur: prudens, ne *Mendacium* dicat. Non enim ideo *Mendacium* non est, quia Rhotomagi impressum: nec ideo vera, quia in libro illo habentur; sed ideo falsa, quia Rex Legislator negat. Negat vero Rex, quia in *Edicto* nihil eorum habetur, quorum ille mendax *Breviculus* est. Verum justo hoc Dei judicio obtigit, ut Cardinalis, qui veræ *Actioni in Proditores* non credit, credat *Actis mendacibus* ex *Breviculo Mendaciis pleno.* [(6.) (7.) (8.) De legibus in Romanenses sanctis.]

Ac ut fidem meam ... liberem, et quia libellus exiguus [*leg.* elegantissimus] est, dabo operam, ut primo quoque tempore recudatur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 201. [Op., tom. vii. col. 817. A.]

---

[q] [Vide Respons. Torti p. 28. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 650. A.]

[r] [Brev. I. Pauli V. apud Resp. Torti, p. 12.; et Bell. Op., tom. vii. col. 642. A.]

[s] [Es. xxviii. 20.]

[t] [Vide Respons. Torti pp. 28—30. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 650. B. D.]

[u] [Cf. Hor. Carm. III. 11. 35.]

[x] [Titulus libri, ut a Bell. citatus, ita se habet, 'Breviculus duorum nuper in publicis comitiis Anglicanis actorum,' &c.—Rothom. 1606.]

Nec si *recudi curet, fidem liberabit* tamen: qui *Libello exiguo Mendaci* exiguam fidem habere debuit, seu nullam potius. *Det operam* potius, *primo quoque tempore* ut exurantur, siqua reliqua sint Exemplaria. Ipse autem liberet animam, fatendo, ex *Mendaci* libro, se *Mendacia* temere per omnes provincias disseminasse: vel, si *recudat*, apponat ei titulum, *Breviculus Mendax*, cujus fidem secutus Cardinalis Bellarminus *tria magna Mendacia* in Torto suo propalavit. Quid vero mirum, si a *Sicilia usque* non nisi *Mendacia* exspectemus, quæ Rhotomagi, quod multo propius a nobis abest, tam sunt venalia?

> Qui . . jurat, ut hæc formula præscribit, pariturum se [Regi] non obstante sententia Excommunicationis a Pontifice lata, iis negare censetur potestatem Pontificiam ligandi per sententiam Excommunicationis. Et qui jurat . . . et credit se non posse a Pontifice absolvi [*leg.* a nullo se posse absolvi, ac ne ab ipso quidem Pontifice] ab obligatione hujus Juramenti, is negat in summo Pontifice potestatem solvendi: Quod . . . dicit Rex, 'Nullum esse verbum nisi conditionale in . . . Juramento de Pontificis potestate[y],' . . . non apparet in quo sensu veritate nitatur. Ista siquidem verba ['Vere credo, et certa conscientia teneo, quod neque Papa, etc.'] non sunt conditionalia, sed absoluta.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 201. [Op., tom. vii. col. 817. B. C.]

[(9.) De negata Pontifici tum ligandi, tum solvendi, potestate.]

Ad Nonum[z]. Mirum autem, *negari in Juramento potestatem ligandi*, in quo propositio tamen nulla sit, quæ illam neget. Sed novo modo *negatur*, non per *assertoriam propositionem* ullam, sed *per Juramenti formulam*. Novum (credo) negandi genus, *per formulam* negare. Nam, *Qui jurat pariturum se Regi, non obstante sententia Excommunicationis, censetur negare potestatem ligandi Apostolicam*. At de *Apostolica* nihil illic vel asseritur, vel negatur: *Pontificiam* dicere voluit. Ac *propositio* quidem expresse continetur in *Juramento; negatio* vero nec *ex consequente*. Recte igitur dixit Cardinalis,
345 *Censetur negare*. Nec enim *negat*. Non enim *negat* in Pontifice ligandi potestatem, qui excommunicare posse ponit; *negat* eousque porrigere se ligaminis vim, ut officii ligaturas solvat: nec ligare omnino negat, sed eousque ligare, ut pro *Principe* habere vel *Patre* non liceat, eive parere, qui excommunicatus sit. Negat '*ligare istud*' vincula Naturæ revellere.

[y] [Vide Mendac. Torti refutat. ad calc. Præfat. Monit. p. 182.]

[z] [Vide Respons. Torti p. 35. Edit. Polit.: et Bell. Op., tom. vii. col. 653. C.]

Potestatem ligandi non negat in suos, concedit *ligare,* sed *est aliquo prodire tenus, nec ultra dari*[a]. Pariter, *qui jurat, credere se, quod non possit eum solvere Papa a Juramento hoc,* non negat potestatem *solvendi* in Papa, nec *solvendi a Juramento; tantum ab hoc Juramento. Solvere* posse eum largitur; *hoc,* non posse. Esse enim *Juramentum* ejusmodi, ita *congenitum,* ita *Naturæ nexum,* tam vero arctam conditionem esse *Juramenti;* ut etsi, super *alia* forte, tamen super *hoc, solvendi potestas* illa non currat. *Apparet* hinc (credo), *quo sensu veritate ibi nitatur Juramentum: Quædam* enim *Juramenta* non potest solvere Pontifex. Inter *illa quædam,* hoc nostrum est. *Absoluta* autem hic *verba* esse, *absolute* falsum.

Si qui sint Regum imperio non subditi, etiamsi Christiani sint, certe subjici et obedire non tenentur, nisi forte vi, et potentia adacti . . . . . Quæro . . a . . Rege, utrum existimet Reges illos Christianos Lucium, et Donaldum debuisse obedientiam, et subjectionem propter conscientiam Ethnicis Imperatoribus? Negabit, opinor, neque alia de causa, nisi quia Summi Principes erant in suis Regnis.--[Bell. Apol. pro Resp.] p. 202. [Op., tom. vii. coll. 817. D. 818. A.]

[(10.) De obedientia a Pontifice Regibus præstanda.]

Ad decimum[b]. Hic vero *mendacium* non eluit, quin alio mendacio inquinat, de novo. Nam ipse *paruisse eos coacte* dicit, et ipsi *se lætos* aiunt *inservire*[c]. Et, *ideo ita paruisse, quia eorum imperio subditi non essent:* At Apostolus Paulus, *subditos eos* et dixit, et esse voluit, cum *omnem animam*[d], Petrus adhuc magis, cum *Gentem sanctam subjici* jussit[e]. Nec enim si *Baptismus* Christianos imperio non eximit, *Ordo* potest Clericos; *Baptismus* enim *Regale* illud *Sacerdotium* efficit, non *Clericatus.* Iniqua vero comparatio, *Pontificis,* ad *Principem liberum:* Victoris, Afri hominis, et in Provincia nati, ad Donaldum, qui Gentis illius Rex, quæ Provincia nunquam fuit, nunquam Romanis paruit, quorum nemo ultra Severi vallum imperium protulit. Qui vero intra terras, quæ Romanæ ditionis erant, natale solum habebant, (ut fere Pontifices) quos ad *Cæsaris Tribunal judicari oportuit*[f]; eosne quisquam eo loco ponat, quo liberos, et sui juris Principes, atque in quos ne Cæsares quidem ipsi jus ullum vindicarent?

[a] [Vide Hor. Epist. I. 1. 32.]
[b] [Vide Respons. Torti, p. 37. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 654. C.]
[c] [Vide S. Justin. Martyr. Apol. i. cap. 17. Op., p. 54. B.]
[d] [Rom. xiii. 1.]
[e] [1 Pet. ii. 9. 13.]
[f] [Cf. Act. Apost. xxv. 10.]

Novum ergo hic *mendacium* addit, non vetus excutit, *nullum Pontificem ulli Imperatori subditum: non magis quam summum aliquem in suo Regno Regem. Ego quidem jussioni subjectus*[g], ait Pontifex: et Imperatorem *Serenissimum Dominum*, et se *indignum famulum* appellat[h]. *Subjectus velim nolim*, (interprete Cardinale,) et illum *Dominum*, se *Servum* æquivoce. Bone Gregori, ut te jam habent Cardinales Ecclesiæ tuæ! 346

> Summus... Pontifex, Christi Regis Regum Vicarius, Imperatoribus terrenis jure subditus non erat, ac per hoc obedientiam illis non debebat: sed tamen, tum quia potestas ejus nota non erat Imperatoribus Paganis, tum quia viribus destitutus erat, vellet nollet, . . . subjectus esse cogebatur. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 202. [Op., tom. vii. col. 818. AB.]

Sed etsi *Potestas Pontificis nota non erat Paganis*, Neroni, et Diocletiano *Pagano:* at huic Neroni, et Diocletiano Gregorii[i], (ut eum Cardinalis, id quoque falso) Christiano, quomodo potuit *ignota* esse res tanta, de *Christi Regis Regum Vicario*, sibi *non subdito?* saltem, cur eam Gregorius notam non fecit? Credo, quod nec Gregorio ipsi nota, non magis quam Mauritio. An vero nota quidem, sed celare voluit, ne idem scilicet illi eveniret, quod Paulo eventurum alicubi dicit Cardinalis, *ne in risum omnes erumperent*, si ad *Petri* se, non *Neronis, tribunal oportere dixisset judicari*[k]? Solvuntur omnes in risum, qui locum eum Cardinalis legunt. Quid enim? Qui Christum crucifixum prædicabat, *Gentibus stultitiam*[l], Athenis χλευασμὸν[m], is summum suum Pontificem prodidit, ne deridiculo foret? Fortior ergo Cardinalis vel Apostolo. Rideri sustinet, ut potestatem hanc notam faciat, quam rideri metuens Apostolus rem tantam turpiter celavit. Verior autem illa altera, de *virium defectu*. Quamdiu enim *viribus defecti* Pontifices, nulli Imperatorum nota vel audita *exemptio* hæc: statim, ubi *adesse* sibi *vires*[n] senserunt Pontifices; sensit Imperator, *qui vir*[o] *Pontifex*. Norant et illi et omnes tum demum: quæ per mille jam annos jacuit ignota, cum Satana solvenda. De ea in utramque tum aurem *Cæsares* audierunt, simul posse *Illi*, simul nosse *Hi*. Et quidem notio-

[g] [S.] Greg. [M.] Lib. ii. Ep. lxi. [leg. lxii. sec. vett. Editt.; Lib. iii. Ind. xi. Ep. lxv. Ben. Op., tom. ii. col. 677. B.]
[h] [Ibid. col. 675. A.]
[i] [Conf. S. Greg. Mag. in Ps. ci.; ut citat. supra, p. 420. not. [m].]
[k] [Bell.] Respons. ad Doct. Theolog. [Op., tom. vii. col. 1051. C. D. vide supr. p. 424. not. [g].]
[l] [1 Cor. i. 23.]
[m] [Act. Apost. xvii. 32.]
[n] [Vide Bell. de Rom. Pont. lib. v. cap. 7. Op., tom. i. p. 235. G.]
[o] [Conf. Terent. Andr. III. 1. 12.]

nis hujus notitia omnis, a *Pontificum* potentia pendet, qui ubi possunt, inculcant sedulo; ubi non possunt, non gravate prætermittunt. Atqui nos Gregorio, in gratiam *Apostolatus* nostri, hunc honorem habemus, ut quia se *famulum* dixit, et Mauritium *Dominum*, univoce hæc dixisse illum, non *æquivoce* statuamus. Univoce proin subditum fuisse ejus imperio, adeoque univoce paruisse, et velleitatem forte aliquam, ne quædam imperari, ubi imperata essent, voluntatem, ne pareret, non habuisse.

Brevia . . . Pontificia neque nominatim Jacobum Regem excludebant, neque nominatim includebant, sed hortabantur . . . , ut curarent, quantum in se esset, ut Rex eligeretur, a fide Catholica non abhorrens.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 203. [Op., tom. vii. col. 818. C.]

Ad Undecimum[p]. Quid hic attinebat, suum illud '*nominatim*' intercalare, ne ipse quidem *Rex nominatim* dixerat, nec id in *mendacio* notatum est. Quid opus vero? Potest excludi quis, *nomine non nominato*, nempe si ita notatus, ut, præterquam ei, notatio illa nemini possit convenire. Atque ita in *Brevibus* notatus Rex, ea clausula; *Curaret non recipi, quantumcunque propinquitate sanguinis niteretur*[q]: quod perinde erat, perinde omnes intelligebant, ac si scripsisset, *curarent non recipi Regem* Jacobum. Cuivis enim in proclivi duo hæc connectere; Excludatur, *qui vel maxima sanguinis propinquitate nititur*, (nisi paratus sit non modo *tolerare*, sed omni ope et studio *promovere Religionem Romanam*, atque in ea verba jurare); *Jacobus Rex maxima sanguinis propinquitate nititur*, sed ne *tolerare* quidem *Religionem Romanam* in animo habet, nedum *promovere*, minime autem omnium, *id se jurare facturum*. [(11.) De Brevibus Clement. VIII.] 847

Injuria illa quidem in Regem summa, Regesque adeo omnes, *Curarent ut eligeretur*. Quid hic opus, quid in Gallia, cum de *Hærede* vero ac *legitimo* constaret apud omnes? In eo autem, quod dicitur *non abhorrens*, bis jam *mendax* Cardinalis: Non enim debuit, *non abhorrere* modo, quin res quoque vestras, atque *religionem*, totis viribus *promovere*.

Vidit . . (Garnettus), verba Brevium posse in malam partem accipi, vel audivit Regem Jacobum vere a Catholica fide alienissimum esse. Ideo . . . ignibus tradidit, ut non obessent.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 203. [Op., tom. vii. col. 818. C.D.]

---

[p] [Vide Respons. Torti p. 47. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 659. B. C.]

[q] [Action. in Garnetum, p. 73.]

Poterantne vero *in malam partem accipi Brevia*, vel *obesse* causæ vestræ, ac non multum *prodesse* potius, *quibus includebatur potius Rex quam excludebatur? Malamne in partem acciperet* Rex *includi se Brevibus*, aut quibus sic inclusus, cuiquam ea *obesse* sineret? Quam hæc non cohærent? Sed *audivit Regem a Papa alienissimum*. Tumne id primum audivit Garnettus? annon, id ei ante compertum? annon mentem suam ea de re Compresbytero suo per literas notam fecerat[r]? Manet utique *mendacium* hoc; et est hæc Cardinalis ficulnea[s] modo excusatio.

Ex quatuordecim. Articulis . . . soli tres sunt . . . qui de potestate Pontificis nihil dicunt.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 204. [Op., tom. vii. col. 818. D.]

[(12.) De articulis in Juramento Fidelitatis, quæ Pontificiam respiciunt potestatem.]

Ad Duodecimum[t]. Ne hic quidem substat Cardinalis. Nam ex *undecim illis Articulis*, qui de Excommunicatione loquuntur, *quatuor* modo sunt; quorum, tres primi, Regem excommunicatum a Papa; ultimus vero (qui est *undecimus*) Principes a Papa excommunicatos supponit. Ea *spiritualis Papæ potestas* est, quam neque *attingit Juramentum hoc*, nec, ut attingat, opus est. Aliud enim jamdudum est ea de re *Juramentum*, et graviore pœna sancitum. Deponere de Regno
348 Principes, ad potestatem Papæ non spiritualem, quin temporalem, eamque indirectam, hactenus vel Cardinalis pertinere asseruit. Nec nisi quinto de Pontif. libro, jus illud tractatum, ubi *de temporali potestate*[u] agitur. Non tamen jam *temporali*, quia nulla jam ei est *Apostolica temporalis auctoritas*[v]. Nondum igitur completæ *Recognitiones ejus*; quoties scribit, novi aliquid parturit. Jam nulla est *potestas Pontifici temporalis: Deleatur*.

Eam vero potestatem ad primatum in spiritualibus pertinere dubium non est, cum Papa non excommunicet, neque deponat Principes nisi Apostolica potestate.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 204. [Op., tom. vii. col. 819. A.]

Totum vero quintum illum de Pontifice librum hic *recognoscit*, et *addiscens senescit*[w] Cardinalis. Nunc primum ex eo audimus, *potestatem deponendi Principes, ad primatum in*

[r] [Vide Tortur. Torti p. 197. Lond. 1609. (p. 233. Edit. nostr.]
[s] [Cf. Theocr. Idyll. x. 45., et Hor. Sat. I. 8. 1.]
[t] [Vide Respons. Torti p. 60. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 665. D.]
[u] [Vid. Bell. Op., tom. i. p. 231. seq.]
[v] [Vide supra, p. 204. not. [b].]
[w] [Conf. Cicer. de Senect. cap. viii.]

spiritualibus pertinere. Atque id *dubium non esse.* Quam *potestatem,* huc usque *dubium non fuit,* ad *primatum in temporalibus* pertinere, *indirecte* quidem hactenus, jam *directe,* quia ad *primatum in spiritualibus.* Jam quoque primum, *Non deponi Principes nisi Apostolica potestate:* quam tamen *Apostolos* constat non exercuisse, et siquam habuerunt, *potentia* tantum habuisse, nec *in actum* unquam perduxisse; quibus tamen (credo) vires non dicet defuisse. Ad *Apostolos* igitur in *actu primo,* ad *Papas* in *actu secundo*[x]. Quibus tamen verbis *excommunicandi* potestas *Apostolis* concessa, tenemus: Quibus vero *deponendi* hæc, non liquet. Non enim (credo) *per claves regni cœlorum.* Vel ergo *olim,* vel *jam mendax* Cardinalis. Sed *jam* potius.

[(13.) De Pontificis potestate ad reges deponendos.]

Ad Decimumtertium[y]. Quod Papa Principes deponat *Apostolica potestate,* parum inter se concordes *Catholici* tui Campianus et Hartus. Hartus enim nec *Apostolicam* ad hoc *potestatem* agnovit in Pontifice; nec id ei ullo modo licere dixit, scripsit, libro edito testatus est[z]. Hartus enim *mistus* modo *Papista,* Campianus *Puritanus;* uterque damnatus capitis. Plurimum autem merito suo Campianus, quod ad partes Pontificis (qui Reginæ hostis capitalis seditionem ante Borealem concitarat, qui legiones suas immiserat in Hiberniam) uno anno *decem millia aggregasse se,* vanus homo gloriatus sit. Nam Harto venia data, qui nullo modo penes Pontificem esse Regna mutandi, Reges abdicandi potestatem, (contra quam Cardinalis) ore, manu asserebat[a]. Quod ipsum sentire se professi sunt, varii tum ex omni Ordine, Episcopus olim Watsonus[b], Abbas Fekenhamus[c], Regius Theologiæ 349
Professor Yongus, Pater societatis Bosgravius[d], alii et *Sacerdotes,* et *Laici.* Necdum enim transierat in *Fidem* Pontificis

[x] [Vide Joan. Gerson. Proposit. fact. coram Anglicis, Consid. iv. Op., tom. i. col. 290. (perperam 890.) C.]

[y] [Vide Respons. Torti, p. 63. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 667. D.]

[z] [Vide Præfationem inscriptam, 'John Hart to the indifferent Reader,' præmissam libro, cui titulus, 'The Sum of the Conference between John Rainoldes and John Hart, touching the head and the faith of the Church, A.D. 1584.' Lond. 1598.]

[a] [Vide Respons. Jo. Hart. apud lib. cui tit., 'A particular Declaration,' &c. (ut supra, p. 440. not. [d].) sign. D. i.]

[b] [Vide Quæst. in Thomam Watson. Episc. apud Goldasti Monarch. tom. iii. p. 66.]

[c] [Ibid. pp. 66, 67.]

[d] [Vide Jac. Bosgravii responsionem, apud lib. cui tit., 'A particular Declaration,' &c. (ut supra, p. 440. not. [d]. sign. D. ii.]

Potestas Temporalis, (ut superiore anno fuit,) ut hoc jam nuper recocta prodiit, *in Temporalia.*

Bellarminus Hartum nunquam vidit, Campianum semel duntaxat . . . salutavit, ac per hoc neutrum discipulum habuit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 205. [Op., tom. vii. col. 819. C.]

Nec, si Cardinalem præceptorem dixit utriusque Campiani, et Harti, id sequitur, ut eos viva voce docuerit: jecur enim ejus habebant in *Dictatis* ejus, quæ diu ante multorum per manus volitabant, quam excusæ essent ejus Controversiæ. Siquid dicendum, siquid disserendum, quacunque de re quæreretur, referebant se ad *Patrem Robertum,* atque ex eo solo sapiebant, ad *dictata Patris Roberti,* atque inde tanquam ex *tripode* respondebant. Recte igitur Rex, *Celebrasse eos, pro uno ex præcipuis Auctoribus suis, Bellarminum.* Mendaciter Cardinalis, scripsisse Regem, *Bellarminum conscium fuisse, vel Auctorem proditionum, contra Reginam.* Aliud enim longe; Celebrabat, sive Campianus, sive Hartus, Bellarminum *pro uno ex præcipuis suis Auctoribus*: Aliud autem, *Bellarminus conscius vel Auctor fuit proditionis in Reginam.*

Atqui, antea quidem nescio quid balbutiit, de *indirecta* Pontificis *potestate temporali in Reges:* jam vero *directe* dicit deponi eos *Apostolica potestate.* Ea vero *directa* est. Videat vero, an hæc jam ad Reges nihil pertineant, cum post dirum illud carmen Pontificis, *quot habet in Regno suo Rex quivis homines vestros, tot habiturus sit in Coronam suam proditores.* Illa olim *subditos* dedit *indirectos;* hæc jam datura *directos perduelles.*

Disputationes tertio habitæ . . cum Campiano . . . satis ostendunt veram causam supplicii. . . . Non tamen ignoro . . . conficta fuisse crimina conspirationum, quæ neque ipse fassus . . , neque de iis . . convictus fuit.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 205. [Op., tom. vii. col. 819. D.]

[(14.) De Campiano proditionis convicto.] Ad Decimumquartum[e]. Cum, sparso in vulgus scripto quodam Campianus, per totam illi vitam elaborato[f], insolenter se efferret, quasi si nemo adversariorum, nemo mortalium coram eo posset consistere; visum est, ante omnia, per Disputationes illas, hominis procacitatem retundere[g]. Qui, quantus quantus

[e] [Vide Respons. Torti, p. 64. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 668. A.]

[f] [Vide libellum, cui tit. 'Rationes Decem, quibus fretus Certamen Adversariis obtulit in Causa Fidei, &c. apud Concert. Eccl. Cathol. in Anglia. pp. 27—78. August. Trevir. 1583.]

[g] [Exstant disputationes in lib. cui tit. 'A true report of the Disputation,

erat, *Rhetor* erat potius, quam *Theologus*. Nec *disputationum* finis alius. Cum, quam ibi nullus esset, viderent omnes: tum demum alia res agi cœpit, atque de *proditione* ejus haberi quæstio, quod viam scilicet invasioni futuræ sterneret, atque ad res novas subditorum animos sollicitaret, quodque Conventui eum in finem habito, in transmarinis partibus, interfuisset. Cujus ille legitimo judicio *convictus* est[h]: in quo nil de *hæretica*, tantum de *proditoria pravitate* quæsitum est. 350

Vidi ... responsionem, qua Actionis ... mendacia deteguntur, et inde in sententia confirmatus sum, ... non fuisse ullo legitimo judicio probatum, proditionem pulverariam alia via, quam Sacramentalis confessionis, ad Garnettum [per]venisse, quod ipse et in judicio, et ad patibulum confessus est.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 206. [Op., tom. vii. col. 820. B.]

[(15.) De Garneto proditionis pulverariæ extra confessionem conscio.]

Ad Decimumquintum[i]. *Mendacium* hoc non aliter Cardinalis eluit, quam quod dicat, nolle se veritati credere, velle se in *mendacio obfirmari*. Malle se Siculi cujusdam nugis (qui tota de re nihil scire potuit, nihil scribere, præterquam quod ex *mendaci* transfugæ alicujus relatione acceperat) quam *Garnetti ipsius Autographo*. Nihil enim in *Præfatione Regis*, nihil in *libro Comitis*[k], quod non ipsius manu habetur consignatum. 1°. *Non posse se pro certo affirmare, Greenwello animum fuisse tum, ea quæ narrabat, sub Confessione narrandi*[l]. Alia ergo via, quam Sacramentalis confessionis. 2°. *Non id confessum sibi Greenwellum, ut peccatum; verum consultandi gratia*[m]: non ergo sub Sacramentali confessione. 3°. *Præsente tertio* (Catisbeio scilicet,) *idem hoc factum, idque non alio fine, quam ut ambo in scelere confirmarentur*[n]. Extra Sacramentum igitur. 4°. *Peccasse se, quod, quæ sibi comperta, celasset*[o]. 5°. *Ac quod non aperuisset, justissime damnatum*[p]. 6°. *Male sibi conscium fuisse, ac per hoc in Regem pecoasse, suppliciterque veniam petere*[q]. Quare, non sub Sigillo. Illa enim celare, peccatum nullum, atque, id qui faciat, *venia* ei

or rather private Conference, had in the Tower of London with Ed. Campion Jesuite, &c.' Lond. 1583.]

[h] [Exstat Actionis in Campianum plena narratio in MSS. Harl. Cod. 6265. fol. 223.]

[i] [Vide Respons. Torti, p. 65. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 668. C.]

[k] [Comitis Northamptoniæ sc., qui habetur apud Action. in Garnetum. p. 113.]

[l] [Vide Henr. Garneti Autogr. ad Reg. Ap. 6., ut citat. apud Torturam Torti p. 285. Lond. 1609. (p. 347. edit. nostr.)]

[m] [Action. in Garnetum. p. 110.]

[n] [Ibid. ad fin. in Supplicio. p. 3.]

[o] [Ibid. p. 2.]

[p] [Ibid. p. 3.]

[q] [Ibid.]

nihil opus. 7°. *Nolle teneri se ad reticenda quæ auditurus esset, nec audire velle, nisi id ei integrum foret*[r]. Nullum ergo ibi *Sigillum Sacramentale.* Non *credit* hæc Cardinalis. *Credat* ergo Dæmoni[s] suo, *patris mendaciorum,* et re, et nomine, *filio.* At *mendacia* tamen sunt, quæ sic *credit,* vel *mendax* quidem tot vicibus Garnettus ipse.

Sixti 5[t] . . oratio in eam sententiam commode exponi potest.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 106. [Op., tom. vii. col. 820. C.]

[(16.) De Oratione Sixti V.]

Ad Decimumsextum[t]. *Commode* vero hic *exponi posse mendacium* suum contendit. Nam cum Torto non negat. At qui Monachum confert cum Juditha[u], qui potest factam ab eo cædem non approbare? Cædem enim a Juditha factam, credo, non improbat, nec *commode exponi,* quin laudari jubeat.

Alanus dicit quidem, Bellum Reginæ . . . injustum fuisse, . . . sed non dicit, 'Quod quandoquidem excommunicata esset Regina, et hæretica, non solum liceret jam ejus subditis, verum etiam necesse esset, ab obligatione conscientiæ, nudare eam omni præsidio,' &c.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 207. [Op., tom. vii. col. 820. D.]

[(17.) De seditiosis Alani scriptis.]

Ad Decimumseptimum[x]. *Bellum* ibi *Reginæ* non dicit Alanus *injustum fuisse,* (mendacia hic *mendaciis* tegit Cardinalis, *ne perpluant*[y]) sed *nullum:* ut, et paulo ante, *omnes ejus processus juridicos plane nullos.* Quare autem? Quia, *non jam Regina,* quippe quæ *excommunicata;* nec id modo, sed *deposita de dignitate Regia.* Et subditi ejus non modo fide omni atque obedientia soluti: sed expresse eis interdictum, ne fidem ullam præstarent vel obedientiam. Pergit autem, *Perinde ergo, atque Saulem, abjectam ne regnaret. Potuisse autem Duces Saulis* (intellige Stanleium), *quæ ejus erant omnia, Davidi* (Hispano nimirum) *tradere:* annon hæc ibi legit Cardinalis? Et quid hæc sibi volunt? Puto quæ *Regina* jam *non est,* nihil habere quod Reginæ proprium sit. Annon et hæc quoque? *A Joramo Rege* (puta Elizabetha) *Libnam urbem præcipuam et suam* (id est, scilicet, Daventriam) *de-*

351

[r] [Vide Henr. Garneti Autogr. ad D. Annam Vaux, ut citat. apud Torturam Torti p. 287. Lond. 1609. (p. 348. edit. nostr.)]

[s] [Vide supra, p. 434. not. [s].]

[t] [Vide Respons. Torti p. 71. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 671. A. seq.]

[u] [Vide Sermonem Sixti V. in Consist. Patr. habit. ii. Sept. 1589. p. 8., in init. libri, cui nomen 'Antisixtus.' Lond. 1590.]

[x] [Vide Respons. Torti p. 91. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 680. D.]

[y] [Vide Plaut. Trinumm. II. 2. 41.]

sciscere potuisse, et in hostiles manus sese in perpetuum tradere[z]. Horum jam quis sensus sit, nemo tam hebes, quin intelligat.

Monitoria præfatio narrat, non probat. Actio in proditores sine pudore mentitur de iis rebus, quæ notissimæ sunt Angliæ universæ, sed ideo edita est, ut apud exteros fidem inveniat, et fallat incautos.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 208. [Op., tom. vii. col. 821. B.]

Ad Decimumoctavum[a]. Imo, *probat, non narrat* solum, Regis Præfatio. Jesuitam enim Greenwellum, qui rei seriem totam Garnetto retulit, fuisse complicem, qui consultandi gratia retulit, et non ut peccatum, (ut Garnetti scripto habetur[b].) Consultorem et consentientem fuisse, qui Batesium jurejurando, et utroque Sacramento animavit, atque obfirmavit ad scelus. Probat et *Actio in proditores*[c]. Jesuitam enim Gerardum bis quidem, semel quatuor e conjuratis, alia vice quinque ex iis, *juramentum* huic sceleri celando, *Eucharistiam* confirmando, detulisse: fatentibus rem scripto item suo, Fauxio[d], Wintero[e], Batesio[f]. [(18.) De Jesuitis proditionis pulverariæ conscii.]

Nec id quidem verum, *Actionem illam in Proditores editam, ut apud exteros fidem inveniret.* Anglice enim primum edita[g]. Non id autem satis caute, si mentita *apud Anglos de rebus, quæ per Angliam notissimæ.* Verum, *pudere* jam incipit Anglos Cardinalis, quem non *pudet* toties hoc (tam *sine pudore* omni) *mendacium* lectori recoquere.

Ex . . (Confessione) Regis . . . manifeste didici Regem non esse Catholicum. . . . . Et si Rex Catholicus est, cur in tota Apologia . . . eos Catholicos vocat, quorum fidem et religionem detestatur?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 208. [Op., tom. vii. col. 821. C.]

Ad Decimumnonum[h]. *Catholicæ fidei* antiquissimi magistri nihil eorum *de fide* esse docuerunt, quæ negantur a Rege; nihil eorum *ad æternam salutem necessarium* statuerunt: nec est ulla fidei Catholicæ pars, quam non teneat; sed illa vestra, *assumenta* fidei, *partes* non sunt, *Omne autem additamentum ad cultum, Leviathan est.* [(19.) De Jacobo Rege vere Catholico.]

[z] [Vide Torturam Torti, p. 277. Lond. 1609. (p. 337. edit. nostr.)]
[a] [Vide Respons. Torti, p. 93. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 681. C.]
[b] [Vide supra, p. 483. not. [m].]
[c] [Action. in Garnetum, pp. 79. 80.]
[d] [Vide Jardine's Criminal Trials, tom. ii. p. 159.]
[e] [Ibid. p. 150.]
[f] [Ibid. p. 164.]
[g] [Vide lib. cui tit., 'A true and perfect Relation of the whole Proceedings against the late most barbarous Traitors, &c.' Lond. 1606.]
[h] [Vide Respons. Torti, p. 97. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 683. C.]

352 *Cur* ergo *Catholicos appellat in Apologia, a quorum societate alienus est?* Non quod ita sint, sed quod ita salutari gestiant, quo eis æquioribus uteretur. Quando autem id Cardinalis in argumentum trahit, calculum reducit.

> Vidi . . . confessionem Scoticam Puritanorum cui Rex subscripsit. . . . . Legi quoque in . . . Basilico Doro, . . . 'Religionem, quæ viget in Scotia, esse verissimam, . . . (quam) fatetur . . . Rex divino miraculo a Puritanis seditiosis introductam.' — [Bell. Apol. pro Resp.] p. 209. [Op., tom. vii. coll. 821. D. 822. A.]

[(20.) De confessione cui subscripsit.] Ad Vicesimum[i]. In eo vel fallitur Cardinalis, vel fallit, qui *Puritani* nomen usurpat, quasi alia eorum *Religio* esset apud nos. Ea vero alia non est: tantum nescio quid ipsi sibi fingunt, de *Disciplinæ forma* exteriore, quod novitatem sapiat. Nam cætera satis sani; nisi ex alterius sectæ dogmatibus male se habeant. Quanquam omnino iniquus hic Cardinalis, qui, quam in religione mentem Rex habeat, non ex Βασιλικῷ ejus Δώρῳ petere vult, vel Monitoria, quas matura ætate, maturoque judicio scripsit, sed ex Confessione ante triginta jam annos edita, cui tum *puer subscripsit*[k]; ut cui, idem Regni tempus, et ætatis sit, in cunis Coronato. Nec quicquam peccat, quoad Religionis Capita, Formula illa Confessionis. Vere ergo illud, *Quæ in Scotia viget, Religionem esse verissimam*[l]. At illud falso, *a Puritanis introductam:* imo cum introducta esset, pene per eos eversam, ac ne everti posset, *Divino* quasi *miraculo*[m] conservatam.

[i] [Vide Respons. Torti p. 98. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 684. A.]

[k] [Vide lib. cui tit., 'The Confession of the true and Christian Faythe according to God's word and Actes of Parliament holden at Edinburghe, the eyght and twentie day of Ianuarie in the Yere of our Lord God, one thousande, fiue hundred, fourscore, and one, being the fourteenth yere of the King's reigne. Imprinted at London by Robert Waldegraue, dwelling without Temple-barre.' Huic confessioni Rex ipse subscripsit, ut e folio primo patet.]

[l] [Vide supra, p. 161. not. f.]

[m] [Vide supra, p. 42. not. w.]

Historiæ Ementitæ.

Opponitur naturalis morbus gladio et veneno, sive is morbus naturalis contractus sit ex crapula, sive ex inedia, . . . sive ex . . . carcere, sive ex luxu, &c. Quare, cum nullus historicus referat Henricum IV. fuisse occisum gladio aut veneno, constat veritas historiæ.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 210. [Op., tom. vii. col. 822. B. C.]

AD Primam[a]. Ne mendax in Historia sit, in Philosophia parum sanus est. Philosophatur enim hic, de *Morte naturali. Henricum Imperatorem, quod gladio, aut veneno, occisus non sit, naturali morte occubuisse.* Nam, siquis ex *inedia,* si ex *Carceris pædore,* si ex *angore animi,* in morbum incidat; morbum eum non *præter naturam* esse, neque, quæ ex eo consequitur, *mortem,* sed *naturalem.* At negabunt hoc (credo) *medicorum filii:* quibus, *pædor situsque Carceris* causa externa est, naturæ vim afferens: etiam *Theologorum,* quibus, qui sic periissent, inter *Martyres* censeri solebant. Est in angore animi *gladius animam pertransiens*[b]: est in fœtore carceris virus suum, ac venenatus halitus; nec *morbus naturalis,* qui ex eo contrahitur. Quique in angorem animi dederat, quique, ut in carcerem daretur, causa fuerat, unde mors subsecuta; scribetur illi *causa mortis* merito Pontifex. Qua vero morte interierit, si consulendi nobis Historici sunt, præter quatuor illos, qui a Rege nominati (Wernerum[c], Laziardum[d], Langium[e], Wimphelingium[f],) sunt, Egnatius[g], [(1.) De morte Henrici IV.]

[a] [Vide Respons. Torti, p. 70. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 670. D.]

[b] [Luc. ii. 35.]

[c] ["Iste Henricus satis excessivus fuit in quibusdam, et primo erga patrem suum, quem cepit, et in carcere eum mori fecit."—Werner. Rolewinck ad ann. 1094, apud Pistor. Rer. Germ. Script. tom. ii. p. 545.]

[d] ["Hic suscepto imperio patrem in vinculis mori fecit."—Laziard. Hist. Univ. Epit. cap. 198. fol. cli. a. Basil. s. a.]

[e] ["Hic a multis Apostolicis fuit excommunicatus, et tandem a filio devictus, anno imperii sui 43, et diu carcere detentus, tandem satis misere Leodii mortuus, post multas insultationes, et stetit corpus ejus inhumatum v. annis, in capella quadam deserta."—Paul. Lang. Chron. Citizens. ad ann. 1105, apud Pistor. Rer. Germ. Script. tom. i. p. 1148.]

[f] ["Pædore et situ carceris defunctus est."; Jac. Wimpheling. Epit. Rer. Germ. cap. xxviii., apud Schardii Germ. Ant. tom. i. p. 365. Basil. 1574.]

[g] [Joan. Baptist. Egnat. de Exempl. illust. viror. lib. ix. cap. ii. §. De Henrico, Henr. III. Imp. fil. p. 306.; et in Romanor. Princ. lib. iii., apud Sylburgii Hist. Aug. Script. tom. ii. p. 597. Francof. 1588.]

Sabellicus[h], Appendix Aurelii Victoris[i], Palmerius[k], Bergomensis[l], qui affirmant etiam de carcere, ut numero hic superiores futuri simus.

Qui dicunt illum obiisse in carcere, vel decepti sunt ex eo, quod . . . elapsum . . ignorabant, . . . vel quia civitas Leodiensis . . . pro carcere computabatur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 210. [Op., tom. vii. col. 822. C. D.]

Nam, quos affert Cardinalis, *Leodii mortuum* scribunt: nec de genere mortis, naturaline, an præter naturum, nec de loco, intrane an extra carcerem, verbum addunt. Conciliari tamen inter se possent *Historici*, vel si *elapsus*. Si (inquam) *elapsus* carcere mortem obiit ex morbo, quem in carcere, ex carceris fœtore, contraxerat. Nam, qui *Urbem Leodiensem* habeat pro *carcere*, remittam ad agnatos.

Quod autem (Henricus IV.) ab excommunicatione absolvi desideravit, ne regnum amitteret, verissimum est. . . . (Et) historici . . dicunt, . . . eam fuisse potissimam causam, cur absolutionem . . . quæsierit, ne Regno spoliaretur.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 211. [Op., tom. vii. col. 823. A. B.]

[(2.) Quare absolvi voluerit.]

354 Ad Secundam[m]. Legat titulum Cardinalis, 'De iis, quæ vi metusve causa fiunt'[n]; comperiet, qui *metu*, ne Regno spolietur, quid fecerit, eum, *vi* adductum, ut faceret. *Verissimum est* (ait Cardinalis), *quod absolvi desideravit, ne Regnum amitteret. Ea potissima causa fuit, cur absolutionem quæsierit, ne Regno spoliaretur. Verissimum est,* Historicos hoc dicere, hanc *causam* ponere, *causam potissimam. Verissimum* autem, ex *potissima causa* actionem denominari: nempe, ex *metu* amissionis Regni. *Metu* ergo *dejectum*, non *sponte se dejecisse.* Imo, *pugnant ista* inter se, *ultro quid facere*, et *metu* jacturæ tantæ: et *impropria voluntate accedit*, qui sic accedit. Confingit autem hic insanire *Historicos* suos, qui, *ne spoliaretur Regno, venisse* dicant, et tamen *sponte venisse.* At confictum etiam et hoc. Sic enim illi: *Coactus Rex* (Ursper-

[h] [(Henricus tertius) "homo impius, impioque patre natus, quem victum prælio cœpit, captumque atque arctissime vinctum, mœrore et tristitia ad mortem compulit."—Marc. Ant. Cocc. Sabell. Enn. IX. lib. iv. col. 693. B.]

[i] ["A filio Henrico, quem Imperatorem delegerat, captus et Leodii custoditus, pædore carceris post annum xlviii. Imperii miseram animam efflavit."—Append. Sext. Aurel. Victor., apud Dionys. Gothofredi Hist. Ant. lib. vi. tom. ii. pp. 700. 701. Lugd. 1590.]

[k] ["Henricus proximi Henrici filius fuit, et, cum imperium sumpsisset, Henricum patrem nefando scelere carcere maceravit usque ad mortem." — Palm. Chron. ad ann. 1108. fol. 134. b.]

[l] [Vide Jac. Philipp. Forest. Bergom. Chron. Suppl. lib. xii. ad ann. 1057. fol. 275. a.; et ad ann. 1108. fol. 280. b.]

[m] [Vide Respons. Torti p. 83. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 677. A.]

[n] [Vide Decretal. Greg. lib. i. tit. xl.—Corp. Jur. Can. tom. ii. col. 477.]

gensis vox est[o].) Laziardi, *in arcto situs*[p]. Auctor vero vitæ sic habet, *sibi timens*[q]. Sigonius autem, *adductus in summum discrimen*[r]. At Cuspinianus, *Compellebatur etiam invitus*[s]. Qui *in summum discrimen adductus*, atque exin *in arcto situs, sibique timens, cogitur invitus*, et *compellitur*, ut veniat: venitne *sponte*, aut venisse *voluntate propria*, vel *proprie*, dici poterit, aut *Historicorum* quisquam ita loqueretur? Fictio ergo hæc nova. Verum autem, hic, quod Pontifici Cæsar (*vellet nollet*) subjectus esse cogebatur: Verum (inquam) quod Gregorio VII. Henricus Cæsar: falsum quod Gregorius primus Mauritio Cæsari.

Confictæ historiæ reus non est, qui historiam aliquam dubiæ fidei esse dicit. . . . Historici, quos Rex citat, recentiores sunt.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 212. [Op., tom. vii. col. 823. C.]

Ad Tertiam[t]. Imo, ementita Historia est, quam, cum *sanæ* fidei sit, *dubiæ* quis esse mentitur. Sed *Regis Historici recentiores sunt*. At e quinque recentioribus istis, Bardus antiquos etiam memorat. Obonem Presbyterum Ravennatem[u]: Benvenutum de Imola Dantis Discipulum[x]: Chronica Veneta (ex Archivis) ejusdem temporis[y]: Chronicon Avenionense, Francisci Lemovicensis Episcopi[z]: Ricordanum Malaspinam[a]: Chronicon a Bessarione Venetis donatum, pertingens ad annum modo 1208[b]. Et illos tale quid scripsisse, Cardinali fidem facturus est. [(3.) De Friderico I. ab Alex. III. conculcato.]

Romualdus . . interfuit, et omnia accurate scripsit [accuratissime descripsit. —Bell. Apol. pro Resp.] p. 212. [Op., tom. vii. col. 823. C.]

Romualdus derepente prodiit, obstetricante Baronio[c]. Baronium autem, quis non videt, quibus artibus grassetur ad *Monarchiam* hanc novam, per totos Annales suos? Ex Auctoribus autem id, quos præter ipsum nemo vidit. Romualdus enim hic, Dominizo alibi[d], vix noti nominis, ac

[o] [Conrad. Ursperg. Chron.] Ad an. 1075. [p. 221. Basil. 1569.]
[p] ["Videns rem suam in arcto sitam."—Auct. Vitæ Henr. IV. apud Urstis. Germ. Hist. p. 382. Francof. 1585.]
[q] ["Sibi timentem." Laziard.] Epit. Hist. Univ. cap. 193. [fol. cxlviii. a.]
[r] [Car. Sigon. de Reg. Ital. lib. ix.] ad an. 1076. [p. 221.]
[s] [Cuspinianus de Cæsaribus] in Henr. IV. [p. 283. Francof. 1601.]
[t] [Vide Respons. Torti p. 83. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 677. A.]
[u] [Girolam. Bardi Vittoria Navale pag. [147—]149. [Venet. 1584.]
[x] [Ibid. pp.] 124[—128.]
[y] [Ibid. pp.] 149. [*leg.* 129—135.]
[z] [Ibid. pp.] 113. [114.]
[a] [Ibid. pp.] 123. [124.]
[b] [Ibid. pp.] 141[—143.]
[c] [Vide Baron. Ann. Eccl. ad ann. 1177. num. lxviii. tom. xii. col. 725.]
[d] [Vide Baron. Ann. Eccl. ad ann. 1106. num. xxii. tom. xii. col. 53.]

355 dubiæ proin fidei Auctores, nescimus autem, an et confícti. Sed et *illum* tamen (si interfuit,) nuditatem Patris sui operire voluisse, magis verisimile: quam *viginti alios* (quos Bardus enumerat) rem totam confinxisse. Baronii is mos pessimus, quicquid illi ad stomachum non sit, (non est autem, quod Pontifici minus est honorificum) id eradendi ex *Historia*, id arrodendi in *Historia*. Et quidem qui Genebrardo antiquiores sunt multo, vel Sigonio, etiam qui Platina, vel Sabellico, rem asserunt. Puduit tamen vel *recentiores* hos referre rem. Quid ergo mirum, si et *ex antiquis* quosdam rei suppuderet?

Quando soli recentiores affirmant, non est mirum, si veteres non negent, quod divinare non potuerunt a recentioribus confingendum fuisse.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 202. [Op., tom. vii. col. 823. D.]

At antiqui nil tale scripserunt. Scripserunt vero Obo, Benvenutus, Malaspina. Et posteri ab his acceperunt. Nam tot, tam probatæ fidei, Auctores insimulare, quasi *confinxerint* ipsi rem, durius id quidem est, et quod præter Cardinalem forte alius non diceret: qui, ne mentitus ipse videatur, nihil pensi habet reliquos omnes mendaces scribere.

Quid Fridericus timuerit, docet ipse in Oratione, quam Venetiis habuit[e], ... ubi .. professus ... nihil magis timere, .. quam ab Ecclesia separationem. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 212. [Op., tom. vii. col. 824. A.]

[(4.) Qualem habuerit timendi causam.] Ad Quartam[f]. Imo, quid Fridericum male habuerit, *oratio* illa non docet. Quod in animo habet Imperator, sibi habere, palam profiteri non solet. Id solet, quod erit illi e re maxime apud eos, coram quibus orationem habet. Operæ pretium illi tum erat, Scenæ servire, et quod Pontifici futurum erat gratissimum, in id causam omnem rejicere, id unum præ se ferre. Quam enim illud dictu insulsum, auditu odiosum, si fuisset tum professus, quod faceret, id a se fieri, non alia ex causa ulla, quam *metu Imperii amittendi?* Fungus sit, qui ita fungum Fridericum putet. *Oratio* ergo illa nihil ad rem, vel veram rei causam.

Idem .. constat ex facto. Nam permissus non est Venetias ingredi, nisi antea ab excommunicatione absolutus.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 213. [Op., tom. vii. col. 824. A.]

---

[e] [Vide Baron. Ann. Eccl. ad ann. 1177. num. lxviii. tom. xii. col. 724.]

[f] [Vide Respons. Torti p. 83. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 677. A.]

Sed neque ex facto fides ulla fit. *Nec ad Pontificis conspectum, nec ad urbem ipsam admissus est, nisi censura primum solutus*[g]. *Nihil ergo metuit, nisi Excommunicationem.* Imo, id potius, quod Excommunicationi consequens erat, (ut tum illi res erant) *Imperii amissionem.* Absque illa, vel urbem *ingredi*, vel Pontificem salutare, vel *solvi censura*, susque deque habuisset: Sed hæc *Pontificis* lex erat: illi dicta, non *Imperatoris* metus genuinus: legem hanc coactus est suscipere (quo tum in periculo erat), aliam quoque ullam suscepturus, quo sic et filio incolumi, et Imperio salvo frui liceret.

Neque . . historici allegati contrarium testantur. Cum enim dicant, eum timuisse, ne ab Imperio caderet, hoc ipso censentur dicere, timuisse excommunicationem.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 213. [Op., tom. vii. col. 824. B.] 356

Certe quidem *Historici allegati contrarium* testantur. *Cum enim dicant* (fatente Cardinale) *eum timuisse, ne ab imperio caderet*[h], *hoc ipso censentur dicere, timuisse excommunicationem.* At duo hæc distincta sunt, *imperio cadere*, et *excommunicari.* Metuit excommunicationem, ne imperio caderet, quam, nisi imperio casurus, non metuisset. Post fractas res suas, et jam pene eversas, post filium navali prælio captum, post Procerum defectionem a se ad Pontificem, tum demum *metuit Excommunicationem:* vel potius, plane non *metuit* illam, sed illa, quæ certo sibi vidit eventura, ni *metum* præ se ferret, quasi *metueret* Censuram, et, ni solvi se ea quæsivisset. Quare, ægre tandem impetravit a se, ad illa tam fœda se demittere; ni faceret, filio cariturus et imperio: si faceret, utroque fruiturus.

Cuspinianum . . aliorum testimonio destitui. . . . . Onuphrius[i] . . . scribit Turcæ fratrem naturali morbo Capuæ periisse.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 214. [Op., tom. vii. col. 824. B. C.]

Ad Quintam[k]. Cuspinianus si habet sibi Guicciardinum, Jovium, Sabellicum, Palmerii Continuatorem[l] attestantes, [(5.) De morte Zizymi.]

[g] [Vide Romuald. Archiep. Salern. apud Baron. Ann. Eccl. ad ann. 1177. num. lxxi. tom. xii. col. 726.]

[h] [Vide Laziardi Epit. Hist. Univ. cap. 212. fol. cliv. b.; et Mart. Polon. Chron. Rom. Imp. sub Frid. I. ad ann. 1162. Col. Agripp. 1616.]

[i] [Onuphr. Panvin. in Vita Alex. VI., p. 356. ad calc. Plat.]

[k] [Vide Respons. Torti p. 88. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 679. B.]

[l] ["Alexander Zizymi fratrem magni Turci dederat regi Carolo; sed prius, ut suspicatum est, venenatum toxico."—Palm. Pisan. in Chron. ad ann. 1494. fol. 170. b.]

aliorum testimoniis non destituitur. Certe Onuphrius recentior est, quam ut nosse rem potuerit, et ad omnia, quæ pro Pontifice faciunt, asserenda projectior. Parum vero tum poterat Papa Alexander Sextus, si id non poterat, contrarios in vulgus rumores spargere, atque eo modo suspicionem de morte Zizimi a se amovere. Sabellicus vero nec in dubium revocat, an veneno perierit, et *Pontifice non ignaro factum*, id creditum affirmat. Sic enim ille. *Fuerunt qui crederent, eum veneno sublatum, fuisseque Alexandrum Pontificem ejus consilii non ignarum* [m]. Guicciardinus hoc idem, *Non defuisse, qui crederent* [n]. Qui tandem? vani homines? imo cordati: alioqui res in Historiam non referenda. Sed explicat id paulo post, cum *constanti hominum opinione creditum* dicit [o]. *Constanti hominum opinione creditum*, ait Guicciardinus. *Eratque constans fama*, ait Jovius [p]. Sabellicus affirmanter ait, *Turcam Alexandro, ut Zizimum veneno tolleret, magnum auri pondus pollicitum fuisse* [q]. Ex illa autem *magni ponderis pollicitatione, constanti hominum opinione creditum fuisse, et Zizimum veneno sublatum, et Papam ejus consilii non ignarum.* At illi fecerunt quod *Historicorum* est: cum aliqui contra mutirent, ut quid *constans fama* ferret, id referrent; ex quo, quid ipsi sentirent, nemini obscurum esse potuit, non sane de eo, de quo tam male sensit Orbis Christianus, Alexandro
357 Sexto, sæculi sui propudio, et qui artem eam calleret, nec Turcis solum, etiam Christianis, venenum sæpe propinaret [r].

[m] [Marc. Ant. Cocc. Sabell.] Enn. X. lib. ix.] tom. ii. p. 781.]

[n] [Franc. Guicciard.] lib. ii. Hist. Ital. [p. 58. Basil. 1566.]

[o] [Ibid. p. 57.]

[p] [Paul. Jov. Hist.] lib. ii. [Op., tom. i. p. 47. Basil. 1578.]

[q] [Marc. Ant. Cocc. Sabell. Ennead. X. lib. ix. tom. ii. p. 778.]

[r] [Vide Onuphr. Panvin. in Vita Alex. VI., p. 359. ad calc. Platinæ.]

Ad Caput Decimumseptimum.

Nova dogmata.

Cum dixi inter omnes, . . . de . . . Catholicis loquebar, non de schismaticis. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 214. [Op., tom. vii. col. 825. A.]

[(1.) De Pontificis potestate ad Reges deponendos.]

Ad Primum[a]. Perfacilis vero respondendi ratio. *Convenit inter omnes.* Quibus enim non convenit, *omnes* (quotquot sunt) sunt *Schismatici.* Quis autem nescit, tam facile Pontifici *schismaticum,* aut etiam *hæreticum* scribere quemvis, quam facile *vulpi pyrum comesse*[b]. Ubi quæstio incidit unquam, inter Cæsarem et Pontificem, qui a Cæsare senserunt, statim *omnes Schismatici. Omnes illos* tolle; postquam *illos* exceperis, qui secus sentiunt, *inter omnes* reliquos facile *conveniet.* Mirum enim, *omnes,* qui ab una parte sunt, non convenire. Id ergo dicit Cardinalis. *Convenit inter omnes, inter quos convenit. Inter omnes vere Catholicos convenit.* Nulli enim *veri Catholici,* quibus de hoc non *convenit.*

Si hoc dogma a tempore Gregor. VII. . . . initium habuit, cur . . . quasi novi dogmatis inventor aut sectator accusor?—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 214. [Op., tom. vii. col. 825. A. B.]

Nec ab Hildebrandi tempore *dogma hoc initium habuit.* Non *dogma; quæstio* habuit. Nam, cum essent multi, qui pro, vel contra, scriberent, *dogma* non fuit: voluit quidem id ita esse pars Pontificis: non fuit tamen. Vix dum enim *dogma* hoc quidem est. Sunt hodieque *mixti Papistæ,* qui eant in alia omnia; nec quicquam Pontifici, ex potestate sua Clavium, juris esse, præterquam in *Regnum cœlorum;* non inde quid in *Regna terrena.* Sic Hartus, ea quidem in re

[a] [Vide Respons. Torti p. 9. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 640. A.]

[b] [Vide Plaut. Mostell. III. 1. 22.]

Cardinalis non bonus discipulus [c]. Sic Rishtonus, non bonus Sanderi [d]: sic Jesuita Bosgravius [e], sic Watsonus [f], Fekenhamus [g], Yongus, flos hic delibatus Pontificiorum: ut Cardinalis recte *novi dogmatis sectator* dici potuerit. *Quæstio* enim non *nova*, de qua ante aliquot sæcula lis cœpta est: *dogma* vero *novum*.

A Gregorio juniore . . . excommunicatum fuisse, et vectigalibus Italiæ privatum Leonem Isauricum . . . , testibus Zonara [h] et Cedreno [i].—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 215. [Op., tom. vii. col. 825. B.]

358 Nam cur Zonaræ credamus, vel Cedreno, Græcis hominibus, de rebus Italiæ? Nemon' Italus est, qui, quid in Italia gestum, retulit in Commentarios? Nam Platina rem narrat aliter. Populum, cum cerneret, quam tenui filo penderent res Leonis in Occidente, facile tumultuandi occasionem arripuisse, atque vectigalia non solvendi. Notum populi ingenium, attenti ad rem sunt, raro vel *vectigalibus* favent, *vel Publicanos* amant. At Gregorium ei motui, qua potuit, obstitisse [k]. Quare, novo hoc dogmate initiatum non fuisse. At lubens hic a Cardinale resciscerem, ecquid nondum exauctoratus Leo, sed Cæsar adhuc, mulctari potuit vectigalibus a Pontifice? Et annon hoc sit Christo advorsum ire, et *in faciem resistere* [l], qui Cæsari illa, (quamdiu Cæsar,) *reddi* [m] voluit? Ea quidem Cardinalis sententia videtur, *in loco*, non mulctandum vectigalibus Cæsarem, nisi Imperio prius mulctatum. Quamdiu Cæsar est, ei debere suos, et vectigal, et fidem, ne debere, necesse habeant de Cæsare non Cæsarem faciendum.

Ex auctoribus, quos citat Rex, duo soli sunt non contemnendi, Otho Frisingensis . . . et Godfridus Viterbiensis. . . . Sed hi scribunt solum se non legisse ante tempora Gregorii VII. Imperatorem a Papa excommunicatum, aut . . . depositum, . . . non tamen dicunt id fieri non posse, aut non licere.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 215. [Op., tom. vii. col. 825. B.]

Vide vero, ut, *quos vult, contemnit* Cardinalis: *quorum* vero *vult, miseretur*; miseretur Othonis et Godfridi, qui se *negant* simile quid *legisse*; (quod id *minime licere non dicant.*) Certe

[c] [Vide supra, p. 481. not. [a].]
[d] [Vide Butler's Historical Memoirs of English, &c. Catholics, vol. i. p. 512. Append.]
[e] [Vide supra, p. 481. not. [d].]
[f] [Vide ibid. not. [b].]
[g] [Vide ibid. not. [c].]
[h] [Zonar. Annal. tom. iii. p. 85.]
[i] [Cedren. Hist. Compend. p. 373.]
[k] [Vide Plat. in Greg. II. in Vitis Pontif. p. 110.]
[l] [Gal. ii. 11.]
[m] [Matt. xxii. 21.]

igitur Godfridus [n] et Otho [o] istud de Gregorio II. non legerant, vel *Græca* id *fide* [p] narratum arbitrati sunt. Et cum *non legisse se* dicunt, novum dicunt, idque ita dicunt, ut cuivis legenti pateat, factum in eo Hildebrandi eis non probari. Non ita scriberet Otho Henricum *Imperatorem*, etiam postquam ab Hildebrando depositus: non, qui instigante Pontifice bellum ei intulerunt, *rebelles:* nisi rem improbasset. Reliquos vero nihili facit, Vincentium [q], Radwicum [r], Guntherum [s]; *vere* tamen *Catholicos*, nec *Schismaticos* a quoquam habitos: sed forte vel ob unum hoc, quod *Imperatori* bene vellent, *schisma* nonnihil sapientes.

Ut autem Rex videat, vere a me dictum esse, convenire inter [omnes Catholicos] Theologos et Jurisconsultos, . . . legat Concilium . . . Lateran. c. iii. . . . Lugdunense, unde exstat Cap. 'Ad Apost.,' de Sent. et Re Judic. in vi. —[Bell. Apol. pro Resp.] p. 215. [Op., tom. vii. col. 825. C.]

Aciem post instituit, ut, *inter quos convenit, convenire doceat.* Quod quis negat? *Concilia* quæ cogit ibi, non habentur, nisi in Decretalibus: Papæ enim tum non præerant modo *Conciliis*, sed erant ipsa *Concilia;* nec, siquid dixissent, contra quisquam hiscere. Nec illa tamen, tam, (ut Cardinalis ea videri vult) liquida. Lateranense de *Excommunicatis* est, (uti vos quidem ipsi dicitis), de *Hæreticis* non est [t]. Esse quidem Paganis pejores hæreticos damus, sed qui hæreses *ἀπωλείας* teneant (uti eas S. Petrus [u] appellat), non quosvis, non Quartodecimanos, vel, qui de levi aliqua re abundent in sensu suo. Lugdunense sententiam habet a Papa latam, et inique latam [x]; *Canonem* non habet; 359
ut etiam, de *Conciliis* his, a *vere Catholico* lis moveri posset. De *manipulo* enim *Scholasticorum*, atque *Canonistarum*, nemo

[n] ["Ante hunc imperatorem non legimus aliquem a Romano Pontifice excommunicatum aut regno privatum." —Gotf. Viterb. Chron. Par. xvii. p. 499; apud Pistor. Rer. Germ. Script. tom. ii. p. 341.]

[o] [Vide Otto. Frising. Chron. lib. vi. cap. xxxv. p. 12.; et lib. i. de gestis Frider. l. cap. i. p. 194. Basil. 1569.]

[p] [Plaut. Asinar. I. 3. 47.]

[q] [Vinc. Bell. Spec. Hist. lib. xxv. cap. lxxxiv. p. 356. col. 2.]

[r] [De gestis Frid. I. lib. i. cap. x. pp. 266, 267. Basil. 1569. ad calc. Ott. Frising.]

[s] [Guntheri Ligur. lib. vi. de gestis Frid. p. 93. Basil. 1569.]

[t] [Conc. Lat. iv. Gen. cap. iii.—Conc. tom. xi. col. 147. B.—152. D.; et Decretal. Greg. lib. v. tit. viii. 'De hæreticis,' cap. xiii. 'Excommunicamus.'—Corp. Jur. Can. tom. ii. col. 1680. sq.]

[u] [2 Pet. ii. 1.]

[x] [Vide Sententiam contra Fridericum Imperatorem ab Innoc. Papa IV. in Conc. latam ap. Conc. Lugd. i. —Conc. tom. xi. col. 640. D.—645. C. et Decretal. VI. lib. ii. tit. xiv. 'De Sent. et Re Jud.' cap. ii. 'Ad Apostolicæ.'—Corp. Jur. Can. tom. iii. col. 376.]

dubitat, quin Papæ faveant[y]. Et hi tamen, *Omnes* non sunt. Verum *Omnes sunt, inter quos convenit.*

> Nusquam dixit Bellarminus eos, qui per baptismum renascuntur, . . . in aliud quam in Christi nomen baptizari. Obligari autem eos, qui baptismum . . . suscipiunt, ad obedientiam Vicario Christi præstandam, docent omnes, qui fatentur per baptismum admitti homines ad familiam Christi, et Christi Vicarium esse illum, quem constituit Dominus super familiam. . . . Sed mirum est, cur . . . miretur, unde hæc Theologia nata sit, cum satis facile colligi potuerit ex verbis ipsius in Apologia. . . . . Ex qua admiranda Regis doctrina sequitur, si in ortu naturali debeat intelligi Juramentum tacitum, et congenitum ad obediendum Principi politico, in ortu quoque supernaturali . . . ad obediendum Principi spirituali, qui est Christi Vicarius.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 217. [Op., tom. vii. col. 826. C. D.]

[(2.) De Juramento congenito, quo quis Principi tenetur.]

Ad Secundum.[z] Nullos hic nobis Auctores enumerat, qui in *aliud* nos *nomen baptizari* teneant, quam *Christi.* At hæc duo in idem recidunt, (quod nos docuit Apostolus.) *In mine Pontificis baptizari,* et dicere, *Ego quidem sum Pontificis;* vel si malis, *Ego quidem sum Cephæ*[a]*:* Sed neque Auctores ullos, qui illud doceant, *Papam esse illum, quem constituit Dominus super familiam suam, Matt. xxiv. et Luc. xii.* Illum potius quis dixerit *servum,* qui ibi sequitur, *et percutere cœpit conservos suos.* Nec, si ex *unanimi Patrum consensu* Scripturas interpretetur (ad mentem Pii Quarti), consentire eos, ut in *servo* illo vel Petrum intelligant. Restat ergo, ut cum aliunde nequeat, ex regis ipsius verbis *Theologiam suam* colligat, quæ ibi tamen non nascitur. Sed tamen, cur *admirandam* hic dicit *Regis doctrinam* de *nexu congenito*[b]*?* Nexus, quo quis patriæ, quo Principi tenetur, præter naturam non est. Nec *miraculo* locus, in iis quæ secundum naturam sunt. Non fuit ergo hoc *miraculum* dicere; sed *monstrum,* contradicere. Cui quidem *admiranda* videtur doctrina, quæ tam naturæ consentanea, jure miretur eum quis, moretur nemo. Esto autem, est *congenita* quædam obligatio, adeoque *Juramentum* in *ortu naturali,* quo, qui sub dominio ejus nascitur, *Principi politico* tenetur. Esto, ut et aliud sit ei par, in *ortu Supernaturali*[b] quo teneatur Principi spirituali. At is *Princeps, Christus* est (cujus in nomine bap-

[y] [Vide nomina auctorum, qui hanc defendunt sententiam, apud Bell. Apol. pro Resp. p. 216., et Op., tom. vii. col. 826. A.]

[z] [Vide Resp. Torti p. 51. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 661. B.]

[a] [1 Cor. i. 12.]

[b] [Vide Apol. pro Juramento p. 234. Edit. 1610.]

tizamur, cujus quidem, qui *Christiani* sumus, omnes sumus,) non autem *Christi Vicarius*. Nec enim *Vicario* ulli *Principis* sponderi obedientiam, sed *Principi* ipsi. Et de *Papa*, quod is, præterquam quod *Papa* est, *Princeps Spiritualis* sit, aut vel *Christi Vicarius*, non *docent omnes, qui fatentur per Baptismum admitti homines ad familiam Christi*. Venient multi ex *Oriente*, ex *Meridie, Septentrione*, et *Occidente*[c], qui contradicent: nec vel sibi unquam animum fuisse, vel sponsoribus suis, in *Papæ verba jurare*. Vestram igitur Rex non probat, merito non probat, cum in *προτάσει* Princeps sit, in *ἀποδόσει*, 360
non Princeps, *sed Vicarius modo Principis*: Etsi, ut vos *doctrinam* ejus probetis, de *tacito* et *congenito Juramento*, *Magna* vos *veritas cogat, quæ semper prævalet*[d].

Quod . . . dixit . . . non posse solvi sigillum Confessionis, . . . intelligendum est, non esse licitum ullo modo prodere personam.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 218. [Op., tom. vii. col. 827. B.C.]

Ad tertium[e]. Non aliud ergo (ut videtur) in *Sacramento* hoc *Sigillum* est, quam ne quis *prodat Proditorem*; qui ut tutus sit, extra periculum, instituit Christus *Sacramentum* hoc, ac suo *proditiones Sigillo* munivit. Sed nihil agit. Poterat enim Garnettus ipse se, poterat et *Proditores* ipsos extra periculum posuisse; ac dein *proditionem* ipsam de loco tuto revelasse: si bona fide prævertere, et serio rem urgere voluisset. Sed illc, non *personas* modo, *rem* ipsam premere, adeoque fovere maluit: pro cujus successu felici oravit toties, toties et missificavit. [(3.) De Sigillo Confessionis.]

Bellarminus . . . comparavit præceptum non comedendæ carnis porcinæ cum præcepto recusandi Juramenti Regii, quoad materiam, non quoad legislatores.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 210. [Op., tom. vii. col. 828. A.]

Ad Quartum[f]. Claudicat hic Cardinalis comparatio: posterior ejus pars *ἀποδόσει* caret, *Meliorem causam habere Catholicos juramenti violandi*, (*quo summi Pontificis auctoritas violatur*,) *quam Eleazarus habuerit non gustandæ carnis porcinæ*, sic illi supplenda, *quo* (scilicet) *Divinæ Legis interdictum contemnitur*, vel, *quod Divina Lege expresse interdicitur*. Sed neque fas ita (ut Cardinalis instituit) comparare: [(4.) De Papa juramentum Fidelitatis prohibente.]

[c] [Luc. xiii. 29.]
[d] [1 (al. 3.) Esdr. iv. 41.]
[e] [Vide Respons. Torti p. 94. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 682. A.]
[f] [Vide Respons. Torti p. 102. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 686. A.]

In Epistola enim sua *Legis* prævaricationem urget[g]; quare *Legis* jam *auctoritatem* præterire non debet, sed *Legis* et *Brevis* prævaricationem inter se conferre. Alioqui, vitiosa erit illi comparatio omnis.

Neque verum est Præceptum non admittendi Juramentum niti solum auctoritate Brevis Pontificii, nititur enim auctoritate divina.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 219. [Op., tom. vii. col. 828. A.B.]

Verum tamen est, aliam longe esse, et majoris ponderis *Auctoritatem divinam* Lege ipsa sua, quam *Pontificio Brevi* significatam. Immota enim Legis auctoritas, nec a Pontifice ullo mutanda: at *Brevia Papalia*, nec *Brevia* modo, etiam *Bullæ*, etiam ter quaterque geminatæ, (ut Eugenii quarti in Basiliensi Concilio) tamen ab eodem Papa revocatæ, et pro irritis nullisque declaratæ[h]: Idque ipsum Concilium, in quod ante terrifice fulminarat, eo non obstante, justum fuisse, et legitimum. Quod neque nos de Paulo Quinto desperamus, quin et idem facturus sit de utroque *Brevi* suo, quorum *brevior* est multo auctoritas, quam *Bullarum*. Neque vero utrobique eadem imperantis auctoritas, nisi eodem modo
361 imperantis. Ut enim *a porcinis abstineant*, simpliciter imperat, atque absolute; ut *Sacerdoti obtemperent*, (*Summo* enim additum a Cardinale) non absolute, sed *juxta legem docenti*; non pro arbitratu suo *Brevia* scriptitanti: quæ sæpe non *juxta legem*, quin *contra* sæpe, *præter* autem sæpissime.

Expectabam, ut Rex novitatem hujus dogmatis demonstraret . . . . Sed quia vidit inveniri apud omnes Theologos, et Jurisconsultos, imo in . . Canonibus Pontificum, et Conciliorum Decretis, prudenter divertit ad invidiam Cardinali apud Reges conflandam, quasi ipse primus sit auctor exemptionis Clericorum. Sed . . . sperat manifestam istam calumniam nihil ei apud Catholicos Reges, et Principes, nocituram.—[Bell. Apol. pro Resp.] p. 220. [Op., tom. vii. col. 828. D.]

[(5.) De exemptione Clericorum.] Ad Quintum[i]. Cur autem *expectet a Rege*, quod est a Venetis abunde satis præstitum? *Dogmatis* hujus *paradoxa*, ab illis *demonstrata*, atque depexa probe sunt. Ut Cardinalis tamen *expectationi* fiat satis; *novitas* ea, *hujus dogmatis* est. Regibus subjectos fateri debuit Clericos suos; quod per Reges exempti sunt *jurisdictione*, non tamen *subjectione* sua;

[g] [Vide Bell. Epist. ad Blackw. apud Resp. Torti p. 54. et Bell. Op., tom. vii. col. 662. D.]

[h] [Vide Conc. Basil. Sess. xvi.—Conc. tom. xii. col. 258. E.]

[i] [Vide Respons. Torti p. 135. Edit. Polit.; et Bell. Op., tom. vii. col. 702. A.]

sed vere Regum subditos manere, exemptione non obstante. Et ni exemptionem hanc fateantur Regii juris esse, non immerito denuo revocandam. Tergiversatur ergo voce ista sua *inveniri*. *Inveniri* quidem in *Conciliis;* sed an et exiit a *Conciliis exemptio* hæc? *Inveniri* quidem in *Conciliis;* sed an eandem, an eodem jure? Non, sed diverso, et plane novo. Quod enim *exemptione* sua in multis gaudeant, non negatur: unde, quo jure, et quorum beneficio gaudeant, id quæritur. Nec Cardinalis *exemptionis auctor,* sane: sed *hujus* tamen *exemptionis novæ,* qua vere Regum subditi non sint; qua cives non sint, et cum civibus cæteris civili lege teneantur; qua *Omnis anima potestati gladium portanti, etiam propter conscientiam non subjiciatur*[k]. Exemptos aliquatenus a *jurisdictione* Principum, et nos agnoscimus: sed a *jurisdictione,* non *subjectione:* subjectos sane; sed *diplomate* aliquo exemptos in *aliquibus,* a jure quod reliquis civibus dicitur; sed exemptos *ab ipsis Regibus* illa sua *jurisdictione,* ac per hoc *Regibus subjectos.* Nam ni forent, cur *exemptione* opus haberent? Quis *eximit,* qui sui ante juris erant? *Exemptos* igitur, *jure Regio,* non *divino,* vel (ut noviter Cardinalis) *partim divino, partim humano, partim neutro*[l]. Nec enim posse subjectione in totum eximi, cum præceptum divinum sit, ut *omnis anima potestati gladium portanti sit subdita.* Immunitate ergo donari posse, verum, quoad res, quoad personas: immunitate subjectionis non posse; *ὑποταγὴ* enim *divini juris* est.

Postremo, et a Rege hæc scripta, non ad Cardinali *invidium conflandam,* (Quis enim Rex *Cardinali invideret?* Quem potius ejus non misereat?) sed ad *Regum solertiam excitandam:* quorum nosse interest eos, qui secus in eos animati sunt. Qui *Clericos* vere *Regum subditos* non esse: ex eo, quod vere subditi non sint, proditionis in *Cæsarem,* ullumve Regem, reos esse non posse; nec actionem de ea ullam in eos institui. Cives quidem, quoad cætera Civium beneficia, esse velle: at Civium tamen legibus non teneri. Denique, Reges *Laicorum* Reges esse, non *Clericorum. Calumnia hæc* nulla est, sed assertio ex ipsius fontibus petita. Ut et ejus- 362

[k] [Conf. Rom. xiii. 1, 4, 5.]

[l] [Bell.] De Cler. lib. i. cap. 28. § Tertia. [Op., tom. i. col. 1668. Ingolst. 1596; in edit. Col. Agr. 1628 haud ita habetur.]

dem generis alia hæc: *Nullam habere Reges in Clericos potestatem*[m]: *Eos citra Principum privilegia exemptos esse: Quod Principes eis privilegia concesserint, id ex ignorantia juris divini ab iis factum esse*[n]: *Invitis Principibus eximi posse*[o]. Quibus et adjiciat, *Pontificem a Christo mandatum habere mutandi regna, ex eo quod Pastor factus est*[p]: *Potestatem disponendi de Regnis, privandi Reges, sine dubio Pontifici concessam a Christo*[q]: *Facere Pontificem, ut qui Reges sint, deinceps Reges ne sint*[r]: *Omnino superiorem esse Rege, etiam in Temporalibus*[s]: *Etiam sine Excommunicatione de Regnis disponere posse*[t]: *Cogere posse Reges, ad Leges Politicas ferendas sub pœna anathematis*[u]. Quæ non multum illi quidem apud Principes videntur *profutura;* an et quantum *nocitura* sint, penes Ipsos arbitrium esto.

[m] [Bellarm. contra Barclaium (al. de Excusat. Barclaii,) cap. xv. Op., tom. vii. col. 913. C.]
[n] [Ibid. cap. xxxiv. coll. 970. D. 971. A.]
[o] [Ibid. cap. xxxvi. col. 983.]
[p] [Ibid. cap. xxvii. col. 955. A.]
[q] [Ibid. cap. xxiv. col. 944. B.; et cap. xxvii. col. 955. A.]
[r] [Ibid. cap. xxxi. col. 959. B.]
[s] [Ibid. cap. xvi. col. 916. B.]
[t] [Ibid. cap. iv. col. 864. D.]
[u] [Ibid. cap. xxxix. col. 988. D.]

FINIS.

LONDINI: EXCUDEBAT R. CLAY.

FEB 7 1966